


Stadt
Bücherei
Elbing

Hoc Tomo continentur

1) Harthaleri Exercitt. 2. de Numis veterum. de quibus vid. Act. Erud.

2) Seylers Hist. Nachricht von den weissagenden Münzen nebst Breitenhausens Fr. von den weissagenden Bildersäulen

3) Kundmans von den Jubel-Schaustücken.

4) Seylers Entwurf eines schlesischen u. sohn. preuß. &c. Müntz- u. Medaillen-Cabinets.

5) Bornitius de regali Monetæ, specialim mitra bicorni in Episcopis Germaniæ.

6.) J. Bornitius de numis in rempubl. percutiendis.

7.) Besoldi recapitulatio 4 Quaestionum monetalium.

8) ~~Aug. Leyser~~ de mutationibus monetæ.

Xoph Andreas Schmid,

P. CHRYSOSTOMI HANTHALER, MONACHI CISTERCIENSIS, ET BIBLIOTHECARII IN CAMPO LILIORUM AUSTR. INFER.

EXERCITATIONES FACILES DE NUMIS VETERUM PRO TYRONIBUS:

IN QUIBUS LACONICA QUIRITUM SAPIENTIA, ET REI NUMARIÆ VETERIS RUDIMENTA FACILI METHODO PER EXEMPLA PANDUNTUR, OPE NUMORUM COMPLURIUM PICTORUM, ET PER DIALOGOS FAMILIARITER EXPOSITORUM.

EXERCITATIO PROOEMIALIS DE NUMIS ALIQUOT GRÆCIS, QUI AD IMPP. NON PERTINENT: FAMILIARUM ITEM: AC POSTREMO URBIS ROMÆ, SENATUS, ET POPULI.

NORIMBERGÆ,
Sumtibus JOAN. ADAMI SCHMIDII, Anno M. D. C. C. XXXV.

PERILLUSTRI ATQUE REVERENDISSIMO
DOMINO,

DOMINO
GODOFREDO

LIB. ET EXEMTI

MONASTERII
GOTUICENSIS

ORDINIS S. BENEDICTI IN AUSTRIA

ABBATI DIGNISSIMO,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.

ABBAS REVERENDISSIME, DOMINE GRATIOSISSIME.



MOribus antiquis hoc utebantur instituto, ut, quo munere *Deorum* quisque maxime delectari censeretur, id illi Deo munus, vel munusculum rite porrigerent. In quo quidem videbant sane plurimum. Diis enim, qui divitiis hominum

non

non indigerent, non quod hominibus pretioſiſſimum, ſed quod Diis gratiſſimum videbatur, immolabant.

Quorum ad exemplum, ut TUÆ in me Voluntati Benignitatique, mea pro tenuitate, aliquid reponerem, theſaurum TIBI offero, ab alio quidem detectum, ſed a me luci publicæ expoſitum: Theſaurum ſcilicet, non ex aureo Africæ littore, nec opulentiſſimarum Novi Orbis fodinarum latebris advectum, ſed ex ingeniorum venis, ab Autore,

TIBI non incognito, erutum atque congeſtum.

Laudet Oriens ſuas divitias, & cum Novo Orbe de præſtantia certet; Nec vero errare cenſendus eſt, qui librarios literariosque theſauros ceteris eſſe poſthabendos negat. Animus enim, quod nemo dubitat, ſi corpori præſtat; quæ illum nutriunt, utique præſtantiora ſunt his, quæ corpori nutrimentum lautitiamque præbent.

Sed ex literariis monumentis, quæ ad Antiquitates & Hi-

ſtoriam

ſtoriam pertinent, nullum præſtantius, nullum utilius jucundiusque Numis antiquis eſſe, jamdudum oſtenderunt, qui bono publico præclaros hoſce Antiquitatis theſauros ab interitu vindicarunt. Et ſane ad ſummam ingenii vel doctrinæ laudem conſequendam nil opportunius, quam hæc verſare veterum monumenta, quibus ſimul & artis præſtantia cum nitore gratiam, & varietas delectationem, & vetuſtas ſummam cum auctoritate fidem conci-

liat

liat. Sed quam integro, eoque præſtantiſſimo, tantisque eruditorum plauſibus concelebrato, nec unquam ſatis celebrando profundæ eruditionis Opere, *Illuſtris Spanhemius* aſſeruit, præſtantiam & uſum Numismatum, tantum abeſt, ut hac noſtra ætate quisquam vocet in dubium, ut non ſolum certatim velut, ac æmulatione quadam, in Hiſtoria ex nummis illuſtranda & confirmanda ſuam Viri docti collocarint operam: *Patinum* enim, *Mediobarbum*, *Morellium*, *Vaillantium*, *Pe-*

druſium


TAB. I.
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ
ΣΩΤΕΙΡΑ
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΙΕΡΩΝΟΣ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ
ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ
ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ
ΤΙΓΡΑΝΟΥ
ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ


TAB. II.
I
II.
ΔΕΛΦΩΝ
ΠΑΓΑ
ΣΑΙΩΝ
III.
IV.
ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ
ΛΕΩΝ
V
VI
ΑΘΕ
ΑΡΙΣΤΗΝ
ΔΥΡ
ΑΡΙ
ΝΩΝ
IX
X
ΚΟΣΩΝ
ROMANO

TAB. III.

I SALVTIS

I IIIVIR VALETV M'ACILIVS

II BALA C.

II C. ALLI

III IMP. CAESAR AVGVS. TR. POT.

III C. ANTIST. VETVS III. VIR ACTIO

IV M. ANTON. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TER. III. VIR. R. P. C.

IV III. VIR. R. P. C.

V MONETA

V T. CARISIVS

VI

VI T. CARISIVS III VIR

VII

VII L COT

VIII

VIII L. CESTIVS S. C. P. R. C. NORBA

IX CAESAR DIC. TER

IX C. CLOVI PRAEF

X IEN COS


X




TAB. IV
I
I
II
II
M.HERENNI.
Q
L.HOSTILIVS.
SASERN.
III
III
IV
IV
SASERNA.
L.HOSTILI.
SALVS
ROMA
D.SILANVS L.F.
V
V
VI
VI
C.CAESAR.DICT.PERPETVO
L.BVCA
C.LICINIVS.L.F. MACER.
VII
VII
VIII
VIII
L.LIVINEIVS
REGVLVS
L.LVCRETI. TRIO.
IX
IX
X
X
CAESAR.AVGVST.PONT.MAX.TRIBVNIC.POT.
P.LVRIVS.AGRIPPA.IIIVIR.A.A.A.F.F.
S.C
CAESAR.AVGVST.PONT.MAX.TRIBVNIC.POT.
M.MAECILIVS.TVLLVS.IIIVIR.A.A.A.F.F.
S.C

Beüsch fec.


TAB. V.
I
I
II
II
CAPIT. CXXX.
CXXX.
C. MARI. C.F.
QVIRINVS.
CERIALIA. PREIMVS
III
III
IV
IV
ROMA
Q. MINV
ROMA
V
V
VI
VI
L. MVSSIDIVS. LONG
CLOACIN
PAPI
L. PAPI.
VII
VII
VIII
VIII
CELSVS
L. PAPI.
CAESAR
TVRPILIANVS. IIIVIR.
IX
IX
X
X
AVGVSTVS TRIBVNITIAE POTEST.
S.C
SVDINVS IIIVIR
L. VALERI. FLACCI.




TAB. VI.
I I II II
Æ
ROMA
ROMA
ÆR
III III IV IV
Æ
VRBIS ROMA
PSISC
INVIC TA ROMA.
T
V V VI VI
Æ
M.AVR.ANTO NINVS.AVG.PIVS
S.C.
ROMA.
ÆR
p
VII VII VIII VIII
T
ΘΕΑ ΡΩΜΗ.
ΣΥΝΝΑ ΔΕΩΝ.
ΙΕΡΑ ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ
ΙΕΡΑΠΟΛΕ ΙΤΩΝ
IX IX X X
T
Η ΜΟϹ.
ΦΙΛΑΔΕΛ ΦΕΩΝ.ΝΕΩΚΟΡΩΝ.
ΙΕΡΟϹ ΔΗΜΟϹ.
ΑΤΑΛ ΙΤΩΝ.
m



XII. SYBILLÆ

I.



II.



III.



IV.



V.



VI.



VII.



VIII.



IX.



X.



XI.



XII.





DIALOGI PROOEMIALES.

DIALOGUS I.

De Dignitate, Jucunditate, Utilitate Studii Numarii Veteris.

INTERLOCUTORES.

TULLIUS docens, PUBLIUS discens.

PUBLIUS.



Uàm benè actutum mihi venisti, venerande Tulli, quum te unum mihi adesse votîs omnibûs cuperem: Tua namque erudita ego studia dudum præclarè suspicio. *TULLIUS.* Ingenuus animus tuus peramanter facit, atque Ingenium elegans, optime Publi, quòd amor noster in Musas mitiores tibi arridet: quibus tam multi mox ab elementaribus scholis cum fastidio hodie nuntium remittunt. *PUBLIUS.* Non possum non, quæ tu tam jugiter colis, egregia arbitrari, cùm Jove dexterrimo natus nemini non videare. Hodie ejusmodi res mihi tecum, quæ solum te Oedipum speret. Vides hanc arculam, quam ne nudius tertius quidem, dum ad me inviseras, in cellula mea I.

ſpectâris? *TULLIUS.* Statim in eam oculos contuli, ut rerum tuarum, ſi fortè queam commodò tuô, curioſiſſimus ſum. Aſt verò quem illa theſaurum recondit? *PUBLIUS.* Dicam primùm, unde illa ad me: cætera fortean ſagax animus tuus præcurret. Avi mei, corpore nuper piè ſoluti, Viriq́ue, ut nôſti, Rerum Eruditarum non incurioſi, ultima voluntate mihi tributa eſt. *TUL.* Quid ais? Avus tuus, cui levem terram adprecor, hanc tibi? Ergò theſaurum oppidò charum, ſic Dii te ament, adeptus es, Numos nimirum veteres ejusdem, etſi non prorſus exquiſitos, benè tamen multos, nec contemnendos. *PUBL.* Sic eſt: ſed parce mihi, quòd verba tua non planè capiam. Divitem exiguo viliq́ue hoc ære me admodùm prædicas, quod inſuper turpis ærugo paſſim exederat? Quis inde mihi cenſus proveniat? *TUL.* Suaviſſime Publi, ignoti nulla cupido: benignam tu mihi aurem, & ego, qua polleas ſorte, te liquidò inſtruam. *PUBL.* Oppidò mihi ſalivam jam hactenus moves: ediſſere itaque, ut libet, pleniſſime, unde tantoperè gaudeam.

II. *TULLIUS.* Ignoras hucusque, ut audio, quid rei tandem Numi ſint veteres? quid reconditæ celent utilitatis? quem in finem, quantôq́ue artificiô atque ingeniô illi excuſi ſint? Altum te latet, *quod tædioſa nonnunquam prolixitate Libri, id compendioſa brevitate* (ut nonnemo loquitur Eruditorum) *Numos præſtare.* Eſſe eosdem *certa minimèque dubia rerum geſtarum documenta, eſſe hiſtoriis, quia cum re ipſa nati, plerumque antiquiores, quin imò ut voluptate, ita fide potiores, cùm temerè adulterari citra perſpicua doli argumenta haud facilè queant.* Neſcis eorum ex contemplatione tam multiplicem ac varium elegantioribus quibúsque litteris fructum accedere: Viros Principes in hæc cimelia, Artium & Eruditorum bono ab interitu vindicanda, opes tam ingentes liberaliter profundere: Summa Ingenia iis colluſtrandis uberes ſudores impendere: Scriptores maximos ampliſſima ab iis ſubſidia Ethicæ, Politicæ, Mythologiæ, ac præprimis Hiſtoriæ accerſere, quoniam hiſtorias non rarò ad fidem Numorum oportet, non è diverſo Numos illarum ad rationem componere. Nunc porrò, ſi pateris, qualescunque ſint Numi tui, prima tibi eorum eruditè pernoſcendorum elementa commodùm pandendi anſam tamen mihi præbebunt.

Luck. Sylloge Nümismat. rarior. in Prooem.

III. *PUBLIUS.* Quàm amo te, Tulli facundiſſime, quòd aurum mihi ſaluberrimè vellicas, & quæ hactenus cogitaveram nunquam, liberaliter mihi aperias. Sentire jamjam mihi videor, eccur rebus in antiquis ſemper hactenus rudis fuerim, utut in libris non penitus infrequens eſſem. Regiam videlicet per Numos easdem diſcendi viam non modò non tenui, verùm etiam nec equidem novi. Plurima quamvis ſuggerant Libri, ægrè

tamen tam multa tenentur: quod si proinde Numi, ut ais, Historiam, Ethicam, Politicam, atque Mythologiam oculis quoque subjiciant, vix quidpiam ampliùs præstat, ac Bibliothecis ejusmodi Gazophylacia non indiligenter adjungere.

TULLIUS. Sapienter admodùm judicas, & ferè plusquam mihi de te ad unum sermonem meum spoponderam. Perge, quo cœpisti, pede, & perbrevi itinere sapientiæ veteris adyta percurres. Quæ de Numorum præstantia tecum disserui, non jam amplioribûs exequor: reapse id senties, cùm, sinente te, Arculam tuam lustrabimus, &, ut tui, qui ibi delitent, Numi exposcent, de eis jucundiùs disseremus. Dignissimum utique arbitror, tempus cum tot Augustis Principibus, quos illi referunt, fallere, vultus eorum egregiè factos lustrare, elogia eorundem, Laconica brevitate contracta, ita evolvere, ut verbum subinde sive diverbium, quod nemo non Eruditorum in Quiritibus unicè amat, integram Panegyrin fundat. Nec sanè inutile nobis erit, quidquid domi militiæque egregiè egerant, æreis his in fastis descripta, tam pulchra tamque erudita in imagine contueri. Adspirabit nobis etiam Virtus, dúmque ex æquo laudata placebit, animos sibi nostros vi quadam arcana devinciet. Quàm deinde jucunda nobis erunt Religionis Augustæ deliria, tot deos, deasque referentia? Tum idololatris quidem usque adeò in sapientia sua desipientibus Christiana pietate compatiemur: totîs verò animîs DEO nostro jubilabimus, quòd purissimo Fidei lumine similem in mente nostra caliginem jam inde ab utero discusserit. Cæterum ipsæ pariter tenebræ in meridie palpantium animo nostro fabulîs non inconsultò natîs multifariam egregiæ cujusdam atque salubris disciplinæ lucem accendent. Pascent animam nostram, dum irritos Tyrannorum in primam CHRISTI Ecclesiam furores subinde commemorabimus, cœlestes Martyrum Triumphi: novas Pietati nostræ subdere poterit faces Religio sancta super tumulum nefastæ impietatis erecta, atque Crux CHRISTI à tempore M. Constantini in labarum erecta. IV.

Oppidò proinde comperies, hoc tuo thesauro & ingenium tuum erudiri, in quo tamen solo nequaquam sistendum, & animum allici ad Virtutem, & cor religiosè in DEUM sustolli. Quid ultra desideres? quid ampliùs homini, etiam si religiosus sit, eruditô & innocenti hoc otio expediat? quod utique longè super ludos & pocula, levesque jocos & fabulas positum est, quibus aliàs, pro dolor! benè multi irrecuperabiles horas creberrimè prodigunt. Nihil profectò in his est non modò fœx amusa, plebs inquam indocta, sed & vulgus litteratorum, quod in Senatu Eruditorum considere se jactat, dum Rei Numariæ studium, propi- V.

tiâ hodie Musâ longè celeberrimum, rabiem credit insanam. Sapiant illi; hìc omninò desipiunt: etenim jam dudum pervulgatum est illud: *Ars non habet osorem, nisi ignorantem.* Quod si Numos vestigarent aliquando, eorum curiosos haudquaquam præcoci sententia vel ad fabas damnarent.

VI. Qui in his benè gnavitérque institutus est, erudito in consensu doctîs, & in omni retrò historia probè subactîs discursibûs mel & ambrosiam omnibus loquitur: si natis plaudendum, aut parentandum denatis, seu honos, sive fortuna votiva quandoque exposcant obsequia, in Symbolis eam in rem à se conceptis, vel elogiis ubi ubi demum descriptis, penicillum & calamum à Quiritibus mutuat, Romanam veluti postliminiò restituit gravitatem, eruditionem spirare, reviviscere sapientiam facit. Contrà qui nihil in Numis sapit, admodûm sanè sibi timeat necesse est, vel à chartis illis parvulis, *Famæ* ad instar publicæ undique perstrepentibus, quas plerique nunc manu terunt docti simul & indocti novorum cupidi, in quibus multi etiam Viri Religiosi graviter profectò vapulant, quòd jam has jam illas publicis in solemniis Inscriptiones Arcuum, Symbolorum, atque Emblematum minùs è voto Rei Antiquæ peritorum confecerint. An rectè, viderint Authores: interim ita inibi vapulant, ut & ego quoque pro illis pudore suffunderer.

VII. Omnibûs itaque modis Author tibi sum, Publi dulcissime, ut, quem DEUS tibi thesaurum Numorum submisit, gratus teneas, eóque, dum liberale ingenium tuum adhuc præstantissimè viget, eruditè fruaris. Metes, vir postea factus, quod juvenis seres: brevi disces, quod in omni tibi vita expediet. *PUBLIUS.* Gratias tibi immortales, quòd hæc mihi calcaria tam potenter admoveas. Utinam hodie adhuc portas *Laconicæ Quiritum Sapientiæ*, id est, reconditæ in Numis omnigenæ Eruditionis, irrumpere liceret! Sed lentè nobis festinandum utriusque munera præcipiunt. Abitum, ut video, paras: cumprimùm verò licuerit, revisere te cupio. Vale, Tulli venerande. *TULLIUS.* Sed & tu salvus sis, Optime Publi.

DIA-

DIALOGUS II.

Quinam Numorum veteres dicantur, & quæ eorum diſcretio?

TULLIUS.

ADſum ex animi tui ſententia, Arculam tuam, ſin vacat, una tecum exploraturus, Publi lectiſſime, ut, quantum qualemque tibi Avus tuus theſaurum tranſcripſerit, luculentiùs diſpiciamus. Fac, pateant forula, Tabellas explicemus. *PUBLIUS.* Actum eſt, quod jubes: ipſi, puto, geſtiunt Numi, quod eruditos obtutus tuos ſubituri ſunt. *TULLIUS.* Benè utique habet cum ejusmodi teſtibus obſoletæ jam quaſi veritatis, ſi denuò in forum deducti, licèt muti, id tamen, propter quod editi olim in lucem fuêre, liquidìs edicere ſuffragiìs ſinantur. Verùm quid video? populum habes centenìs aliquot capitibûs conſtantem: attamen ſine ordine undique, ſine lege confuſum. Caput jam noſtri ſermonis indubiè eſſe debebit diſcurſùs de ipſa *Veterum Numorum* ratione, mole, qualitate, ordine, atque diſcretione. *PUBLIUS.* Quin imò hæc demum ipſiſſima ſunt, quæ ſi hodie me coram ediſſeras, rem mihi quàm jucundiſſimam feceris. Quid itaque primùm ſunt Numi? I.

TULLIUS. Plurimorum ſententiâ, etſi necdum apud omnes Eruditos illud in confeſſo ſit, Numi, præcipuè Quiritum, erant *Monetæ* eorundem *currentes*, uſui quotidiano atque inter ſeſe familiari procuſæ. Sed harum è numero eos excipias velim, qui vel palmari ſunt magnitudine, vel nimia præter morem ſoliditate denſantur. Hos etenim (vulgò dictos *Medagliones*) arbitrantur Rei Antiquæ Numariæque periti munerum duntaxat largiendorum, memoriæ item ac famæ ſingularis causâ ab Auguſtis decretos. Nôſſe nimirum te juvat, eam omnem ætatem, idololatriæ tenebrìs ſepultam, cùm DEO vivo & vero gloriam dare ignoraret, ſuo duntaxat nomini impenſè atque per omnia ſtuduiſſe. Porrò quoniam deſcripta in libris Majorum ſuorum decora cum blattis & tineis quotidie luctari cernebat: ſtatuas præterea & lapides, teſtes gloriæ ſingulos atque unicos, temporis injuriâ etiam tandem perire animadvertit: Numos cùm aureos, tum argenteos, potiſſimùm verò æreos, quibus in alium uſum II.

 conſlan-

conflandis Avaritia non admodùm insidiaretur, tabularum locò elegit, in quibus elogia sua, nunquam intermoritura perennitate, posteris transcriberet. Hi namque magnô numerô cuduntur, in omnem terram deportantur facilè, & humi quoque defossi, post multa tamen sæcula iterum iterúmque reperti reviviscunt. Ex quo facilè consequitur, quòd nec punctum nec apex in Numis veteribus industriâ atque ingenio vacet, & quàm congrua sint illi suppellex, ingenium suum cum fructu exercendi.

III. *PUBLIUS.* Mira pro vanitate solertia, quam æmulari Christianos pro pietate decet. Sed annè *Numorum* nomine apud Authores omne veteris monetæ genus accipitur? *TULLIUS.* Accipi utique potest, atque cùm apud Hebræos, tum apud Arabes, tum apud Punicos, cæterosque plurimos populos suo signati idiomate Numi reperiuntur. Verumtamen communi ferè jam omnium phrasi Græcorum duntaxat atque Quiritum ærea monumenta in gazophylaciis antiquis quæruntur. Et Græci quidem Numi Romanis, ut vetustate, ita & specie atque elegantia magnoperè præstant. Graja namque sapientia, cum gente ac terris suis à Quiritibus tandem subacta, Romanam parturiit: cùm antea, quotquot extra Græciam gentes inundârant, *barbararum*, puta, indoctarum nomine censerentur. Quocirca & Gentium Doctor Romanis scribens ajebat: *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Non exiguæ deinde rebantur laudis argumentum Romani, si Victores cum victis saperent, Græcámque & linguam, & artem, & sapientiam callerent.

Rom. 1. 14.

IV. *PUBLIUS.* Pauca nobis, ut reor, de Græcis differenda sunt Numis, quorum gaza mea vix aliquos numerat. Edic ergo, quandonam Romæ signari Moneta occœperit? *TULLIUS.* Rem arduam postulas, ac curiosam magis, quàm Numis pernoscendis opportunam. Opinionibûs stant cuncta hic omnia: id verò constare passim videtur, Romanis sub Regibus Monetæ aureæ atque argenteæ signandæ cùm artem tum usum Romæ ignorata fuisse. Numi Argentei A. post U. C. 384. Aurei 546. cœpere: de Æreis certa, quæ afferam, non habeo. *PUBLIUS.* Sed unde demum Numis præconium Antiquitatis asseritur? *TULLIUS.* Optimè sciscitaris: ego verò multorum diversum ob sensum gustúmque ægrè iterum tibi respondeo. Dantur *Consulum* Numi, sive *Familiarum*, eo tempore cusi, quò Roma Consulibus paruit: & hi quidem Cæsareis vetustiores sunt: quibus tamen non pauci sub ipsis Impp. cusi adduntur, Cæsare præsertim, & Augusto. Imperatorum Numi, si iis, quos propriè *Modernos* dicimus, trium videlicet Sæculorum nostrorum,

contra-

contraponantur, omnes *Antiqui* censeri queunt, etsi ad Sæculum usque XV. excurrant, ante cujus medium Turcæ Constantinopolim sedem Imperii Orientalis diripuêre. Antiquarii tamen multi Numos solummodo florentis Romani Imperii à *Jul. Cæsare* ad usque *Gallienum & XXX. Tyrannos*, nomine verè *Veterum* dignantur: alii ad tempora *Constantini* progrediuntur: alii ad *Heraclium*, alii ad *Romulum Momyllum*, per jocum *Augustulum* dictum, cum quo corruit Imperium Occidentis: alii omninò usque ad *Carolum M.* procedunt. Optimè ferè agitur, si series Cæsarum in Numis cum *Theodosio M.* & filiis ejus *Arcadio* atque *Honorio* una cum Sæculo IV. finem sortiatur. Reliqua etenim Monetarum fœx plerúmque crudissima est, nec arte nec ingenio curam promerita.


PUBLIUS. Quid verò in Arcula mea sibi vult moles Numorum & magnitudo adeò diversa? *TULLIUS.* Magnitudo triplex in Numis statuitur, quemadmodum & metallum. Ut hoc postremum priùs expediam, Aurei Numi, Argentei, atque Ærei exstant. Argenteis à quibusdam accensentur Numi variis è metallis commixti, parum admodùm argenti possidentes, albi tamen utcunque: item argentô, de industria, & mox ab initio, solummodò tincti, quibûs argentei supplentur. Æreorum nomine omnes reliqui veniunt, sive ex cupro, sive ex orichalco, vel utroque permixto, æréve Corinthiaco constent. Ubi non indiligenter animadvertas velim, æreos plerúmque deditâ operâ varii coloris pigmentô tinctos fuisse, solido valde constanti, quod ferreo etiam stilo admoto ægerrimè cedit, tenue nihilominus, & neque subtilissimas litteras obtegens. Factum id prohibendæ æruginis causâ: ejusmodi itaque Numi, si mundi sint atque integri, longè venustissimi comparent, jam viridi, jam nigro, jam castaneo colore insignes. Corinthiaci porro æris origo erat Corinthus Urbs opulentissima, à Romanis vastata, atque igne succensa, in qua æstu incendii multiplicia metalla liquata, atque rivulorum ad instar hinc inde confluentia, æri inde commixto nomen dedêre. Qui jam Numorum duntaxat possessione, elegantia, atque nitore gloriari, nobilisque ac pretiosæ gazæ famam noménque aucupari desiderant, ut maximè sollicitè cavent, ne sua in serie Numorum metalla commisceant, aureisque argenteos, vel contra, aut æreos utrisque intersérant. V.

Pariformiter iidem vitio non modico deputant, inæquales magnitudine aliquando juxta se ponere. Alii siquidem Numorum *magni*, floreno ferè commensi, alii *medii*, ad septendenarium prope accedentes, alii *parvi* septenarium ne quidem æquantes, & quotquot dein hac à mensura quomodocunque recedunt, appellitantur. Sæpè tamen non tam spatia Numi, quàm capitum robur, aut contrà gracilitas solet attendi. *Magnis* VI.

pretium

pretium & æstimatio ab elegantia accedit, formisque elatis: *medii* avidè quæruntur, ob partium reversarum tam multimodam varietatem: *parvis* denique, imò *minimis*, a lapsu potissimùm Imperii, necessitas patrocinatur, cùm magni, mediique tum temporis rarò admodùm prodierint. Summa tandem Numorum curiosos urget sollicitudo, ut ne *genuinos* inter, quantumlibet affabrè recenti à cælatore *fictus* irrepat: deinde, ut cujuslibet metalli, ac magnitudinis, *rari* & exquisiti, non *communes* solùm atque obvii sua in arca divertant.

VII. E converso cui è Numis *Laconicæ Quiritum Sapientiæ* prima duntaxat *Rudimenta* addiscere animo sedet, illisque eruditè, non tumidè frui, ejus parùm admodum interest, cujus tandem metalli vel molis monetas obtineat, cúmque genuinas assequi nequeat, recenti arte conflatas interim non respuit omninò, modò verorum ad modulum fideliter redditæ, nec purè in gratiam sine vero quopiam prototypo fictæ sint. Hoc, optime Publi, probè te animadvertere velim: in tuis etenim Numis complures ego pullos suspicor, recentibûs ovîs & annîs exclusos. *Laconicam* nihilo seciùs *Quiritum Sapientiam* utiliter tibi ex iis atque fideliter, quantum tironi sufficere poterit, prælegam. *PUBLIUS.* Quàm multa mihi gratissimo hoc Dialogo Numariæ rei arcana jam reserâsti, quæ memori mente tenebo: libera porrò cæteram fidem, quàm dederas, & ex asse me tibi devinctum perpetuò habe. *TULLIUS.* Ego propè hæc cuncta ex præclara *Introductione in cognit. Medall.* Viri plurimùm Rev. P. Ludov. Jobert, Societ. Jesu, tibi suggessi: quem proinde una mecum pro dignitate revereare.

DIA-

DIALOGUS III.

Finis, Methodus, atque Partitio Operis.

PUBLIUS.

NOctem propè insomnem produxi, irrequieta Prælectionum tuarum speculatione absorptus, Tulli Honorande. An porrò hodie me Pallas beabit, ut aliquot ex arcula mea bellaria, te interprete, dulciter prægustem? *TULLIUS*. Nihil equidem jucundius Magistro præ fame sitique discipuli, quam ille utramque ad discendum quotidie affert. Frænô attamen opus est, quoties idem extra orbem, & ordinem saltat. An retines adhuc, cujus te nuper commonui, Numos videlicet tuos sine lege & ordine jacere? De methodo itaque præ omnibus cogitandum est nobis, qua eosdem è re captúque tuo quàm optimè disponamus. Sustine hanc insuper diem, suasque aviculæ plumas indulge: his etenim non expedita, qua, obsecro, fiducia leves auras secabit? Tria hodiernus te sermo meus adhuc prævié doceat, necesse est. Primùm: cur nova te institutione erudiam, nec veterano cuipiam te Magistro remittam? Deinde: qua methodo hæc Rei Numariæ Rudimenta prælegere tibi cogitem? Postremò tandem: quo ordine Numos tuos tibi exponere consultò, ac præter solitum morem, apud memet statuerim. *PUBLIUS*. Parce præcoci Sapientiæ Veteris amori: de reliquo, quod utilissimum tibi videbitur, tutò mecum exequere. I.

TULLIUS. Benè est: principiò latere te nolim, haudquaquam me fugere, quàm summos hæc Ætas nostra, scientiis nata, Rei Numariæ Vestigatores publicis legat in typis, quos nullum Vetustæ Eruditionis genus alicubi præterit: quales sunt: ANTON. AUGUSTINUS: PATINUS: VAILLANT: OCCO: MEZZABARBA: GEVARTIUS: BANDURIUS: SPANHEMIUS, aliique quamplurimi, suis quisque elogiis Illustrissimi. Atque hi omnes, ut voluminibus suis maximè egregiis congruam, dignam, amplamque supellectilem longè lateque conquirerent, undequaque exploratis diversorum gazis, imò & inspectis Regum atque Principum thesauris, suo sese operi, divites jamjam rerum & locupletes II.

accinxerunt. Verum enimverò aut vasta nimis sunt eorum volumina, atque adeò simul & pretiosa, neque passim omnibus obvia: aut prætermissis illis, quæ prima in hoc genere atque minora sunt, ardua tantùm ac difficilia versant, sublimî quidem per omnia ingeniô, stilô tamen pro tironibus aut nimis succinctô, vel certè contra nimiopere diffuso. Quare usum eorum (tametsi æris inopiam omninò dissimulem) cum temporis brevitas, tum ipsa Elementorum ignorantia necdum depulsa, à te, tuique oppidò multis similibus longissimè prohibent. In me itaque, siquidem id amplissimè poscis, hoc recidit saxum, ut *Laconicam Quiritum Sapientiam*, quæ in Numulis tuis delitet, commodùm tibi atque facillimè pandam.

III. *Laconicam*, inquam, *Quiritum Sapientiam*, quam unam à me flagitas. Non porrò vel regulas tibi vel canones tradam, Numos veteres comparandi, explorandi, collocandi, interpretandi: exemplîs duntaxat rem omnem exequar, neque æs, neque molem magnoperè moratus: modò, quam breviter quam exquisitè Quirites tum elogia Imperatorum, cum facta magnifica in Numis suis extulerint, utcunque intelligas. Haud spondeo tibi plenam atque integram omnis, quam omnes undique Numi recondunt, Sapientiæ cognitionem ingerere, & ænigmatum quorumvis perfectum te quodammodò Oedipum efficere. Res tibi prorsus angusta est domi: præibo, qua Numulis tuîs vulgaribûs insequi me, & assequi poteris: imò quo sponte nos illi conducent, ac veluti digitum intendent. Tuâ itaque perexiguâ cymbulâ vectus, altum non subeo, nec in fluctus eandem & scopulos propello: hærere tecum in litore & curta supellex tua, tempúsque præprimis apud me arctum cùm suadent mihi, tum imperant. Nequaquam itaque alios, præterquam quos arcula tua suppeditat, Numos in medium proferam, ut, ipso utriusque oculo teste, de singulis arbitremur. Nolim imos Historiæ fontes te coram, & abdita Mythologiæ vestibula perrumpere: non expedit, paginam omnem scriptoribûs onerare: non libet æternas Doctorum lites in medium provocare. Assurgo potiùs communibus Eruditorum placitis, tritîsque jam viis tecum festinus incedo. Operæ pretium erit, latentem tuis in Numis thesaurum ligone nonnihil & sarculo tentare: esto; haud teneamus; fodere tamen nihilò seciùs proderit.

IV. Ast, ne cum sonitu verbi tua simul, atque mea industria leviter pereat, Numos tuos, ut reperero, penicillô aliquot in Tabellis exscribam: tu dicta mea futurum in usum tuum calamô excipe. In quo id mihi fiduciæ dabis, ut Numos tuos tantoperè inæquales pari ferè omnes magnitudine,

dine, non ſine Eruditorum exemplo, depingam. Nec etenim Symboli notio, quam unam inquirimus, à Numi magnitudine tantoperè pendet, ut tutò eam diſſimulare ſine nimia Religione omninò non liceat: quin potiùs grandioribûs lineîs ductæ ſubinde imagines, vel characteres deſcripti, præ minutis atque puſillis, oculos tuos atque animum faciliùs juxta multóque jucundiùs imbuent.

Supereſt modò, ut Ordinem jamjam decernamus, quo Numos tuos primùm collocabimus, collocatos deinde pari ſucceſſu contemplabimur. Præcurrant PRÆLUDII locò pauculi, quos poſſides, *Græci*, qui tamen ad Impp. non pertinent: *Conſulum* item, aut *Familiarum* æquè pauciſſimi, utraque ſui facie expreſſi, ne utrorúmque omninò ignarus ſis. Quibus inſuper addentur Numi *Communes* Urbis Romanæ. Reliqua VI. PARTIBUS diſpertiemur. I. Mera redhibebit *Capita Auguſtorum* à JULIO ad usque ARCADIUM, & HONORIUM, jugi Principum, qui tibi ad manus ſunt, ſerie, cæterîs prætermiſsîs. APPENDIX erunt Vultus Auguſtarum, eorúmque, qui Cæſaribus aut ſanguine, aut neceſſitudine proximè conjuncti fuêre. Atque in his omnibus, dum Titulos eorum exponens breviter verſabor, hiſtorias tamen ac vitas exactè non texam, minùs verò rigida Criſi calculos uniuscujusque Chronologicos, quod ad Laconicam Numorum Sapientiam non pertinet, operosè ſubducam. Cæteræ porrò PARTES ad unam omnes oppoſitas ſolùm capitibus formas redhibebunt. V.

PARS itaque II. ea contuenda objiciet, quæ ad *Politicam* Auguſtorum *Gloriam* quidpiam conferre videntur, domi partam: puta: *Virtutes*, *Adoptiones*, *Liberalitates*, *Ludos &c.* III. *Bellicam* Imperatorum *Gloriam* pandet, à *Legionibus*, *Fide* ac *Concordia militum*, *Victoriis*, *Elogiis* earum ac *Præmiis*, atque *Commodis* profectam. IV. *Religionem* afferet Auguſtorum, *Deos*, *Deásque*, *Templa*, *Sacrificia*, *Pontificum ſupellectilem.* V. *Populi* in Principes *Studia* recenſebit, *Vota* nimirum *Imperii*, *Salutis*, *Profectionis*, *Adventûs.* VI. Demùm ſola nefaſtæ *Conſecrationis* monumenta ſubjunget. Chorum EPILOGI in vicem ultimò ducent, ſi quidam tibi fortean ſuppetant, Numi *Coloniarum*, ac *Urbium*. VI.

Melius utique hic tibi Ordo proficiet, ut Veterum Quiritum Sapientiam veluti compendiô teneas, quàm ſi omnes unius Auguſti Numi perpetua thematum confuſione, titulorum, atque Actionum, ſeſe juxta conſequerentur. Uno obtutu diverſa hauries ſchemata, quibûs Romani VII.

Felicitatem Reipublicæ, *Securitatem*, *Virtutem*, & id genus cætera, oculis ſubjiciebant. Agedum itaque, veteris Sapientiæ amiciſſime Publi, eidem, ſi lubeat, quantúmque par eſt, ſedulum te diſcipulum ſubde. Miraberis ſanè cenſum illum egregium, qui à Numis tuis vetuſtate ſordidis, ærugine exeſis, ſed arte, ſed ingenio longè præſtantiſſimis, animo tuo tam omni ferè ſine tædio, imò tam opipara cum voluptate cumulatè accedet. Licebit exinde multa in rem tuam commoda derivare, ſive olim ſuggeſtum conſcendere te oporteat, ſive tempus cum amicis familiariter fallas, ſive Laudes aut vivo, aut defuncto percenſeas, ſive tandem Vitæ etiam tuæ rationes tacita tecum meditatione inire volueris. Magnâ hodie mihi denuò patientiâ auſcultâſti: cùm proximè confabulabimur, quàm mox ipſis à Numis, ex Arcula tua extractis, quod unicè flagitas, initium ducemus: quorum interim ego Tabellam tibi I. depingam.

VIII. *PUBLIUS.* O Tulli venerande, ſi memet tibi reddidero, parum eſt. Noli metuere, ne tanti labores, quos meo tu commodo ſuſcipis, tibi leviter pereant. Quidquid propitiô DEO, teque Magiſtro in Re Romana ſapuero, æternùm tibi apud omnes debebo. Tabulas verò tuas, &, quas ego calamô excipiam, Prælectiones publici ſuo tempore juris certò certiùs facere connitar. Facilè namque mihi perſuadeo, quamplurimos eſſe, qui una mecum *Rudimenta Laconica Quiritum Sapientiæ* methodô tam facili, támque opportuna nanciſci etiam atque etiam vehementiſſimè cupiant.



PRÆ-

PRÆLUDIUM
Ad
Laconicam Quiritum Sapientiam:
Sive aliquot
NUMI GRÆCI,
Qui ad Imperatores non pertinent:
Item
CONSULARES,
Sive Familiarum Romanarum:
Nec non
Communes
URBIS ROMÆ.
Senatûs, ac Populi.

NB.

Characteres in Tabellis sic legendi:

NA. Numus Aureus.

AR. Argenteus.

Æ. Æreus.

T. Tyricus, seu idea Numi è plumbo, aut gypso.

M. Numus magnus.

m. medius.

p. parvus.

m. minutus, seu minimi moduli.



DIALOGUS I.
De Numo ALEXANDRI M. Macedonum Regis.

TULLIUS.

UT proprio Marte veteres Numos facilè quis vestigare, atque feliciter queat, arte magna, plurimáque rerum cognitione est opus: quam ipsam subesse vereor apud plurimos causam, quòd eos Numorum cura tam exigua tangat, & ab aliis suscepta iisdem stomachum moveat. Veneranda hæc temporum tam longè retro nos positorum monumenta, sine Historiæ cùm Græcæ tum Romanæ exquisita notitia, & utriusque pariter idiomatis usu egregio, se intuentibus ænigmata sunt obscurissima, Gordii quidam nodi tantùm non insolubiles. Quæ idcircò hodie, Publi lectissime, rursum ante te proloquor, ut intelligas, penitus à vero te aberraturum, si Numos tuos intuens arbitrareris, Cælatorum tantùm licentiâ, ut in aliis Pictoriæ, Sculptoriæ, Fusoriæ, Statuariæ artibus hodie fit, imagines jam isto, jam illo cùm sitûs, tum ornatûs, & habitûs cultu gratæ duntaxat varietatis causâ effictas fuisse. Curiosè omninò Numi versandi sunt, & nihil in iis otiosum putandum est illi, qui Laconicam Veterum Sapientiam hiscè ex tabulis tutò legere cupit. Omnium causam requirere atque excutere opus est rerum & litterarum, quas Nomismata referunt.

Pauci porrò sunt hodie in vulgo litteratorum nostrorum, qui gnava historiæ cognitione, quæ sanè solis è compendiis obtineri non valet, aut idiomatis Græci peritiâ clareant: inter juvenes verò Academicos penè nulli. Annè autem propterea à Rei Numariæ studio hos omnes quis arceat? minimè II.

minimè gentium. In id tantummodo, qui ejusmodi sunt, concedant, ut nihil aliquando in Numis sine probis solidisque magistris nimiâ quadam & inconsultâ fiduciâ statuant. Quæ eis occurrunt, Monetas in Libris exquirant, ut, iis inibi deprehensis, atque disertè illustratis, voluptatem illam deinde saltem consequantur, quam primo cum Numi obtutu hausissent, si historiæ ejus jam tum gnari fuissent. Esto, operosum nonnihil hoc atque difficile initium sit; erit paulò pòst, ut, pauculis Numis cum labore vestigatis, aurora eis illucescat, multosque postea similes simplici mox visu pervadant.

III. Sed longior denuò, ut video, hæc tibi Præfatio est, Publi optime, tuaque in facie, quam ad Numos ipsos lustrandos veluti ardeas, lego. Ne itaque tuâ ego patientiâ nimium abutar, ecce tibi Tabulam I., & in ea Numorum tuorum Græcorum Decadem I. sanè non incuriosam, & ex integro ferè Regiam, à me fideliter pictam. *PUBLIUS.* Cum osculo eam recipio, cèu primitias humanissimi in me officii tui, Veneran de Tulli: ardeo utique lustrandorum Numorum cupidine, quam equidem flammam in me vehementer accendere tu nunquam hucusque desiêras. *TULLIUS.* Post Tabulam ipsos etiam accipe Numos, qui, si æris unius essent, hoc à te ordine, quem eis in Tabula statui, Arculæ tuæ reponi deberent. Quoniam autem argentea partim est tua supellex, partim ænea, geminum ordinem instrue, ne fuscus nitentem inficiat. Porrigo tibi præterea jam nunc typos aliquot plumbeos rariorum quorundam Numorum, quos cave, ne abjicias, sed locô postremô recolloca.

IV. *Tab. I. Num. I.* Initium porrò vestigandi à Numo ALEXANDRI M. Macedonis, apud te æreo & medio, quem primùm depinxeram, jam facere libet. Nonnè monstro deputas caput hominis capite altero leonino superindutum? *PUBLIUS.* Omnino: sed subitò mihi occurrit, sæpius me Herculem ejusmodi pelle vestitum conspexisse: quoniam nimirum, ut arbitror, leonem Nemeæum prostravit. *TULLIUS.* Appositè arguis: etenim Alexander, ut nôsti, Macedonum erat Tyrannus longè latèque celeberrimus. Macedoniæ autem Reges ab Hercule se originem trahere nimioperè jactitârunt: quare capita sua cum pelle Leonis excudere solemne habebant, eâdem fideliâ Herculis gloriam sibi, suamque Herculi tribuentes. *PUBLIUS.* Placet hoc admodùm: sed Alexandrum quamobrem Macedonum Tyrannum supra ajebas? *TULLIUS.* Curiosè satis, Publi, sed optimè. Politicæ Canon est, eum, qui suo in Regno, ad quod eligitur, summam solus & unicus obtinet potestatem, *Monarcham* dici, si subditos sibi populos ad legum atque Justitiæ normam moderetur: *Tyrannum* verò, si in provincia, ferrô sibi subjecta, sola stet

ei

ei pro ratione voluntas, & ſummum apud eundem jus ſumma injuria ſit.

V. Sed nota jam in vultu juventutem, item collum quaſi recline. Paſſim cùm Poëtæ tum oratores *Pellæum Juvenem* vocitant Alexandrum, ab Urbe Macedoniæ, *Pella* nomine, in qua lucem adſpexiſſe creditur, Anno Mundi 3689. Victorias ſuas mox ab anno 15. inchoabat, & conſummavit cum vita Anno 3731. ut adeò vix benè quadragenarius obîerit. Reclinata capitis Cervix in omnibus propè Numis Alexandri, ſive exuviîs leoninîs, ſive diademate, ſive corona ornetur, nota ejusdem eſt ferè perpetua: *Collum* namque *in ſiniſtram flectere conſueverat*, teſte *Plutarcho*, apud Clariſſim. *Patinum.* Atque hæc *pectoroſa cervicis repandæ oſtentatio* (quæ phraſis eſt Plinii) *ſuperbum animum & laſcivientem indicat, qualis Alexandri fuit*, addit laudatus *Patinus.*

Patin. in *Num Impp. med. æris p.* 9.

VI. Verte jam Numum. Quem tu Virum conſidere hìc putas cùm ave & haſta ſeminudum? *PUBLIUS.* Fatear enim, ignoro. *TULLIUS.* Sed ſi Avem Aquilam eſſe tibi edixero? *PUBLIUS.* Jovi ferè ſemper hæc volucrum Regina tribuitur. *TULLIUS.* Acu rem tetigiſti: Jupiter hìc ſedet, ſupremo corpore nudus; cùm ad innuendam Deorum immortalitatem, cui nulla injuria, propter quam nos equidem veſtimur, nocere queat: tum, ut favens atque propitius compareat; id enim pectus apertum apud veteres teſtabatur. A lumbis tamen deorſum contegitur ſindone: quoniam, de DEO quod novimus, merum propè ænigma eſt, nec niſi poſt parietem viſitur. *Haſta pura*, quam geſtat, ſceptri locum ſubiit apud Antiquos, & Symbolum erat divinæ in hæc infima poteſtatis: ejus tanta erat religio, ut quibus idolum deficeret, Haſtam adorarent. *Aquila* Jovis perpetua comes erat: fingitur enim, eandem, cùm is ex inſula *Naxo* contra Titanas proficiſceretur, atque ſacra in littore faceret, ſubitò advolâſſe, Joviqueque Auſpicium feciſſe ſequentis victoriæ: quare Aquilam bono omine acceptam tutelæ ſuæ ſubjecit. Imò dum actu in Gigantes pugnaret, ampliùs comminiſcuntur Poëtæ, Aquilam triſulcum ei fulmen miniſtrâſſe: cui fingendo anſam dederat, quòd principem hanc volucrem fulmen non lædere vulgò credatur, Vatum de ipſo Jove miſero ſuo omnipotente mendacia alteri loco reſervo.

Sam. Pitiſcus Lex. Antiquit. Rom. verbo: Aquila.

VII. *PUBLIUS.* Sed quare Jovem Alexander in Numo ſuo expreſſit? an præcipui duntaxat cultus teſtimonio? *TULLIUS.* Amplius aliquid diſce. Animadvertit *Patinus*, Olympiam, conjugem Philippi Maced. Alexandri matrem, confeſſam eſſe Viro ſuo, Serpentem ſibi cum voluptate adfuiſſe, ex quo gravida facta ſit. Hic rumor cùm ſubſequìs annìs ad Alexandrum jam bellô illuſtrem pertigiſſet, extemplò ille, ut ſumma ambitione

bitione fuit, Jovem se patrem habere, qui formam serpentis induerit, apud omnes vulgabat. Quare superbus hic Rex illa Numi imagine divinam, si superis placet, Genesin suam posteris transcripsit. Atque hinc etiam est, quòd in plurimis Numis ejus honori procusis serpens notetur: quemadmodum in aliis leo, quoniam Olympia suprafata somniâsse insuper fertur, uterum suum annulô signatum esse, cui Leo insculptus erat: quod harioli & graviditate interpretati, filium eidem leoninæ magnanimitatis prædixêre. Jam, lectissime Publi, *Legendam* mihi recita, sic enim, quæ in Numis circùm, supra, vel infra, decussatim, vel verò dextrorsum aut lævorsum scribuntur, appellari consueverunt: quæ porrò totam Numi Aream implent sine imagine verba, *Inscriptio* audiunt. *PUBLIUS.* Hæret omninò aqua: characteres enim Græci sunt. *TULLIUS.* Ego legam: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, i. e. ALEXANDER. *PUBLIUS.* Adhuc sub dextro Jovis brachio, quo Aquilam sustentat, ignotum mihi signum est, aut monogramma: quod illud? *TULLIUS.* Ejusdem ego ipse Oedipum posco. Eruditissimus *Goltzii* in Græciam majorem Commentator, *Ludov. Nonnius* infit, Loci, in quo cusus est Numus, id indicem esse, quem tamen ipse ignorat. *PUBLIUS.* Quàm multa egregia neque inutilia unico ex Numo, te Magistro, intellexi. Sed unum adhuc, obsecro ex te quærere liceat. Putas, hic Numus Alexandri vidit ætatem? *TULLIUS.* Ne quid apud te verum dissimulem, haud adeò antiquus mihi videtur. Nôsse tamen te velim, quod me Illustriss. *Spanhemius* docuit, tanti Regis memoriam *apud Macedonas* (imò & apud Quirites) *sequutis adhuc ætatibûs non in Numis solùm, sed & in omni pretioso monumentorum genere renovatam esse.* Adducit eam ipsam in rem testimonium *Trebellii Pollionis*, cujus effatô in Macriani Imp. familia receptum omninò fuerat, ut *Viri in annulis, mulieres in omni ornamentorum genere insculptam semper habuerint Alexandri effigiem.* Os insuper aureum D. *Chrysostomus* idipsum non obscurè confirmat, alicubi sciscitans: *Quid verò diceret aliquis de his, qui incantationibûs & amuleîis utuntur, ac de circumligantibus capiti vel pedibus Ærea Alexandri Numismata?* Sufficiat tibi, ipsum hunc Numum tuum à *Goltzio* pingi, à *Spanhemio* commemorari.

Oper. Goltz. T. III. p. 179.

De Utilit. & Præstant. Num. T. I Dissert. VIII. p. 381.

Pollio in Alex. Sev. c. 5.

Homil. XII de Statuis.

VIII. Forsitan autem Alexandri etiam à me historiam desideras? Omnium is ore ut rapidum quoddam fulmen, orbemque universum concutiens celebratur. Princeps erat, quo vincente, ut ipsa perhibet *Scriptura Sacra*, stupore attonita, *siluit in conspectu ejus universa terra.* Hic Vir hic est, qui Darium Codomannum iteratis ad usque internecionem præliis conficiens, eóque circa An. M. 3744. extincto, super Persicæ tumulum

1. Mach. 1. 3.

Græ-

Græcam erexit Monarchiam: qua tamen sex tantùm, non ampliùs, annîs gavisus est, cùm gratulantibûs sibi tot triumphos omnium ferè Principum Legatis, inter luxum & epulas interiît. Dicerem tantum Orbis domitorem, quem Mars velut ipse pertimuit, ab inermi Lyæo pessumdatum; nisi *Nonnius* tueretur, ab Antipatro venenum ei per ephebos ac pocillatores porrectum esse. Cætera apud Curtium require. *PUBLIUS.* Quantum non sermonem de unico Numo protraxisti, Venerande Tulli? liquet jam mihi, in Numis quid lateat, quámque patentem illi explicent campum, in vetusti temporis monumenta penetrandi. *TULLIUS.* Nimirum nihil adhuc benè in Re Numaria sapis: idcircò singula coram te, etiam minuta, percensenda sunt. Verumtamen fidelî hæc memoriâ retinere satage, & multa deinceps paria vel verbulô tibi oggerere sufficiet. *PUBLIUS.* Agam sollicitè, quod mandas, &, siquidem hodie à te proposita calamô jam sustuli, iterum iterúmque in animum meum demittam.



DIALOGUS II.

De Numis LYSIMACHI, Thraciæ Tyr. & HIERONIS I. atque AGATHOCLIS, Regum Syracusanorum.

TULLIUS.

QUemadmodum Græciam omnem, Persiam, atque Mediam, armîs ceu spolia corripuit Alexander: *Pertransiit enim usque ad fines terræ* (infit Scriptura) *& accepit spolia multitudinis gentium:* ita ad extrema subitò deductus, cùm liberos non haberet, *vocavit pueros suos nobiles* (Duces inquam suos) *qui secum erant nutriti à juventute:* hi verò *imposuerunt sibi omnes diademata post mortem ejus* Atque in his certè non postremus LYSIMACHUS: cujus jam Numum porrige Ima, *in Tab. IIdum.* dignissimum visu, mi Publi, ut ejus

I. 1.*Mach.* I. 3.

Tab. I *Num. II.*





ejus mysteria capias. *PUBLIUS.* O Numum mihi pretiosissimum, & Alpha reliquorum! Ex Auro mundissimo est, ejusque omninò, ut pinxisti, magnitudinis, decem præterea solidîs gravior. *TULLIUS.* Non ista sunt capita laudum, à quibus Viri cordati Numum commendant: non Aurum, sed littera & imago erudiunt. Metallo pretium statuant, quibus *Auri sacra fames*, ut cecinit Vates, sordidos Avaritiæ compedes injicit. Interim non abnuo tamen, quemadmodum

Gratior est pulchro veniens è corpore Virtus:

ita & Numum aliunde egregium, si Aurô præterea, sive Argentô refulserit, digniùs omninò mereri, ut furno & aurifabris ereptus, erudita in gaza deliteat. Ego porrò idcircò non modicè gaudeo, hoc te Numô ditari, quia integerrimus est, nullúmque ferè tam diuturnæ ætatis vitium passus: ut adeò in eodem Græcæ, quam supra laudaveram, in Numis procudendis industriæ artisque peregregiæ illustre quoddam sepecimen capere queas.

II. Nostin' verò, cujus sit hæc imago, atque superscriptio? Vir sanè est juvenis atque decorus, quem refert Numus, neque tamen molliter speciosus: Lysimachus creditur esse vulgò, etsi, teste *Nonnio*, suspicentur multi, per Lysimachum non suam hic, sed Alexandri effigiem signatam esse, cujus bellô clarissima Virtus ita omnes affecit (quod jam Dialogo priori commemoravi) *ut imaginem ejus secum omnes deportare vellent, ac Principes æquè boni ac mali facta Alexandri æmularentur.* Singulare est in hoc capite *Diadema*, seu *Fascia* circùm tempora ligata, Regium ætatis illius Insigne, coronæ subiens vicem. Hoc Regibûs suîs exactîs ita odêre Quirites, ut Julio mortem accelerârit laurus fasciîs albîs intertexta, quam ei Antonius, aut Familiarium quispiam imponere tentabat: Pompeio item crimini datum sit, quòd crus obvelandi duntaxat causâ fasciâ ligaret: *Haud etenim refert*, ait *Favonius*, *qua quis parte diadema deferret.* Neque minùs curiosum est *Cornu Arietinum* è capite excrescens, cujus originem Ill. *Spanhemius* refert ad *Ammonem* seu *Hammonem*, Lybiæ Regem fortissimum, qui Galeam suam in bello Cornu Arietino insignivit, quémque postea Lybica superstitio ceu Jovem coluit capite cornuto. Cùm porrò Alexander Jovis filius haberi vellet, Hammonis cornu capiti suo affingi voluit, quæ vesania plurimos post eum Reges (ut lepidè eos suggillat *Tertullianus*) perperit *de Ariete cornutos.*

Ad Goltz. T. III. p. 149.

Reusch. ad Gemm. Eberm. p. 133.

Spanh. T. I. Diss. VII. p. 133.

Tertullian. Apolog. c. 16.

III. Esto autem, Lysimachi hæc facies non sit, Numus tamen indubiè illius est, quemadmodùm liquidum reddit hæc *Legenda.* *PUBLIUS.* Me,

Me, obsecro, eam legere sine: hesterno namque sermone tuo illectus, Tabulam interim litterarum Græcarum elementarem non indiligenter adspexi. *TULLIUS.* Macte animo, Publi: quoniam ad Numos tam benè te comparas, brevì magister eris. Audiam: lege ergò. *PUBLIUS.* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *TULLIUS.* Probè omninò, sed Latio etiam idiomate redde. *PUBLIUS.* Ultra litteras progressus non sum: necdum penetro nomen: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *TULLIUS.* Rex, aut Dominus hac voce apud Grajos effertur, ut adeò reddenda sit *Legenda:* REX LYSIMACHUS.

An porrò etiam Deam in Numo considentem agnoscis? *PUBLIUS.* Palladem alias galeatam cum hasta ac clypeo pingi existimo. *TULLIUS.* Rectè divinâsti: verumtamen quid in clypeo notas? *PUBLIUS.* Ni fallor, Medusæ, seu Gorgonis caput, crinium locò anguibûs horridum. *TULLIUS.* Et hoc præclare: Ægidem enim suam Pallas Perseo fingitur aliquando tribuisse, qua ille munitus, Medusam occidit, atque caput ejusdem vipereum, quod intuentes in saxa convertere sueverat, clypeo inseruit. *PUBLIUS.* Ut quid verò Dea gentilis dextrâ Angelum sustinet? *TULLIUS.* Hìc demum lepidè sentis. Victoria parvula est, non Angelus, quam hilaris Dea ostentat: quæ insuper acto veluti triumphô quiescens, cubitô super clypeum reclinis, hastam inversam tanquam otiosam intra genua demittit. Colossos triumphales quodammodo subeunt victoris tituli, utroque ex latere decussatim descripti. *Victoriam* verò, de qua alibi latiùs, *Famæ* instar veteres cum alis pinxêre, cujus videlicet rumor in omnem se illicò terram celerrimè cum laude diffundit: plerumque ea lauream gestat, & palmam, hìc tamen omissas, aut fortè attritas. IV.

Quæris autem, quid Palladi cum Lysimacho negotii fuerit? Eam quidem & Belli, & Artium Præsidem dudum nôsti: Lysimachum verò ex utroque Cæsarem crede. Cùm namque Alexander Callysthenem Philosophum, antea sibi in paucis dilectum, deinde ob perduellionem non proditam truncatis auribûs, naribûs, ac labiis, una cum cane caveæ inclusum, per provincias circumduceret: Lysimachus, curiosus profectò Academicus, constanter ad caveam sedens, Philosophiæ præcepta soler- ter à Callysthene hausit, gnaviter imbibit. Præmii tandem sæpè multumque a Magistro postulatus, misero venenum aliquando porrexit, quo finem dolori & ignominiæ faceret. Quamobrem irâ vehementi succensus Alexander, leoni terribili Lysimachum objici jussit: ast Heros invictus involutam pallio dextram bestiæ faucibus intrepidè immittens, evulsâ eandem linguâ subitò strangulavit. Et quamquam hoc *Curtius* ceu fabulam explodat, *Nonnius* tamen receptam facti hujus fidem ex *Justino*, *Plutarcho*, V.

Curt. in Gest. Alex. L. VIII. Nonn. ad Goltz. T. III. p. 197. &c.

tarcho, & *Plinio* omninò tuetur. Lysimachus porrò charior inde factus Alexandro, hunc Regem suum ampliùs demeriturus, eum tanta aliquando cum contentione hostes insequentem, ut nemo suorum eum assequi posset, solus, humanas propemodùm supra vires accelerans, consecutus est. Accidit verò, cùm Lysimachus jam Regi propinquus esset, ut Alexander equô velociter desiliens comitem suum hastâ in capite vulneraret, ita quidem, teste *Justino*, *ut sanguis aliter cludi non posset*, *quàm diadema sibi demtum Rex*, *alligandi vulneris causâ*, *capiti ejus imponeret*: *quod auspicium primum Regalis majestatis Lysimacho fuit*.

Justin L. *XV*. c. 3 & *Appian. de Bell. Syriac.* p. 128. &c.

VI. A morte Alexandri Lysimacho Thracia obtigit, sed non sine ancipiti cum *Seuthe*, qui eidem tunc provinciæ imperabat, eoque gemino prælio. Proferendi tamen adhuc imperii irrequieta cupidine ductus, à *Dromicheta*, Getarum Rege, ita in solitudine cum omni exercitu suo conclusus est, ut siti propè contabescens, frigidæ haustum vitæ Regnique periculo emerit. Ast paulò pòst, pace facta, Sceptro redditus, omnem deinceps vitam strenuissimè militando insumsit, omnium Alexandri successorum potentissimus, quorum non nisi ultimus, fractis jam nimiô seniô viribûs, *Seleuco* palmam porrexit.

VII. *PUBLIUS*. Quàm jucunda mihi, quàm varia, quàm erudita de Lysimacho recenses: non parùm certè hoc Numo ejusdem felicem me censeo. *TULLIUS*. Illustris est sane: sed minimè tamen rarus, atque insolitus. Si enim *Lazio* fides, quem *Liebe* in *Gotha Numaria* novissimè edita allegat, *Decebalus*, Daciæ Rex, incredibiles condidit thesauros, maxima equidem ex parte, eo devicto, ad *Trajanum* Imp. delatos: quorum tamen reliquiæ Sæculo XVI. repertæ sunt, cùm piscatores ex Marisco per ostium Valachi in Istrigam navigarent. Tum etenim *ingentem vim Aureorum Numorum*, *millia plusquam* 40. *invenêre sub aquis ad truncum Arboris*, *qui magna ex parte Lysimachi*, *Thraciæ Regis*, *erant*.

Laz. Commentar. Reip. Rom L. *XII*. C. 1. p. 1094 *apud* Liebe *in Gotha Numar* p. 7.

VIII. *PUBLIUS*. Oblitum te arbitror signi peregrini, quod ad Palladis pedes consurgit: characterum item Græcorum Π. scilicet, quod extra nomen ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ visitur & P. quod infra in segmento apponitur. *TULLIUS*. Rectè mones: pro Π. Commentator *Thesauri Fridericiani*, sive Auctor supralaudatus *Gotha Numaria* Γ. legit, seu G. ast illud nihilominùs cum *Begero* interpretatur Πολιȣ̃χοσ, i. e. *Urbium Præses*, quod elogium Palladi tributum asserit Ill. *Spanhemius*. P. autem, seu litteram R. omninò præterit, cujus nec ego conjector nimis incertus esse desidero. Signum ad pedes Palladis eidem Authori gladius videtur: an rectè? Peritioribus arbitris relinquo.

Observat. ad Callimach. p. 591.

IX. Sed libet tibi, Publi, duos adhuc sequentes hujus Tabulæ Numos æreos exploremus. *PUBLIUS*. Libet, ne dubita, quidquid tibi non displicet.

displicet. *TULLIUS.* Quem itaque Numerus III. signat, mediæ magnitudinis est, in quo caput intueris virile, fasciâ denuò Regiâ illigatum, Regis nempè Syracusani HIERONIS I. Facies altera eundem super *celetem* sistit, seu Equum celerem; à cujus pernici velocitate stadiorum triumphus ut plurimùm pendebat, velut Olympica in palæstra decurrentem, cum lancea tanquam in scopum directa. Prædicat namque Hieronem *Nonnius* palmis Olympicis quampluribûs clarum, qui eapropter Jovi Olympico solemnî se votô devinxit. Etenim nihil celebrius erat sacris illis Græcorum ludis, & relatis ibidem per quadrigas, trigas, bigas, aut celetes victoriis, cum ob spectatorum undique confluentium plausus & acclamationes, tum *ob coronas, & gloriam, & dotem, privilegia publica, stipendia civica, imagines, statuas, & qualem præstare sæculum potest, de fama æternitatem, de memoria resurrectionem*, ut commemorat *Tertullianus.* Ad Celetes ipsos, seu equos, quibûs victoria obtenta erat, sese gloria extendebat: nam & illi coronabantur, nominibûs donati sunt peculiaribûs, quemadmodum & Celes Hieronis nostri *Pherenicus* appellatus est: statuis insuper ac Numis honorabantur. Tab. I. Num. III. Ad Goltz. Ib 146. Tertullian. in Scorpiac. c. 21. Spanh. T. I. Diss. XIII. p. 552.

Subscriptio Numi est: ΙΕΡΩΝΟΣ i. e. HIERO Infra Celetem pinxi litteras: ΝΥ. nonnihil in Numo attritas: sed rectiùs ΣΥ. legendum arbitror, è quibus pateat, SYRACUSIS Numum excusum. Nec tamen eundem Hieroni coævum existimes, quoniam capiti ejusdem fasciam affingit, *Livio* interim diserte de Hieronymi, Syracusani itidem Regis, temporibus adnotante. *Quum per tot annos Hieronem, filiúmque ejus Gelonem, nec vestis habitu, nec ullo alio Insigni differentes à cæteris civibus vidissent, nunc conspexêre purpuram, ac Diadema, satellites armatos.* Quare Numum tuum, quemadmodum de multis aliis adstruit *Spanhemius*, subsequis Sæculis per Syracusanos Regi suo pristino restitutum, i. e. memoriæ ejus renovandæ causâ cusum, suâ cælatores licentiâ ad morem ævi, quo illi vivebant, non quo Hiero, cum diademate finxêre. Erat porrò Hiero initiô imperii sui, crudelitati, avaritiæ, aliisque plurimis vitiis non segniter deditus, atque adeò à se omnium propè animos avertit. Verumtamen postea Pindari, Simonidis, atque Bachylidis Poëtarum consuetudine mitigatus, Optimi Principis laudes sepulchro intulit, hócque à *Pindaro* egregium sanè elogium tulit: X. Liv. L. XXIV. c. 5.

Rex clemens civibus, non invidens bonis,
Hospitibus autem admirandus Pater. Pindar. Pyth. III.

Super-

XI. Supersedeo pluribûs de Hierone disserere, cùm & de AGATHOCLE hodie constitutum sit, qui Syracusis sextô post illum locô moderabatur. Ejus est Numus tuus *Æreus parvus*, in hac *Tab.* quartus. *PUBLIUS.* Dudum in eundem, etsi non adeò ampliùs integrum, oculos defixi, ac cujus hìc Deæ caput in *Adversa* compareat, frustra mecum requirebam. *TULLIUS.* Pharetra post cervicem adsignata Oedipus est, atque *Dianam* eloquitur, additô elogiô: ΣΩΤΕΙΡΑ. i. e. SERVATRIX. *Du Choul* namque disertè testatur: *Diana Conservatrix in Sicilia colebatur: Rex Agathocles numum excudit in ejus honorem. In hoc conspicitur Diana conservatrix cum characteribus Græcis:* ΣΩΤΕΙΡΑ. *Inde fulmen ei attribuit, sicuti Vestæ, cum hac Inscriptione:* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΓΑΘΟΚΛΕΩΣ. REX. AGATHOCLES. Syracusæ nimirum, quibus hic tyrannidem suam injecerat, à primis habitatoribus suis Ætolis Dianæ sacratæ fuerunt. Præcipuè *Arethusæ*, fluvii Syracusani salsi cæteroquin & insuavis, pisces longè uberrimos, in deæ ejusdem tutela positos, violare religio erat, ita quidem, ut, narrante, vel comminiscente *Diodoro*, qui belli etiam tempore eos comedere ausi fuissent, variis calamitatibûs oppressi, exitum infelicem habuerint.

Tab. I. Num. IV.

Cautius L. de Relig. Vet. Rom. p. 82.

Goltz. Sicil. magn. T. IV. p. 18.

XII. *PUBLIUS.* Si fulmen altera Numi facies sistat, mirabilì quidem formâ, quomodo id, Jovi aliàs proprium, *Latoniæ* tribuitur? *TULLIUS.* Nôsse interea te velim, pluribus id Diis, sive Deabus, gentilium deliriô tributum esse, illo tamen, quod Jupiter vibrabat, virtute multò inferius: alio in loco de hoc plura. *PUBLIUS.* Sed quis demum Agathocles erat? *TULLIUS.* Patre figulo natus est, unde cecinit *Ausonius:*

Epigram. 8.

Fama est, fictilibûs cænâsse Agathoclea Regem.

Cæterùm truculenta ejus historia in periodum cogi ægerrimè potest. Successit Timoleonti, Principi optimo Syracusanorum, Tyrannus crudelis: qui iterum iterúmque dominatum affectans, bis in exilium actus est, priusquam fraude Prætor evaderet. Tum alio atque alio astu Senatum totum, & populi viros omnes potentes atque optimos trucidavit: sic porro rapinîs immensîs dives, milite infinito conscripto, finitimas omnes civitates inopino incursu pariter expilavit. Sed à Pœnis tandem ad officium redactus, ut eos obsidendis in Syracusis segniores redderet, militem subitò, ignarum omninò quò tenderet, in Africam traduxit, ibique primos furoris sui impetus cædibûs pariter ac rapinis explevit. Syracusas iterum delatus, in

Ita-

Italiam excurrit, Bruttios præprimis infestans, nullisque fanis, delubris, & numinibus parcens. Dum verò cum classe maritima rediret, naufragiô miserè jactatus, Vulcani offensæ, cujus Insulas Ephæstiam atque Liparam spoliaverat, calamitatem suam adscribens, sui expiandi causâ quibusdam scribitur vivus in ignem insiliisse: quamquam alii malint, senem eum & ægritudine confectum obiisse.

XIII. *PUBLIUS.* Multa denuò, licèt compendio, didici, quæ, nisi per Numos meos, & tuam, Honorande Tulli, summam in me benevolentiam staret, nunquam fortean cognovissem. Segnem profectò in evolvendis Scriptoribus possessorem suum Numi esse non sinunt, ac proinde non possunt non erudire: quoniam citra vestigationem intelligi nequeunt. Intellecti autem sigilla quædam memoriæ fiunt, ac lapsibus ejus egregiè cavent. *TULLIUS.* Quàm multi etiam contentiosè legentium quotidiani labores non tam subitò iterum perirent, si pleraque, ut equidem liceret, Numorum diligenti eruditáque contemplatione firmare liberet. *PUBLIUS.* Unicè in id deinceps connitar, ut augeam hos veteres loculos meos, quantum equidem DEUS & fortuna concedent. *TULLIUS.* Rem itaque liberali ingenio tuo dignissimam feceris.



DIALOGUS III.

De Numis DEMETRII Nicatoris, MITHRIDATIS Eupatoris, & TIGRANIS.

TULLIUS.

I. QUatuor denuò Numos hodie intuebimur, Publi, quorum duos duntaxat possides in ære: cæteros ecce è plumbo typicos, fortè fortunâ ad me delatos, tibi elargior, quorum tamen quo in thesauro Prototypa lateant, ignoro. Eos non cum reliquis

 colloces,

colloces, sed loco privato reponas. *PUBLIUS.* An & typos habere Numorum alicubi prosit? *TULLIUS.* Ne dubita: & in his etenim est, unde discas: acri te illi stimulo urgebunt, veróne è Prototypo expressi sint, probatos apud Scriptores, aut eruditos Numorum possessores subinde vestigandi. Pauperum sanè id quam maxime est, hac interim opportunitate fruendi, dum liberalior eis fortuna indulgeat, ipsos quoque Numos subitò oblatos redimere. Etsi splendidum non sit, neque celebre, plasmata tantùm recondere, ast omni utilitate non vacat. Porrige jam V. Tab. Imæ. Numum.

Tab. I. Num. V.

II. *PUBLIUS.* Præstò est Rex probè barbatus, *ære medio* expressus: Fasciam namque insigne regium defert. *TULLIUS.* *Aversa* porrò Aquilam sistit fulmini, ni figura nonnihil attrita me fallat, insistentem, post cujus cervicem palmæ ramus excurrit, alia palma arbore ante pedes excrescente. *Legendam* tu recense, siquidem Pelasgus jam es. *PUBLIUS.* ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *TULLIUS.* i. e. REX DEMETRIUS. Sed dispersas quoque in Area Numi circa Aquilam litteras collige. *PUBLIUS.* Ingenium id superat meum, qui heri primùm litteras didici. *TULLIUS* Unum eæ vocabulum ΑΡΑΔΙΩΝ, seu ARADUS, constituunt.

III. Cæterùm tu Numum hunc admodùm ambiguum scito: DEMETRII namque complures cùm in *Macedonia*, tum *Phœnicia*, atque *Syria*, & *Seleucidarum* è genere, certîs quibusdam atque peculiaribûs notîs in ære sæpiusculè non satis discreti, Numos eorum scrutantibus non parvum certè negotium facessunt, ac planè haud semper in aprico est, quemnam ad *Demetrium* pertineant, tutò decernere: præsertim in tam confusa per sese Regum *Seleucidarum* historia, quam cæteroquin ad Libros Machabæorum ritè intelligendos, teste *Petavio*, perspicuam esse & exploratam magnopere oporteret.

IV. Numum hunc tuum & celeberrimus ille *Goltzius* pinxit, hoc tamen cum discrimine, quòd caput Regis imberbe sit, & Aquila non fulmini, sed ferro cuidam quasi falcato insistat. Ejus deinde Commentator Eruditissimus *Nonnius* sæpè laudatus quemdam hinc è *Syriæ*, seu *Seleucidarum*, non *Macedoniæ* Regum numero, *Demetrium* signari obiter solùm insinuat. Extat præterea hic Numus in *Gotha* quoque *Numaria*, cum facie pariter attonsa: Aversa in parte palmæ locò clava Herculis ad pedes Aquilæ erigitur, ΑΡΑΔΙΩΝ non legitur, sed Æram quamdam Syriacam una cum Tyri monogrammate videre est. Splendidi porrò operis hujus industrius Editor DEMETRIUM *Nicatorem* dictum Seleucidarum Regem hoc nomine

Nonn. ad Goltz. T. I. p. 289.

II.

II. eodem in Numo asserit redhiberi, barbâ, quæ ei in captivitate apud Parthos acereverat, & à qua *Polybius* eundem Πώγωνα h. e. *barbatum* appellat, jam iterum depositâ. Alios verò exstare asserit Numos, quos Rex iste mox à reditu suo necdum attonsus cudendos curavit: quorum è numero, Publi, hic tuus utique esset. Verumtamen Ill. *Spanhemius* refert, dudum jam Doctos vidisse errorem *Ammiani*, quòd *Seleucum Nicatorem*, de quo hactenus nobis sermo, cum *Callinico* confundat: cùm non illum priorem, sed posteriorem istum *Arsaces*, Parthici fundator imperii, superaverit, atque captivum tenuerit. *Liebe in Goth. Num. p. 116. c. 17.* *Polyb. L. II. p. 155.* *Spanh. T. I. Dissert. VII. p. 413*

V. Vides, quàm implexa sint omnia, quæ coram te tirone operosiùs evolvere nec libet, neque expedit. Si *Nicatorem* Numus tuus ex sensu *Gotha Numaria* referat, etsi barbatum, Aquila cum palma, ceu Symbolum Ægyptiorum Regum, videri possit à *Demetrio Nicatore* expressa in gratiam Conjugis suæ Cleopatræ, Ægypto oriundæ. Alias autem *Phœnicia*, in qua sita est Insula *Aradus*, palmis ita fœcunda est, ut nonnullis placuerit, nomen ejus à Græco φοῖνιξ, quod *ramus palmæ* interpretatur, deducere: quam tamen in sententiam non omnes concedunt. *Lexic. histor. univers. verbo:* Phœnicia.

VI. *Aradus* interim Insula ipsa exigua est, & unus quidam scopulus, quin, *Pomponio Mela* asserente, *tota oppidum, frequens tamen, quia etiam super aliena tecta pedem ponere licet.* PUBLIUS. Obscura omninò postrema mihi hæc phrasis videtur. TULLIUS. atqui eam *Nonnius* interpretatur ex *Strabone* de facultate illa, quam *Aradii*, flagrante bello *Seleucum* inter *Callinicum*, & *Antiochum Hieracem*, impetrârunt, confugientes ad se tuto stabilique domiciliô recipiendi. Hoc privilegio insula & habitatoribûs simul & opibûs amplissimis mirificè aucta est: præsertim cùm *Aradii* egregiâ sibi providentiâ consulentes, rem navalem sedulò curârint, neque tamen cum vicinis Cilicibus piratis ullam in communionem venire voluerint. PUBLIUS. Nisi memoriâ graviter lapsus sim, memini, apud *Aradum* insulam *Andromedam*, *Cephei* Æthiopiæ Regis & *Cassiopes* filiam, ob matris superbiam, dum Nereidas illa se formâ superare jactâsset, ut vates comminiscuntur, Oraculi jussu scopulo alligatam, monstroque marino expositam esse, sed à Perseo liberatam, & conjugem ductam. TULLIUS. Fidem tibi *Plinius* facit, *Aradum* priùs *Pariam* dictam, *in qua objectam belluæ Andromedam ferunt.* Præterea in *Arado* insula Aqua dulcis ductu coriaceo longissimo tractu è vado in continentem derivata oppidò à *Strabone* celebratur. *Pomp. Mela L. II.* *Nonn. ad Goltz. T. I. pag. 289.* *Plin. L. V. cap. 31.* *Strabo L. XVI.*

VII. Sed VI. jam Numum, I. *Tab.* meæ, *æreum* ac *medium*, inspice, Publi. PUBLIUS. Vultum certe Numo priori non multùm absimilem refert. TULLIUS. Quia nimirum ejusdem DEMETRII *Nicatoris* est, ut pro- *Tab. I. Num. VI.*

D 2 dit

dit *Legenda* : ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΥΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. i. e. REX DEMETRIUS DEUS NICATOR. Postrema hæc vox Græca quidem dialecto idem sonat, atque *Victor*, seu *invictus*, quod elogium *Seleuco I.* meritò tributum gloriæ non dissimilis cupidus *Seleucus* alter, seu *Demetrius*, fastûs causâ, retinuisse creditur, eò insuper superbiæ progressus, ut *DEUS* etiam prædicari non abhorruerit. Sedet autem in Numi *Aversa* Jupiter cum Victoria parvula, à quo *Nicator*, præcipuam quamdam Religionem simulans, gloriam suam gratissimo se animo suscipere tacitus asseverare voluisse videtur. Parem Numum excudisse *Antiochum*, qui in Scriptura apud Machabæos *Radix peccati* appellatur, Ill. *Spanhemius* refert, postquam ex templo Jovis Victoriæ solidum ex auro signum rapuisset: tunc etenim sacrilegio suo hunc addidit jocum: *Victoriam sibi ab Jove commodatam esse*, ut *Justinus* testatur. *PUBLIUS.* Exinde colligere mihi licet, quanta illis, quorum Numi meram spirare Religionem videntur, vel in delira quoque numina sua pietas fuerit.

Spanh. T. I. VII. p. 408.

Justin. L. XXXVI. c. 1.

VIII. *TULLIUS.* Nunc porrò Typum plumbeum priorem I. in Tab. locô VII. à me depictum speculare, quem pariter *Goltzius*, *Sanhemius*, atque *Gotha Numaria* exhibent, cujusque *Adversa* Caput grande cum vultu pleno & imberbi, sed non sine multa cæsarie, insuper cum diademate sistit. In *Aversa* coronam intra hederaceam pascit cervus: conspiciuntur præterea luna cum stella, monogrammata duo, Æra Pontica: ΒΚΣ. quæ denotat Annum CCXXI. Pontici Regni fundati: tandem *Legenda:* ΒΑΣΙΔΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. i. e. REX MITHRADATES EUPATOR. Infra Θ seu TH. *PUBLIUS.* Quanta uno in Numo ænigmata, quorum ne unum quidem pervado. *TULLIUS.* Singula ferè post brevem Regis hujus historiam expediam. MITHRIDATES, (ut eum appellant Scriptores, etsi in Numis *Mithradates* appareat) docente me *Nonnio*, paternum genus à Persarum Regibus, imò & ab *Arsace*, Parthici Regni Auctore, maternum à suprafato *Seleuco II.* seu *Demetrio Nicatore* duxit. Proavum habuit *Mithridatem*, qui Regni Pontici fundamenta jecit: Avum *Pharnacem*: patrem denique *Mithridatem Evergetem*. Hic primus amicitiam coluit cum Romanis, & quoniam bellô contra Aristonicum iisdem opem pariter tulit egregiam, Phrygia major, sive Syria minor, eidem concessa est: sed per summum scelus Sinope occisus, *Mithridatem Eupatorem* admodùm puerum reliquit filium, mille insidias passum. Sed equo furenti impositus præter spem eum edomuit: à veneno metuens sibi tam crebra antidota sumsit, ut, cùm senex postea seipsum interimere vellet, nulla amplius aconita

Tab. I. Num. VII.

Ad Goltz. T. I. p. 115.

nita eidem nocuerint. Domi tamen nullibi securus, quatuor integris annis, tanquam qui venationes summè adamaret, silvis oberravit: quo pacto corpus ejus ad omne molestiæ genus induruit. Tandem Regno patrio admotus, de proferendo imperio illicò cogitavit, maximo successu *Pontum* & *Cappadociam* occupans. Verumtamen *Paphlagoniam* quoque subigens, Romanos offendit: cum quibus deinde vario Marte 40. annis acerrimè dimicans, & Antæi in morem, quoties prostratus est, fortior insurgens, tandem felicitate *Syllæ*, virtute *Luculli*, & *Pompeii* magnitudine consummatus est, postquam sola in Asia, & extra Aciem quidem, supra CL. millia Civium Romanorum jugulâsset. Mortem ipse sibi ferrô suô conscivit, veritus, ne Romanis traderetur, postquam filius ejus *Pharnaces* seditionem contra eum excitâsset. Jam Numi ænigmata retegamus.

Luna cum stella *Mithridatis* originem ab *Arsace* produnt: etenim Heros iste à morte sua, ut *Ammianus Marcellinus* recenset, Parthorum more, stellis insertus sive consecratus, Successoribus Regibus cæterísque posteris suis hunc fastum peperit, ut se *Participes Siderum*, *fratres Solis & Lunæ* jactarent. Cervi pascentis rationem ægrè redderet quisquam, nisi *Ælianus* notâsset, *Mitrhidatem* insidias undique suspicantem, quod ferè Tyrannorum est, corporis sui custodiam non modò satellitibus, sed & bestiis, quas cicures reddidit, *Tauro*, *Equo*, atque *Cervo* commisisse, ad hoc assuefactis, ut ante cubile, vel tentorium Regis stabulantes, quot quot eò accederent, primus mugitu, hinnitu alter, cervus denique voce sua proderet, sicque Dominum suum excitarent. Corona ex hedera alludit ad *Dionysii* seu *Bacchi* cognomen *Mithridati* adjectum, quoniam in certaminibus sive ludis suis edacitatis etiam atque bibacitatis præmia proponeret, qua in contentione ipse plerúmque palmam reportavit, teste *Plutarcho*. *PUBLIUS*. Nunc verò tantis in tenebris gratissima luce perfundis. Sed, amabò, quàm peregrina est species alterius Typi iterum plumbei, quem VIII. locô, I. tua in *Tab.* proponis?

IX. *Ammian. L. XXIII. c. 6.* *Ælian L IV. c. 40.* *Plutarch. L. I. Sympos. quæst. 6.* *Tab. I. Nu. VIII.*

TULLIUS. Armeniæ patrio cultu ornatum TIGRANEM tibi exhibet ita planè, qualiter Numum hunc utraque sui parte Illustriss. *Spanhemius* pinxit. Tiaram gestat unacum fascia, seu diademate: *Aversa* superbum ejus titulum sic recenset: ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ. i. e. REGUM REX TIGRANES. Mulier ibi cum ramo palmæ rupi insidens, capite turrito, quod in provinciis pingendis apud veteres usuvenit, Armeniam fortè victricem denotat, cujus *Tigranes* principa-

X. *Spanh. T. I. Diss VIII. p. 465.*

cipatum jure patrio tenuit: mulier porrò prostrata atque calcata provinciam quamdam devictam. *Rex Regum* siquidem iste, quem *Plutarchus* Regibus apparitorum & satellitum locò usum esse adstruit, cùm de Syriæ Regno gravissimis turbis *Seleucidæ* dissiderent, illud continuò invasit, ac per plurimos annos, teste Scriptore eodem, *Appianô* item atque *Justinô*, occupavit. Tandem à *Lucullo* Romano fractus, *Pompeio* M. omninò palmam porrexit: & à *Lucullo* quidem fugiens, diadema capiti suo detraxit, quod in Victoris manus delapsum, in ejus postea Triumpho prælatum est. Tiaram verò à Pompeio plenè contritus, cùm supplex ei accideret, ad genua ejus deponere causâ submissionis volebat: à quo tamen in avitum Armeniæ Regnum restitutus est.

Plutarch. in Lucullo. pag. 505.

Idem in Pompeio p. 637. Appian Bell. Syr. p. 118. Justin. L. XI. c. 1.

XI. *PUBLIUS.* Sunt mihi *Plutarchus*, *Appianus*, *Justinus*, aliique Scriptores Antiqui Rerum Græcarum atque Romanarum, ad manus: sed prò dolor, quemadmodum hodie apud quamplurimos solet, pulvere illi ferè apud me obsorduerunt. Excutiam illos diligentiùs, cùm tu mihi, Venerande Tulli, ex iisdem tam jucunda, tam digna memoratu, tam Numis illustrandis idonea immò & necessaria perpetuò afferas. *TULLIUS.* Si miser est, qui hîs omnibûs caret, ii certè miserandi magis, qui ejusmodi ipsas inter divitias eruditione tamen eguerint. Rivulos hodie primùm in publicum emanantes, etsi haud parùm sæpiusculè luteos, gustare tamen volunt omnes: fontibus ipsis ora admovere nescio quomodo piget. Hinc illa rerum veterum ruditas; novarum ineptiæ. Propitiæ autem Musæ tandem faxint, ut tot liberalissimi adolescentes meliori deinde Pallade tingantur.



DIA-

DIALOGUS IV.

De Numis THEMISTOCLIS, atque AMBRACIORUM.

PUBLIUS.

REstant in Tabula tua I., amicissime Tulli, duo adhuc postremi Numi: sed alii planè, ac ego exspectaveram. Cùm enim Regii omnes sint reliqui, atque hanc inter tenuem Numorum Græcorum supellectilem meam PRIAMI etiam, atque DIDONIS ærea magna, neque desormia teneam monumenta: ut quid tu illa manu atque penicillo tuo dedignari volebas? *TULLIUS.* Ut ne videlicet veteranis cum militibus vernas quoque in campum educerem, vel verò clarissimam in familiam abortivos asciscerem. Ignorare te nolim, quod candidè monet doctissimus *Jobert*, ubi de Numis fictis discurrit, turpissimam esse eorum, qui lucri gratiâ cum Numis mercantur, fallendi technam, si ejusmodi fingant, aut distrahant, quorum similes nulla retrò ætate verè nunquam exstiterant. Neque mitiùs Clariss. *Patinus* spuriis de Numis pronunciat, inquiens: *Hæc omnia* (ab impostoribus videlicet heri conficta numismata) *si cum antiquis expendas, flocci facio, ne majoris, quàm simiam, si cum homine, aut chrystallum, si cum adamante comparaveris.* Dolet idcircò Eruditissimo *Rinckio*, mox laudatum *Patinum* proposito suô destitisse, quod animo jamjam præceperat, typis vulgandi omnes suppositos Numos, qui quidem oculos ejus & manus subière, ut omnibus tantò pronius foret, verum à falso discernere. Ante porrò jam monuerat: *Nihil Erudito magis necessarium esse potest, quàm cognitio Numorum naturalis, scilicet ut genuinum à falso, verum à ficto discernere queat: nam antequam ad historicam interpretationem progrediatur, scire illum oportet, explicationem mereatur Numus, an penitus rejiciendus sit?* Quid námque Viro, in secreta vetustatis intimè penetrare totìs ingenii viribus anhelanti, crucem figere queat majorem, ac dolosè, frivolè, & penitus perperam, sæpè stupide conficta ejusmodi plasmata? quorum

I.

Introd. X. pag 316.

Patinus Hist. Num. c. 20.

Rinck de Vet. Num. potent. & qualit. c. 16. § 4.

Id. ibid. sub init. capitis.

quorum typi, si Anticam & Posticam conferre volueris, verè antipodes sunt, atque Herculis clavâ Terentii Chremetem exornant. Sic demum nobilissima Rei Antiquariæ, atque Numariæ cognitio turpiter subruitur, Veritas, quæ totius historiæ fax lucidissima ardet, densîs tenebrîs involvitur, præjudiciis Eruditorum percommoda via insternitur. Adulterô quippe Numô magistrô, per Jovem juraret nonnemo, factum illud, vel istud, cujus monumentum aversa mendaciter exhibet, ei Principi vel Cæsari convenire, cujus caput, aut nomen Adversa præ sefert: quidquid Historia, Chronologia, Geographia, Genealogia reclament. Caput præterea suum incautus alius devoveret, hanc, non aliam faciem illi Heroi fuisse, hoc, non altero eum diademate usum, hac, non alia forma Urbem aliquam, Templum, Trophæum, exstitisse, qualiter hæc singula mendax & petulans impostoris perfidi scalprum confinxit. Unde & Eminentiss. *Baronius* jam dudum ita conquestus est. *Prodierunt hoc nostro seculo, dixerimne? impostores: qui obductum crassa rubigine cùm numum æneum nanciscantur, formas & litteras solerti effingunt industriâ, turpis lucri gratiâ, non sine magno Rei Antiquariæ præjudicio.* *PUBLIUS.* Ergò spurium tu *Priamum* meum, confictam *Didonem* existimas, Numos tam bellos, tam magnitudine sua præstantes? *TULLIUS.* Ne dubita: quemadmodum enim Eloquentia alia florida est, cujus vis omnis in verbis consistit, alia mascula, virilis, & solida, quæ versat res graves, neque tantum volubili periodorum concentu, quem juvenculi amant, quantum judicio, & dicendorum gravitate, commovendorum præterea, aut edomandorum affectuum gloriosô imperiô valet: ita spurii Numorum cælatores insignem subinde exprimendis in vultibus cæterisque reculis elegantiam habent: at verò vivam oris Cæsarei majestatem, quæ proximè ad naturam sine tamen mollitie scalpri timidioris accedat, & quam Veteres illi Monetarii cùm Græci tum Romani dexterrimè expressère, prudentibûs oculîs testibûs nunquàm attingunt. Inspice, ut cæteros mittam, è Numis tuis, quos hactenus pertractavimus, aureum illum *Lysimachum* tuum: quàm elegans facies ejus, quàm verò mascula insimul, atque robusta! Peperit nimirum Monetario Regis sui idea, quam animo gerebat insculptam, sibique de facie notam, insignem sine metu à vero aberrandi, cudendi audaciam, arte egregia sustentatam. Contrà verò *Cavinus* Paduanus, cum socio *Bassiano*, *Laurentius* item Parmesanus, Triumviri Itali Monetales, nulla publica Authoritate constituti, ut ait *Rinckius*, sed privatâ nequitiâ, cùm ipsi veterum Principum noverint nullum, non possunt vetera Numorum genuinorum exempla, nisi cum multa manus æmulantis formidine imitari. Ut ergò in Tabulis pictis gnavus oculus arbiter

Baron. Annal. III. Anno Constant. M. 19. §. 12.

arbiter breviter decernit, inſpectâ linearum audaciâ, quænam imaginum ipſius *Dureri*, ſive *Rubenii* ſit, quænam horum ad imitationem ab altero pictore efficta, licèt ubique eadem Helena compareat: ita, qui Numos veros ac genuinos complures ſedulò contemplatur & inſpicit, oculô propriô Magiſtrô mox ſpurio plasmati ſententiam dicit. Tu ergo, chariſſime Publi, curas huc tuas magnopere ut conferas, velim, ſi decipi nolis.

PUBLIUS. Sanè hæc dicta tua admodùm miror, & quidem tantò id ampliùs, quantò magis beatum me hîs, ut videbatur, pulchrioribûs Numîs credebam. Felices eos rebar, quòd damni vix aliquid edaci à tempore hactenus paſſi ſint, nulla carie deformes, margine undequaque integerrimo, ac ſi nuperrimè eſſent excuſi. *TULLIUS.* Hæc ipſa demum ſunt, quæ ſpurios illos luculentè enunciant. Quî etenim fieri tu poſſe exiſtimes, ut, lapſu Seculorum prope vicenorum, tam nulla æs verè vetuſtum temporis injuria laceſſeret, ut nuper primùm excuſum videatur? Deinde modus feriundi veteris Numi, de quo alibi nobis ſermo erit, marginem vel oram extimam Numi rotundam quidem eſſe, non tamen planam, & ſine rugis, velut tornatilem, permiſit. *Priamus* autem tuus, & *Dido* integerrima marginis lanugine ſunt. Ad hæc Veteribus in Numis Templum quidem aliquod crebriùs viſitur, vel ara, circus, triumphalis arcus, aut domus Regia: aſt nunquam integram Urbem, pluriúmque Ædificiorum conſpectum intra muros concluſum offendes. *Priamus* porrò tuus in Averſa integram Trojam, *Dido* Regina totam Carthaginem ſiſtit. Litterarum præterea forma ſibi tam ſæpè diſſimilis, & intercapedinis inæqualitas, exerrantem à prototypo manum fictoris facilè produnt. Quinimmo dijudicandis in Numis genuinis & fictis plerúmque etiam æris pondus venit in cenſum: æs ſiquidem antiquum & ſolidum magis, & grave. Explora, obſecro, Numos tuos, qui primam ferè magnitudinem excedunt, arbitra manu, & cum aliis velut in ſtatera appende, ac vide, quàm leves ſint. Poſtremò eorum quoque, ut ajunt, vernicem pertenta, niſi potiùs nuda fuligo dicenda ſit. En! ut tenuiſſimo unguiculo cedit. Novum profectò fraudis argumentum. Vernix enim vetuſta, utut ſubtiliſſima ſit, & ne pilum quidem in numo cælatum confundat, & obtegat, ita nihilominus firma & ſolida eſt, ut ne ſcalpro quidem admoto cedere velit. Teſte *Joberto*, ars hæc illinendorum hoc pacto Numorum, qua veteres æruginis causâ prohibendæ tam dexterè utebantur, Seculi noſtri artifices penitus effugit: ac proinde non immeritò præſtantiſſimo *Morellio* veterum *Virginitas* numiſmatum appellatur. *PUBLIUS.* O Tulli optime, nunc demum te rurſum magnoperè colo: mirè ſiquidem II.

E dem

dem & acutè, modóque facillimo fraudes Numorum mihi enuntias. Memori tamen adhuc mente complector, quæ Dialogo altero Procemiali *n.* 7. monueras: ei, qui non tam selecta numorum possessione gestire desiderat, quàm prima Sapientiæ veteris rudimenta perdiscere, quantoslibet numos, etiam fictos, non prorsus, initiô maximè, fore abjiciendos, cùm & illi historiæ aliquid referant. Unde & supplico tibi, de *Priamo* primùm, postea & de *Didone* pariter aliquod apud me verbulum facias: ficta solummodo quantumvis utriúsque Numismata eam nobis occasionem injiciant.

III. *TULLIUS.* PRIAMI fata ipse utique dudum è *Virgilio* legeris, qui *Laömedontis* filius, Ilio ab *Hercule* eversô, captivus in Græciam unacum sorore *Hesione* abductus est. Auro deinde redemptus, suámque repetens Trojam, eam splendidissimam reddidit, Regnique fines ita extendit, ut toti propemodum Asiæ dominaretur. Filios quamplurimos habuit (*Reuschius* L. numerat) in quibus & *Paris* erat, infaustus Ilii Cometes: qui Sororem Patris *Hesionem*, hactenus in Græcia relictam, repetiturus, *Menelao*, Regi, *Helenam* pulcherrimam rapuit. Integrô propterea decenniô Græci *Trojam*, frustra tamen, obsedêre: donec tandem astu *Sinonis* fugam simulantes, ingentem equum æneum, ventre cavo, atque lectissima militum pube repleto, in litore reliquerint. Hunc deinde Trojani, metu omni soluti, dolosè suadente eodem *Sinone*, destructis ex parte etiam muris suîs, in urbem induxerunt. Tum, omnibûs sui securîs; somno præterea vinóque sepultîs, nocte concubia conclusi intra equum hostes erupêre: Classis quoque Græcorum viam ad littus repetiît, atque internecinam in Urbe stragem edentes, omnes *Priami* filios, ipso plerúmque inspectante, occiderunt: sed & Rex ipse ante Aram Jovis Hercæi à *Pyrrho* occisus, Troja succensa, & solo æquata est. Unde non invenustus hanc in rem apud *Reuschium* canit Poëta:

Ad Gemmas Eberm. p. 52.

> Ille tot Regum parens
> Caret sepulchro *Priamus*, & flamma indiget
> Ardenti Troja.

PUBLIUS. Capio jam universum ejus, qui Numum hunc finxit, ingenium. Adversa *Priami* caput habet, crine & barba densîs atque promisîs, fasciâ Regiâ illigatum, cum titulo: ΠΡΙΑΜΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Aversæ formam & typum indidit Trojæ, suo tamen in cerebro natum: mari adjacet, magnificè structa; in litore equum aspicio fallacem, naves adhæc Græcorum urbe moventes, ut Troas deciperent. *TULLIUS.*

Rem

Rem omnem absolvisti: adverte tamen, obsecro, animum, unóque ab exemplo multa ficta numismata, sine quidem magistro, ratione tamen arbitra, excutere disce. Si verè olim & publica Authoritate signata foret ista moneta, quo authore id fieri potuisse quisquam sibi prudenter persuadeat? An Trojanorum esset Numus? Sed urbs illa excisa, exusta, & diruta, sine Rege, sine Magistratu, sine civibus, sine milite, rem profectò monetariam exercere non potuit. Si porrò posterorum quispiam Trojæ memoriam restituere petiisset, excidium certè illius, fraudémque, qua miserè fatuéque decepta interiit, in gloriæ monumentum minimè statuere debuerat. Sed Argivorum, ais, Victorum veluti trophæum esse Numus hic potuit. Iterum falleris. Certè cùm gloria publicas in tabulas referenda est, ille, qui gloriatur, primum occupat locum. Quisnam hic Victor comparet? quodnam vides Græciæ triumphantis insigne? Vides, Publi clarissime, ut ratio vel modicum intenta, impostorum fallacias illicò velut nebulas inanes dispellat. Ratione itaque utendum, atque judicii discretione in omnibus, quæ vides, quæ legis, & audis: non cæca, fatuâque, & præcipiti credulitate cuivis magistro, infantum more, rebus in antiquis, & maximè in historia obaudiendum. Tironi tibi hæc suggero, quoniam hodie nihil perniciosius est, ac studia ita à plerisque tractari, quasi auribûs solùm, non arbitra ratione egerent. Doctum non facit, videre multa, vel audire, sed multa intelligere: neque res statim intelligis, cùm eas noscis. Priusquam ergò, quæ audis & vides, docta probáque meditatione ipse discutias, eorum omnium, mihi crede, intelligis nihil.

PUBLIUS. Sapientissimè mones, Venerande Tulli: utinam audirent te multi, omnes tibi obaudirent. Ut quid ardet in nobis, nobisque prælucet fax splendida rationis, nisi ratione utamur, res rebus conferamus, quæ congruant sibi, quæ inter se pugnent, propria discussione periclitemur? Sed hodie per sese sapere quàm oppidò paucorum est, dum unius ab ore innumeri pendent. Mille testibûs res una eádemque asseritur, quam non nisi unus exploravit: reliquis satis est ad contendendum, quia *Magister dixit.* Cordatis, extra fidei tamen dogmata, paulò majores sunt animi: credere semper nimis ignavum est homini, qui intelligit, se sapere posse. Verumtamen ne longiùs à via excedamus, *DIDONI* scenam concede. Ea hoc spurio meo in plasmate vultu non invenusto conspicitur, dicitúrque: ΔΙΔΩ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. Monetarius impostor laurô eandem florente in gratiam cinxit, & cornibûs arietinis stipavit: crines decorè partim subligavit, partim per collum defluere voluit. In *Aversa* Carthaginem finxit, ut IV.

 reor,

reor, quam mare alluit, ubi & classem *Æneæ*, perfidè *Didonem* fugientis, navibûs nonnullîs innuere voluit. *TULLIUS.* Davus iterum es: vereor tamen, ne tuam hanc in Reginam cum Numi fictore nimioperè pecces. Erat DIDO, quæ alio quidem nomine *Elisa* scribitur, *Beli*, Regis Phœniciæ, filia, *Sichæo* Herculis Sacerdoti nupta: quem cùm *Pygmalion* frater *Didonis*, divitiarum ingentium causâ, ante aram occidisset, illa in somnis præmonita, navem noctu cum opibus conscendit, in Africam delata. Ibi Carthaginem, aliis *Byrsam*, magnificè condidit, Urbem illam, quæ Romæ diutissimè æmula, Quiritum fortitudinem diversis acerrimis bellîs, cotis adinstar, perpolivit: donec tandem uno & semi - seculo ante Christum, post Romam conditam Anno forsitan DCV. à *Scipione Æmiliano* penitus subacta sit, & incensa, 17. integros dies arsisset. Initiô verò, mox ut struxerat Carthaginem DIDO, *Jarbas*, Getuliæ Rex, ejusdem nuptias unicè ambiebat, & recusantem vi etiam atque armîs adigere occœpit: verumtamen illa nolens prioris lecti jura secundîs nuptiîs violare, ipsa manus sibi intulit. Nolim itaque, deinceps *Virgilio* credas, *Æneam*, Trojâ profugum, ventîsque ac mari jactatum, Carthaginem appulisse: ubi fruitus *Didonis* amore, eam deinde perfidus deseruerit, ita exinde dolentem, ut sceleris impatiens, seipsam neci tradiderit. Affert quidem rei hujus vetustum testem *Ausonium* sæpe laudatus, & laudandus postea Eruditiss. *Reuschius*, sequens, acutum magis, ut reor, quàm verum Epigramma adscribens:

Ad Gemm. Ebern. p. 40.

Infelix DIDO, nulli benè nupta marito!
Hoc pereunte fugis: hoc fugiente peris.

Ubi pereuntem maritum *Sichæum*, fugientem *Æneam* fidei oblitum intelligit. Quoniam autem *Æneas* 300. vel saltem plusquam 200. Annîs ante conditam Romam (in quod etiam Clariss. *Patinus* consentit) Italiam venerat, ubi interim Albîs regnatum? quo pacto Carthaginem appellere potuit, quæ 70. primùm post Romam Annis è fundamentis surrexit? Quare *Novus Apparatus Virgilii* Colon. 8. Vol. II. impressus MDCCIII. verbô *Dido*, integrum aliud *Ausonii* Epigramma adducit hunc in modum:

Patin. Num. ær. Impp. med. form. pag. 13.

Illa ego sum *DIDO* vultu, quam conspicis hospes,
Assimilata modis pulchrâque mirificis.

Talis

Talis eram: ſed non, *Maro* quam mihi finxit, erat mens:
Vita nec inceſtis læta cupidinibûs.
Námque nec *Æneas* vidit me *Trojus* unquam,
Nec Lybiam advênit claſſibus Italicis.
Sed furias fugiens atque arma procacis *Jarbæ*,
Servavi, fateor, morte pudicitiam.
Pectore transfixo, caſtos quod pertulit enſes, *
Non furor, aut læſo crudus amore dolor.
Sic cecidiſſe juvat. Vixi ſine vulnere famæ:
Ulta virum, poſitîs mœnibûs, oppetii.
Invida cur in me ſtimulâſti Muſa *Maronem*,
Fingeret ut noſtræ damna pudicitiæ?

* *Fortè legendum:* Caſtus quod perculit enſis.

PUBLIUS. Mira pugnandi ratio, Auſonium Auſoniô refellere! *TULLIUS.* Mihi quoque res ambigua eſt: præſertim cùm *Reuſchius* initium hujus poſtremi Epigrammatis pro venuſtate formæ, *Didoni* aſſerenda, ipſe alleget. Fortè *Auſonium* Vir Eruditus ipſe non inſpexit, quod & mihi hucusque negatum eſt: aut forſitan Poëta priori epigrammate luſit duntaxat ex ſuppoſita multorum de vitio *Didonis* perſuaſione. Cæterùm de nomine *Karthaginis* cauſatur Clariſſ. *Patinus*, haud admodùm benè ſenſiſſe *Ciceronem*, quòd induiat, eam ab *Carthagine*, filia *Herculis*, dictam, eò maximè, *quòd Tyrii eam ut deam coluerint.* Mavult itaque *Patinus*, Chaldæâ dialecto à *Cartha*, quod Urbem, & *Chadta*, quod *Novam* ſignificat, *Carthaginem* appellatam eſſe. Cic. L. III. de Nat. Deor.

PUBLIUS. Tempus ad Tabulæ tuæ I. Numum IX. nos vocat, cujus Legenda eſt: ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ, ſeu THEMISTOCLES. *TULLIUS.* Multam Heros iſte apud *Cornelium Nepotem* (quem alii *Æmilium Probum* dixêre) & meritò quidem paginam implet, bellô clariſſimus; qui Corcyræos primùm domuit, piratas deinde barbaros omni Siculo freto expulerat, *Xerxis* tandem, Perſarum Regis, infinitam propemodum claſſem maritimam cùm aſtu tum robore perdidit. Juvênis cùm eſſet, ita liberè vixit, remque familiarem neglexit, ut patria jamjam hæreditate prohiberetur: *quæ contumelia*, ut Cornelius infit, *non fregit eum, ſed erexit.* Pudori ſiquidem erat homini tam ingenuo, ſed & ſtimulo acri, clariorem ad famam contendendi. Ingratæ tamen Athenæ tantum Victorem, ſola Tyrannidis ſuſpicione abducti, exiliô mulctârant; in quo cùm diu

V. *Tab. I. Num. IX.*

Cornel Nep. in *Themiſt.* c. I.

diu sui parum securus oberrâsset, postremò tandem, ut nemo non pertimuit, ad hostem internecinum *Xerxem* confugit. Hic *Themistoclis* virtutem suìsmet cladibûs metiens, adversus eum non hostiliter egit: suscipit, donat, & beneficiîs obruit. Qui annum temporis pactus, pollicitus est Regi, si suìs uti consiliîs vellet, Græciam perituram. Interea
Idem c. 10. verò Magnesiæ morbô mortuus à *Cornelio* ex Thucydide proditur, vel fortè sumtô sponte venenô, *quòd Regi promissa præstare se posse desperaret.* Sunt tamen qui tueantur, eundem ad speciem solùm annuisse Tyranno, fidem ejus ac pietatem in patriam sollicitanti, quamdiu spes evadendi supererat: coactum verò tandem aliquando contra Græciam movere, bovis sanguine hausto, mortem sponte oppetiîsse, atque ita non minus pro Patria mortuum, quam si sub signis ejusdem ab hoste periisset. *PUBLIUS.* Numum hunc argenteum parvum fusum, non cusum existimo. *TULLIUS.* Rectè autumas: quod tamen non obstat, quin vetustior sit, licèt Themistocle longè posterior. Etenim Græcis pariter & Romanis solemne Familiis erat, cùm sua non liceret, eorum saltem identidem recudere capita, quorum se stirpe jactabant. Imò tanta erat utrorúmque in Heroes illustres amor & propensio, quamquam cæterà ad genus suum nihil illi attinerent, ut aurô, argentô, vel ære suo dignissimos eos haberent, & tanquam specula egregiæ Virtutis charis pignoribus, masculisque filiis suis crebrò ante oculos ponerent. Velim verò, in capite *Themistoclis*, cujus vultus jam propè ad senium vergens, heroico spiritu nitet barbâque non non promissâ sed densâ ornbtur, Græcæ Galeæ formam advertas. Tropæum *Aversæ* navalibûs præcipuè instrumentis componitur: maritimîs siquidem præliis potissima ejus gloria constitit.

VI. *PUBLIUS.* Miror te, Tulli Venerande, quòd in singulis Numis copiam reperias, uberem historiam, eámque longè jucudissimam, grato compendiô enuntiandi. Nunc porò ad ultimum Tabulæ I. Numum festinas, ut animadverto. Verumtamen egregius in me amor tuus, immensîs me titulîs tibi obstringens, quo plura liberaliùs mihi impendit, tantò me magis reddit audacem. Quapropter vehementer te iterum oro atque obtestor, ut hìc ante me cubantes geminos adhuc spurios Numos, quos tuus præteriit penicillus, aliqua saltem ex parte, non sui, sed historiæ gratiâ, apud me recenseas. *TULLIUS.* Faciam tibi satis, si protractum hoc pacto in longius hodiernum Dialogum nostrum tu non fastidias. Prior Numus fabrum habuit *Joannem Gauvinum* Paduanum, qui fraude tam artifici fuit, ut & peritissimis quibúsque Numorum Criticis eum non raro imposuisse *Jobertus* fateatur. Formâ certè elegantissimâ est, & admodùm elatâ, sed margine nimiùm tereti, superficie molli, fuligine he-

ri adſperſa, & pondere nimiùm levi. In *Adverſa* SAPPHO pectore tenus viſitur, crinibûs decorè inflexîs, atque revinctîs, quibus flores, aut roſæ inſertæ: cæterà pectus decenter velatum. *Averſa* totam illam & ſedentem, ac tenui duntaxat ſtolâ non undique tectam cum pectine refert, aut plectro, arcu & pharetra poſt eam cubantibûs: ponè nomen adſcribitur: ΣΑΠΦΩ ΛΕΣΒΙΣ. i. e. SAPPHO LESBIA. Non penitus tamen hunc Numum fuiſſe confictum, *Goltzius* fidem facit, qui tres ejus Numos exhibet *Lesbiacos*, capite ferè pari: ſtantem deinde illam cum plectro, vel plectrum ſolum in *Averſa*. Filia erat *Scamandronymi* & *Cleidis*. Olympiade XLIV. cum *Alcæo* Poëta floruit, ac Poëticæ ſe tradens, eam ad claritatem pervenit, ut ne *Alcæo* quidem ceſſerit, teſte *Ovidio* Epiſtolâ illâ, quam ejus nomine ad *Phaonem* perſcripſit, ubi canit:

Goltz. Tom. III. Tab. XIV.

Ovid. Epiſt. XXI.

Nec plus *Alcæus*, conſors patriæque, lyræque
Laudis habet: quamquam grandius ille ſonet.

Quin & communì elogiô novem Muſis decima adnumerata eſt, *Sapphici*, ab ea ſic dicti, carminis, item plectri ſeu pectinis inventrix. Roſîs eandem fictor numiſmatis exornavit, fortè, quòd in uno carminum ſuorum (quorum pauca ad nos pervenêre) Lesbiæ cuidam principi Dominæ non ſine faſtu exprobrârit, *Pindicas ei roſas deeſſe*. Neque formæ fuit eximiæ, admodùm fuſcæ, neque caſtimoniæ laudem ſuſtinuit: unde impotenti, ſed irrito amore ardens, *Leucadia* ex petra ſubjectum in mare præcipitem ſe dedit, flammas ſuas reſtinctûm iri confiſa, quemadmodum Viris compluribus referunt accidiſſe, quibus unda illa profuit, non nocuit. *Sappho* tamen, temeritatis ſuæ pœnas luens, ſubmerſa eſt, canente *Statio*:

Nonn. ad Goltz. Tab. II. pag. 212.

— — — ſaltus ingreſſa viriles
Non formidata temeraria *Leucade* SAPPHO.

Item *Auſonius*:

Et de nimboſo ſaltum *Leucate* minatur
Maſcula Lesbiacis *SAPPHO* peritura ſagittîs.

PUBLIUS. Ut quid verò *Gauvinus* arcum ei & pharetram addere voluit? *TULLIUS*. Fortè, ut jaculandi quoque peritiam, aut venandi amorem, vel demum acutæ Poëſeos gratiam innuerent.

PUB-

VII. *PUBLIUS.* Quàm decorus atque formosus est laudatæ Poëtriæ Numus, tam rude atque ingratum aspectu est hoc alterum spurium plasma, sene cornuto oppletum. *TULLIUS.* *Jovem* sistit *Ammonem*, Lybiæ quondam Regem, cum Cornu Arietis effictum, quod sua antehac in galea Symboli locò adlegit: quemadmodum suprà ad Numum *Lysimachi* Dialog. II. à me jam ex Illust. *Spanhemio* didiceras. Idem verò celeberrimus Rei Numariæ Scriptor parem ferè omninò Numum, quantum *Adversam* ad partem, vultu duntaxat *Ammonis*, qui lævorsum hic spectat, in dextram converso depinxit, qui est *Mitylenorum*, nomine simili, quod in tuo est, adscripto: ΘΕΟΣ ΑΜΜΩΝ. i. e. DEUS AMMON. Sed *Aversa* omnino alia est, cùm plasma hoc tuum intolerabili fingendi licentiâ ductus crudissimos, ceu exoticam quamdam Inscriptionem, exhibeat, nullâ regulâ, sed solâ fictoris petulantiâ, vel mero scalpri errore incisos. Et ut ignaros deciperet ampliùs audax impostor, dimidiam prope Inscriptionem litterîs finxît attritis, ac veluti jam dudum ærugine absumtîs: unde tu liquidò colligas, quàm impudenter id furfuris homines rerum antiquarum curiosis & crucem figere, &crumenas emungere studeant. *PUBLIUS.* Detestor tecum hos rabulas, atque verbô jam & exemplô à te gnaviter instructus, eorum à fraudibus sedulò mihi cavere studebo. *TULLIUS.* Sic age: ego verò de *Ammone* adhuc, quæ tibi breviter suggeram, habeo. Ægyptii nimirum eundem quoque coluêre, ceu, Fœcunditatis atque omnis demum Generationis propitium Genium: unde nomen ejus laminis incisum, Amuleti locò pectori affixum gerebant, firmiter rati, sola se ejus invocatione maximîs bonîs repleri. Quam equidem in stultitiam etiam Romani abiêre. *Ammonis* nomen à Græco ἄμμος, quod *Arena* sonat, ajunt deductum, eò quòd fanum ejus arenoso maximè in loco constiterit. *Hyginus* porrò refert, *Libero patri*, seu *Baccho*, exercitum siti deficientem per Africam ducenti, *Arietem* casu ad fontem præivisse: quem ille postea astris intulit, & inter cœlestia Zodiaci Signa reposuit. Insuper magnificum ei templum instruxit eo ipso in loco, ubi aquam, ipso monstrante, repererat: qui tamen arenosus maximè, ac serpentibus fuerit plenus. *PUBLIUS.* Vah profundam Græcorum Sapientiam, cujúsque cerebrô aliter atque aliter natam! Sed lepidior adhuc est Numus Tabulæ tuæ primæ X. & ultimus, ut video, non jam hircocervum, sed hominem - taurum in medium proferens.

Spanh. T. I. Diss. VI. pag. 297.

Athanas. Kircher. Obelisc. Pamphil. L. V. p. 491.

Hygin Astronom. Poët II. 20. apud Pitiscum Lex. Antiq. voce: Jupiter Hammon.

Tab. I. Num. X.

VIII. *TULLIUS.* MINOTAURUM utique, solemne illud Cretensium mendacium, non omnino ignorabis, qui omnium Eruditorum non parva cum admiratione tot Numos clararum aliàs Urbium, à *Creta* oriundarum,

detur-

deturpat: quasi verò nobilis hæc Insula aliud quidpiam peculiare, quo jure gloriari posset, omninò non habuisset. Eundem Numus tuus *Ambracius* (Legenda enim Græca ΑΜΒΡΑΚιωτων AMBRACIA sonat) Aversa in parte talem omninò sistit, qualem eum Illustriss. *Spanhemius* ex *Paruta* Numis Siculis pinxit, licèt tuô majorem, & cum tridente informi, qui tuo in Numo distinctè exprimitur, demum sine omni quoque Legenda: Adversa pars prorsus ibidem deest. *Goltzius* porrò *Minotaurum* in Numis *Ambraciæ* bis exhibet, sed cum barba minori, & sine spinis illis, auriculæ locò prodeuntibus, quæ in Numo tuo nonnihil attritæ, tamen comparent: Tridentem magnum, intra quem parvuli duo Delphini, in *Aversa* pingit unius Numi, & Cancrum marinum in *Aversa* alterius, ceu Symbola, juxta *Nonnium*, è quibus intelligas, *Ambraciam*, Urbem maritimam esse. Putat præterea *Nonnius*, signatum hìc esse *Minotaurum* causâ *Thesei*, Regii Principis Atheniensis, qui eum occidit: & quoniam fortè *Ambracia* se ortam esse *Athenîs* innuere voluit. Ast *Spanhemius* identidem asseverat, visum esse jam dudum viris doctis, *Cretensem* propter originem, non *Atheniensem*, à compluribus Græciæ Civitatibus iterum iterúmque id factum. Eodem Clariss. teste, Caput *Adversæ* laureatum atque barbatum vel est *Jovis Cretensis*, vel *Minois* Regis, eidem Insulæ moderantis.

Spanh. T. I. Diss. V. p. 285.

Goltz. T. I. Græ. Magn. tab. 5.

PUBLIUS. Ego fabulam *Minotauri*, qualem in scholis accepi, si id mihi dederis, compendiô dicam. *Minos*, Cretæ Rex, admodum potens, marisque Ægei Dominus, *Pasiphaën*, filiam Solis, habebat uxorem, quæ ei *Ariadnen* & *Phædram* filias, atque *Androgenum* filium peperit. *Venus* porrò *Soli*, seu Phœbo, fratri irata, quòd scelera ejus in meridie poneret, venefico astu *Pasiphaës* sensum ita pervertit, ut in *taurum* vesana exarderet: inde peperit *Minotaurum*, quem passim *Ovidius* describit: IX.

Semibovémque virum, semivirúmque bovem.

Hoc monstrum Rex *Minos*, humanîs carnibûs ferè pascendum, custodem posuit *Labyrinthi*, Horti sui celeberrimi, quem arte *Dædali* tot cum meatibus construxit, ut introëuntes exitum reperire non possent. Cùm deinde Athenienses, sub Rege suo *Ægeo*, occidissent ex insidiis *Androgenum*, filium *Minois*, armîs eos *Minos* adortus, eò compulit, ut quotannis 7. aut plures juvenes *Minotauro* in pabulum submittere tenerentur. Athenæ porrò hoc miserum suæ sobolis fatum sorti commiserunt, quæ tandem & supra *Theseum*, filium Regis *Ægei*, ceciderat. Hunc, ubi Cretæ comparuit, *Ariadne* filia *Minois*, adamare cœpit: quare eidem, Labyrinthum ingressuro, fili convoluti globulum dedit, quo ad ostium, & per omnes meatus

tus alligató, certâ quadam veluti regula, tutò iterum redire possset, simulque suggessit, quo pacto *Minotaurum* facilè sterneret: quem & tauri more necavit. Fugit deinde cum eo *Ariadna*, conjux ejusdem futura: sed *Theseus* fidem ejus, quam Patri non servaverat, non immeritò suspectam habens, eam in Insula *Naxo* deseruit. Nova exinde bella Cretenses inter & Athenienses exarsêre: in quibus tamen *Minos* succumbens, tributum crudele Atheniensibus remittere, Theseóque filiam suam alteram, *Phœdram*, connubio locare debuerat. Hactenus fabula.

X. *TULLIUS.* Mearum modò esse partium reor, qua demum ratione varii variè eandem evolvere satagant, breviter subdere. Primus *Servius* existimat, Regi *Minoi* scribam fuisse, *Taurum* nomine, quem *Pasiphaë*, marito in castris demorante, perditè amârit, gemellos deinde, unum ex *Minoë*, ex *Tauro* alterum enixa sit. Alii contrà opinantur, *Pasiphaë* prægnanti accidisse, quod multis mulieribus solet, ut forti ex imaginatione tauri subitò visi, etsi non nefanda, proli suæ maculam quamdam, tauri cornua imitantem, in fronte congenuerit. Optimè autem, mea quidem opinione, fabulam expedit *Brodæus* ex vetusto *Homeri* Scholiaste. Ait enim: *Phœbum* Cretæ principem fuisse, qui filium habebat *Taurum*, Heroëm inclitum, filiam *Pasiphaën*. Hæc, cùm *Minoi* nupsisset, huic marito suo fratrem *Taurum* adeò familiarem reddidit, ut *Minos* & *Taurus* animorum concordiâ non duo, sed unus viderentur. Quapropter Monetas excuderunt, quarum unam *Vossius* se possedisse testatur, quæ hominem taurino capite, aut vice versa taurum cum capite humano redhibebant. *Labyrinthus* erant arcana Statûs consilia, quæ *Dædalus*, Minois Consul, suggesserat, *Taurus* heroico ausu in opus deduxit. Postquam verò *Ariadna* amore *Thesei*, qui ceu obses pacis in aula *Minois* versabatur, correpta est, aurô *Dædalum* induxit, ut *Theseo* arcana Patris decreta panderet atque hoc filum erat, quo *Theseus* egregios *Tauri* pro *Minoë* conatus elusit, ipsúmque fortè aut equestri in agone, aut ex insidiis occidit. Sicque *Minos* sua veluti truncatus dextrâ, ab Athenis victus, tributa eis imposita remittere compulsus est. Cæterùm *Minos* tantæ credebatur æquitatis, ut novâ licentiâ de eo fingerent Poëtæ, eum cum *Rhadamanto* atque *Æaco* Ditis inferni judicem adlectum esse.

Brodæi Miscell. in Acerra nova Philolog. P. I. de Minot. p. 531.

Voss. Comment. in Catull.



XI. *PUBLIUS.* Unam adhuc Symbolam in *Minotaurum* conferre habeo. *Pierius Valerius* ex *Festo* atque *Vegetio* advertit, *veteres Minotauri signum in Legionibus habuisse: ut, quemadmodum hic in intimo & secretissimo Labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper occultum esset.* *TULLIUS.* Ad hæc ego tibi, quod *Lipsius*, repono: *Bellè ista dicuntur:*

Pier. Valer. Hieroglyph. L. III. c. 38.

tur: verumtamen unde rusticolis illis primísque Romanis Minotaurus innotuit? Vide, ne verè, non Minotaurus, sed taurus fuerit. Certè & taurus robustum ac ferox animal, atque aptum pugnæ. *Just. Lips. de Re Mil. Roman. L. IV. Dial. 5.*

Postremum sibi verbum *Ambracia* deposcit, nequaquam prætereunda, in qua excusus est Numus hìc *Minotauri.* Urbs erat *Epiri* longè illustrissima, sitûs beneficiô, & incolarum industriâ, summam ad claritatem pertingens: Regio namque tota fertilis, maris beneficiô, amnísque opportunitate, vicinorum commercio aptissima fuit. Ferunt eandem ante Trojam conditam esse, si fides sit *Dionysio Halicarnasseo*, qui commemorat, *Æneam* cum classe *Ambraciam* appulisse, & suo adhuc se ævo templum Veneris, atque Æneæ sacellum hac in Urbe reperîsse. Bellô Peloponnesiacô Ambracii supra fidem cum Acarnanis, aliisque, contentiosissimè, sed infeliciùs pugnârunt: secundo autem Marte Molossos contrivêre, asinô propterea æneô, Delphîs sacratô, quoniam Molossorum insidiæ Ambraciis per asinum patefactæ fuere. Romani ægerrimè eos subegerunt: victos tamen & occupatos, liberos postea dixêre ac Socios suos. Inter egregios eorum cives *Cleombrotus* fuit: qui, cùm nihil ei adversi accidisset, solo nimioque immortalitatis amore percitus, in mare se præcipitem dedit, postquam *Phædonem* Platonis, seu Librum de Anima, legisset. Celebris est præterea de *Ambracia* lis Deorum apud Poëtas, cùm scilicet, referente *Antonio Liberali*, Apollo, Diana, & Hercules de Urbis tutela contenderent. Arbiter tandem ab eis constitutus est *Cragaleus*, Dryopis filius, Vir æquissimus, qui appensîs ubique rationum momentîs pro Hercule decîdit. Sed ab irato eapropter Apolline manu contrectatus, eodem in loco, ubi sententiam dixerat, in saxum mutatus est. Unde cecinit *Ovidius*: XII. *Nonn. ad Goltz. T. I. p. 17. &c.* *Anton. Liberalis Metamorph. IV.* *Ovid. Metam. XIII.*

Prætereunt vecti certatam lite Deorum
AMBRACIAM, versique vident sub imagine saxum
Judicis, Actiaco quæ nunc ab Apolline nota est.

DIALOGUS V.

De

Numis DELPHORUM: PAGASEORUM: CORCYREORUM: & LEUCADIORUM.

PUBLIUS.

I. TAbulam tuam II. hilaris ut aggredi velis exponendam, enixiùs abs te flagito, Honorande Tulli: etenim multa & mira rerum varietas, quæ oculis ibi contuendam se objicit, plurimam mihi reconditæ eruditionis abinde hauriendæ & cupidinem elicit, & spem amplissimam ingerit. *TULLIUS.* Fateor equidem, privatis in arculis veterum Numorum sanè non undique hos tuos Græcarum Urbium Numos offendes: quibusdam tamen eorum ætas longa, quam tulêre, non parum iniqua fuit. Sed diligentissimo *Goltzio* debes, quòd integros eos tibi pingere quiverim: doctissimo autem *Nonnio* plerúmque, quòd non-
Tab. II. nulla ex eis utcunque tibi exponere valeam. *PUBLIUS.* In primo eo-
Num. I. rum, apud me æreo medio satis attrito, quem *Delphorum* esse reor (ΔΕΛΦΩΝ enim lego) *Adversa* Delphinum habet, qui nantis in morem tergô recurvô nudum juvenem portat. *Aversa* capite juveni laureato Appollinem sistere mihi videtur, cùm penès eum ad lævam & cytharam videam, & lauri ramum inde prodeuntem. *TULLIUS.* Ex tripode loqueris: *Delphos* námque Appollini tota sacerrima fuit, vìxque ille celebrius nomen atque *Delphici* obtinuit. *PUBLIUS.* Ubi verò locorum *Delphos* erat? Unde illi tanta Apollinis Religio? Annè Delphino & Delphis, ut nominis, ita & rei cognatio? *TULLIUS.* Si te fabulæ juvant, quamplurimas audies.

II. *Delphos*, aut meliùs *Delphi*, olim Phocidis Regionis Urbs longè clarissima, sita erat in monte Parnasso, omnium Poëtarum carminibûs celeberrimo: qui & præruptus erat, & veluti vivum ludentis naturæ theatrum. Nominis originem varii variàm comminiscuntur. Quidam enim à *Delpho*, Neptuni filio, quem è Melanthe, filia Deucalionis, susceperat, *Delphi* derivatum existimant. Pluribus præplacet, cum Cretenses suis è civibus

civibus classem ad condendam coloniam emitterent, navigantibus *Delphinum*, cui volupe est propè navigia ludere, juvenésque ac maximè pueros gestare (in quo demonstrando multus est Illustr. *Spanhemius*) veluti maritimi sui itineris ducem ad Cyrrham præivisse, vel, monente *Isacio Tzetze*, navim Crysseum ad Sinum deduxisse. Id cùm forsitan casu, aut *Spanhem.* consuetudine piscis acciderit, lepidi idololatræ præsenti id Numini totum *Tom. I. Diss. IV. à p. 224.* tribuebant. Unde è Graculis Scriptoribus alii jactabant, hunc Delphinum ab Apolline submissum: alii deum ipsum Delphini sub imagine latuisse; nonnulli somniabant, Apollinem visibili specie Delphinô invectum adfuisse. Quibusdam tamen ultimò visum, nihil hìc quidem negotii pisci Delphino intervenisse, sed hoc nomine venisse Pythonem, horribilem illum & venenatum serpentem, quem jaculîs Apollo confecit, utpote qui pariter *Delphinus* est dictus: quocirca & Apollo ab *Homero* dicebatur *Delphinius*, urbs verò, de qua loquimur, ab eodem *Pytho* appellata est. Hìs ita commemoratìs, vix dubitat *Nonnius*, Delphorum hunc Numum, quem & *Goltzius* pinxit, in *Adversa* originem Urbis referre, hicque à Delphino Apollinem gestari. Quod quidem diffiteri posset nemo, nisi *Nonn ad* Eques iste æquoreus cytharæ suæ secum exhibendæ fuisset oblitus. Aliàs *Goltz. Tom. III. p. 38.* verò typus iste neque à prima opinione multùm abludit, quæ vult, *Delphos* à *Delphino*, Neptuni filio, dictos: etenim & huic pelagi Monarchæ Delphinus piscis symboli loco frequenter est datus, quod alibi plenùs disces. Necesse verò tum foret, ut juvenem nudum, belluæ hujus tergore vectum, non Apollinem, sed unum è diis marinis acciperemus. Atque hoc pacto hic Numus, quod, *Spanhemio*, & *Liebbe*, Viris eruditissimis testibûs, Græciæ toti admodum erat familiare, in *Adversa* quidem Originem suam à filio Neptuni, in *Aversa* deinde præcipuam suam erga Apollinem Religionem liquidò ob oculos poneret.

PUBLIUS. Lepida satis Delphorum incunabula hactenus in *Adversa* III. Numi quæsita: *Adversæ* rationem, fortè non minùs jucundam, ex te nunc percipere lubet. *TULLIUS*. Apollinis Mythologia eum in locum reservanda est, ubi de superstitiosa veterum Religione Dialogos totos formabimus. Hìc nôsse tibi sufficiat, omnem Delphorum fortunam, nomen, & claritudinem ab hoc DEO suo prognatam. Sanctissimum quippe erat omni certè Græciæ, immò & exteris nationibus, *Delphorum Oraculum*: cujus origo præ Delphici nominis etymologia magis festiva, in aliis Delphorum Numis, qui juxta *Goltzii* imagines caprino capite fulgent, *Non-* *Goltz. Tom.* *nii* opinione, argento & ære signata est. Auctore siquidem *Diodoro Si-* *III. Tab. VIII. Græc.* *culo*, ex quo id *Gyraldus*, *Bulengerus*, *Pitiscus*, & *Nonnius* in medium *n. 9. 10.* afferunt, quo tempore inculti adhuc Delphi fuêre, eo in loco, ubi po- *Diodor. Sic. XVI.*

ſtea Oraculum claruit, capras paſcere conſueverunt. Erat autem quidam ibi terræ hiatus, ad quem caſu caprarum aliqua exerrans, inſolitis mir s-que modis exultabat, vocémque omnino inſuetam emiſit. Id cùm accideret ſæpius, animadverſum eſt à paſtore, ac tandem eum cupido inceſſit, locum illum oculis ſuîs luſtrandi. Vix pedem eò intulerat, ecce! ſimplex Melampus ſubitò in Apollinem mutatus, mente admodum turbata, ſociis vatidica voce primò riſus excuſſit, ingentem deinde ſtuporem incuſſit. Percrebuit tanti miraculi fama, & pluribus aliis animum addidit, idem periclitandi. Accedunt, turbantur, vaticinantur: nonnulli tamen divini hujus furoris, vatidico ex hiatu ſibi afflati, diutiùs impotes, ſeipſos in præceps agebant, miſerô fatô conſumti. Conventum itaque inter plebem, ut terreſtri huic oraculo honos divinus haberetur: ſtatutum verò præterea, ut Dei reſponſa non niſi unica virgo & peteret, & conſulentium communi deinde emolumento etiam unica redderet. Hanc porro ne enthea virtus aliquando ſuffocaret, machinam aliquam ligneam, quæ orbis fortaſſe figuram referret, hiatui ſacro imponi curârunt, nonnihil ab humo, pedibûs tribûs ſuppoſitis, elevatam: cui virgo, Deum conſultura, jam ſui ſecurior citra metum inſiſteret. Inde *Tripodis Delphici* celebre nomen. *Tripodes* námque, ut habent *Iſidorus* & *Papias*, ſcabella Græcis dicebantur, *habentia tres pedes.* Diu hujusmodi reddendi Oraculi obſequium ad virgines attinuit, donec uni earum, quæ formâ præ cæteris conſpicua fuit, ab *Eucherate*, Theſſalo, vitium oblatum ſit: quod ſcelus Delphi execrantes, Virginibus Matronas quinquagenarias ſubſtituêre.

IV. *PUBLIUS.* Miſeri Graculi quantus non ludus nequiſſimi diaboli erant! Quantò certius nobis, præ ridiculo Tripode, Oraculum Divinæ Scripturæ quotidie fundunt, ſi eas conſulere, iisque obaudire non pigeat! Flendus erat ſuis Authoribus Oraculorum nefaſtus hic ludus: quorum ſub typo, quæ quærebatur, abſconſa eſt potiùs veritas, immò ſepulta, mendacium contrà innumera retulit pereuntium animarum trophæa. Nobis, meliore ſpiritu Paracleto edoctis, *Delphi* modò jucundus ſunt jocus, & mendax Apollo, atque omnis, quæ de eo eſt, chilias fabularum ſales interim ingenuos præbet. Unde liceat mihi percontari abs te, quid demum *Cortinæ* ſub nomine venerit, cujus vocis toties ferè, quoties *Tripodis* memoria fit? *TULLIUS.* Aptè ſciſcitaris: quippe quod *Tripus* Græcis, *Cortina* Latinis audiebat: etſi hoc nomine, juxta *Pitiſcum*, non una res apud veteres appellabatur. Paulò pòſt audies *Servii*, qui ampliſſimè in *Virgilium* commentatus eſt, fluctuantem ſententiam, quam *Nonnius* adducit: ſi vatidici apud Delphos hiatus vetuſtiorem adhuc fabulam intellexeris. *Hyginus* nempe refert, *Pythonem* Terræ filium fuiſſe, & ante Apollinem

Hygin. fab. 140.

linem in Parnaſſo Oracula edere ſolitum. Prænoverat autem fatô decretum, ut ipſe ex partu Latonæ occideret: unde modîs quidem omnibûs, incaſſum tamen, gravidam eam ex Jove interimere ſtuduit. Apollinem ſuum feliciter illa enixa eſt: qui quarto à nativitate ſua die Parnaſſum adiens, *Pythonem* ſagittîs ſuîs confecit. Evolvit hanc fabulam *Macrobius*, inquiens: Πύθων idem eſt, quod *putredo*, quæ naſci ſolet, cùm hiberno tempore, ex imbribus crebris aquæ è montibus defluunt in valles, ibique concluſæ ac ſtagnantes, modico calore ſuperveniente noxio cum fœtore putreſcunt. Mox verò ut in æſtate Syrius ſolis æſtus ſuccedit, ille paludes exſiccat, omnemque putredinem areſcere facit. Atque hæc demum Poëtis omnia audentibus occaſio fuit comminiſcendi, Apollinem, cujus nomine Sol intelligitur, Pythonem ſerpentem telîs ſuîs confodiſſe. Longe iterum alia apud Eruditiſſ. *Liebbe* ex *Ephoro* de Oraculi Delphici origine memoriæ prodidit *Strabo*, *Pindaro*, ejusdemque *Scholiaſte* adſtipulantibûs: *Themidem* nimirum unacum Apolline eidem originem ſuam dediſſe. Quinimmò ſi *Pauſaniæ* fidimus, antiquiſſimîs temporibûs Oraculum illud *Telluri* quondam & *Neptuno* commune fuit, ac propterea intra Delphicum etiam poſtea Templum ſtetit ara Neptuni. Nihiloſecius tamen ſuprà relatam *Pythonis* fabulam *Servius* ulteriùs pertexens, ſcribere voluit. Cortina *locus*, *unde Oraculum datur. Dicitur autem* Cortina, *vel quòd Apollinis Tripus* coriô Pythonis *Serpentis ſit tectus*. Huic deinde ſententiæ ſuæ ipſe diffidens, illicò ſubdit: *Vel, quòd* certa *illic reſponſa fundantur*, *tanquam* Cortina: *vel*, *quod verius eſt*, *quòd* cor *illic vatis* tenetur: *aut ſecundùm Græcam etymologiam*, ὅτι τὴν κόρην τείνει, i. e. *quòd* extendat *puellam* (nimirum quæ eidem inſiſtit) *ut major videatur*. *PUBLIUS*. Fallor, aut bonus ille *Servius*, tot verbîs tótque ſententiîs de Tripode differens, è tripode tamen haud loquitur. Omnes quippe, quas affert, vocis *Cortina* origines & analogiæ nimiùm longè mihi profectæ, accerſitæque videntur. *TULLIUS*. Idcircò & mihi pariter *Pitiſci* longè ampliûs arridet ſententia, qui *Cortinam* perſæpè à *Plinio* nomine *lebetis* uſurpari, idémque, quod lebes, innuere animadvertit: Ollam nempe, aut Vas qualecunque amplum & concavum, voci maximè & ſono capiendo reddendóque idoneum. Inde factum, ſcenas etiam theatrales, quæ Actorum, ſive Muſicorum declamationes appoſitè flectunt atque reflectunt, & plerúmque arcuum ac fornicum in morem ſinuantur, *Cortinas* appellatas eſſe. *Varronis* præterea verba ſunt: *Cava Cortina dicta*, *quod eſt inter terram & cælum: ad ſimilitudinem Cortinæ Apollinis.* Unde tantùm non liquet, Cortinæ Delphicæ ſive Apollineæ nomine cavum illud antrum commodiſſimè

Macrob. Saturn. I. 17.

Liebbe Goth. Num. c. V. §. 43.

Servius ad Virg. Æneid. III.

Pitiſc. Lex. Antiq. Rom. voce: Cortina.

Varro de Ling. Lat. VI. 3.

ſimè accipi, quod vatidicam Oraculi vocem & recepit, & ſonô refractô reddiderat.

V. Hoc porrò ſuper antrum Templum aliud ſemper & aliud, cùm crebriùs dirueretur, exſtructum fuit. Primum & antiquiſſimum ex lauro editum volunt, arbore Apollini ſacra, & præprimis dilecta. Ex quo etenim *Daphne*, filia Penei fluvii, cùm Apollo eam ſibi in conjugem rapere vellet, ab eo fugiens, ope patris in laurum converſa eſſe confingitur: Arborem illam ipſe ſibi Delius conſecravit. Quem *Ovidius* ita ad fatum eſſe comminiſcitur:

Ovid. Metam. I. 557.

— — At quoniam Conjux mea non potes eſſe,
Arbor eris certè, dixit, mea. Semper habebunt
Te coma, te cytharæ, te noſtráque, Laure, pharetra.

PUBLIUS. Eleganter hic locus cauſam ſuggerit laureati in hoc Numo capitis, atque laureæ frondis è cythara prodeuntis. *TULLIUS.* Quinimmò & Tripodem Delphicum è lauro ajunt fabrefactum. Vult equidem *Nonnius*, nugas agere *Lactantium* Grammaticum, dum putat, Tripodem, laurum fuiſſe tribûs radicibûs præditam, & Apollini conſecratam ob triplicem vim præſagiendi, præterita, præſentia, futura. Nihiloſecius tamen *Callimachus* quoque ita de tripode canit:

Lactant. Grammat. in I. Thebaid.

Callimach. Hym. in Apoll. I.

Quantùm iſte Apollinis commotus eſt laureus ramus?

Huner. apud Pitiſc. voce: Tripus.

Hunerius quoque in Xerxem haud parum invehitur, quòd eoúsque audaciæ progreſſus ſit, ut ignem ſacris etiam tripodibus injicere machinaretur. Conſtare itaque tripodes è materia debebant, quæ comburi facilè poterat: ergò veroſimillimè è ligno. Sed quo alio, quàm lauro, Apollini ſacerrimo? Alterum Delphorum Templum è favis apum & alis earum exſtructum narrat *Pauſanias:* quod vel ipſe ſubmiſerit Apollo, vel *Ptera* artifex condiderit. Tertium æneum ferunt, aut ignibûs conſumtum, vel terræ hiatu abſorptum. Quartum ſaxeum incendiô flagravit. Poſtremum *Spintharô* Corinthio Architectô ſurrexit ex ſacra pecunia, rupi undique præruptæ impoſitum, ut neque muris, neque milite, ſolo ſitu & natura ad prodigium muniretur. In medio ejusdem petræ nativæ, ſcenarum quodammodo Comicarum in morem, ampliſſimum quoddam theatrum aperuêre: quo factum, ut obortus quandoque populi clamor, & ſonitus buccinarum, tot in rupibus refractus, cùm unus eſſet & paucorum, multiplex & plurimorum audiretur, rei ignaros inſolita, ac veluti divina majeſtate percellens.

Pauſan. in Phocicis.

Nonn. ex Juſtino.

Hæc

Hæc porrò in Templa dici non poteſt, quantus munerum luxus undequaque illatus, quàm infinitæ divitiæ ſepultæ: ut flagitantes Oracula vel facilem ſibi Apollinem redderent, vel faventi & propitio grates exolverent. *Univerſa ſanè Græcia, præter exteras gentes, vel decimas, vel manubias* (ait Nonnius) *Delphos mittebat.* Fieri itaque non poterat, quin tanti auri ſacra fames populos minus religioſos ad prædam ad rapinam inſtigaret. Sæpè eapropter multúmque Delphi hoſtilibûs armis infeſtati ſunt: cúmque hoſtes aut naufragiô perirent, aut acie caderent ſubinde, anſa plurima fiebat paganorum, & maximè vatum mendaciis, creberrima prodigia Apollini, Templi ſui Tutatori & Propugnatori, palàm affingendi. Sic Phlegyæ primi fulminibûs perpetuis, aut terræ motibûs ſcelus luiſſe finguntur. Cùm deinde *Phlegyas*, Ixionis pater, ob filiam ſuam *Coronidem*, ab Apolline vitiatam, Templum ejus ſuccendiſſet, mentiuntur, eundem Dei ſagittis ad inferos truſum. Perſarum ſub Xerxe contra Templum expeditio pariter infeliciſſima fertur, ſaxis ingentibûs in eosdem è Parnaſſo devolutis. Phocenſibus res haud paulò feliciùs ceſſit: qui Templô occupatô, ingentem ex eo vim auri abſtulêre. Gallos, horum animatos ſucceſſu, fortuna rurſum deſtituit: repulſi namque à Delphis, poſtea tempeſtate penitus ferè contriti ſunt. Sylla verò Romanus Templum impunè ſpoliavit: Nero Cæſar poſtremò, referente *Pauſania*, totum contrivit Apollinem, quingentas æneas auferens ſtatuas, &, quod addidit *Dio Caſſius*, Cyrrhæam totam regionem tanto Numini ſurripiens, ſuis militibus tribuit. Locum inſuper ipſum, unde ſacra dabantur reſponſa, funditus convellebat, non paucis hominibûs ad ipſum os Adyti ſacri trucidatis. VI.

PUBLIUS. Sic nempè omnia, quæ valuêre, ruunt: quæcunque cœpere aliquando, aliquando intereunt. Sic veritas, etſi preſſa diutius, opprimitur nunquam, ac tandem de mendacio triumphat. Fatui idololatræ tanti Sacrarii ſui excidium, cujus ſtygii doli Mundum propè omnem faſcinaverant, animô arrecti atque ſuſpenſi, ſceleri Neroniano tribuebant: ignari interim, regnare jam non potuiſſe patrem mendaciorum diabolum, poſtquam placuit Veritati Incarnatæ, Eccleſiæ Regnum in orbe ſtatuere, proferre fidem ſalvificam, Crucis ſacroſanctæ trophæum immobili & inſuperabili petræ infigere. Nero interim ille ſceleſtus tutus equidem omnino à diruto Apolline fuit: veri attamen DEI vindicem Rompheam cætera ob crimina ſua infanda, & cruentum in CHRISTI fideles furorem plus nimio ſenſit. *TULLIUS.* Rectè agis, Optime Publi, quòd à fabula fidem pio conatu confirmas, & morum documenta decerpis: ſic perge, VII.

& Numi, in quibus excudendis adeò vani & profani fuêre Authores, Liber tibi erunt indubiè sanctus & bonus.

VIII. Tab. II. Num. II. *PUBLIUS.* Alterum Numum Tabulæ tuæ II. non æquè, ac primum, facilè recenseo. Si rectè tamen memini Serti illius, quod supra in Numo Regis *Mithridatis* occurrerat, túque hederaceum dixeras, & *Liberi Patris*, *Bacchi* inquam, sive *Dionysii* insigne: hanc quoque coronam, quæ hìc in *Adversa* nomen ΠΑΓΑΣΑΙΩΝ includit, parem existimo. Caput porrò *Aversæ*, simili redimitum corona, ferè *Bacchi* arbitrarer, nisi ita ambiguum foret, ut fœminæ magis, quàm masculi juvenis videatur.

TULLIUS. Postremò ut dubiô te primùm expediam, moneo te cum *Pitisco*, quod ille ex *Servio* notat, esse nimirum, qui dixerant, *utriusque sexus participationem habere Numina*: non, quòd ipsa re mares simul ac fœminæ exstitisse crederentur; sed quòd omnia complecterentur, & hominum quorumlibet proprias operationes gubernarent. Peculiare autem præ cæteris fuit *Libero Patri*, modò puerum, modò juvenem, modò virum, modò barbatum etiam senem, jam masculum, jam etiam fœminam effingi. Cujus quidem rei causam *Ulpianus ad Demonsthenem* à ludis reposcit: quoniam Baccho omnis ætas, omnisque sexus choreas agebat. *Tzetzes* verò ad *Lycophronis Cassandram* vino deputat, quod omnium corda lætitiâ erigit, luctu exolvit. Tutò proinde hìc *Bacchum* agnosce, unacum Apolline tutelarem olim totius Thessaliæ Deum. Erat autem in Thessalia *Phtiotidis* Regio, & inter Phtiotidis Urbes, percensente *Ptolomæo*, in Pelasgico sinu prima fuêre *Pagasæ*: quæ in *Adversa* per Græcum ΠΑΓΑΣΑΙΩΝ describuntur. Tuum hunc Numum etiam *Goltzius* pinxit, licèt facie magis mascula, ac in ære tuo conspicio. *Nonnius* porrò, diligens Numorum Goltzianorum, & maximè Historiæ Regionum atque Urbium vestigator, de *Pagasis* notat geminam ejus nominis Etymologiam. Juxta quosdam enim appellata creditur Urbs ἀπὸ τῆς Ναυπηγίας τῆς Ἀργοῦς, *quòd illo in loco Argo navis compacta fuit*, sic dicta, quoniam faber & artifex ejus Argus dicebatur. Cantant proinde primùm *Ovidius*:

(Marginal notes: *Pitisc. voce:* Bacchus. *Serv. Æneid. II.* — *Goltz. Tom. III. Græc. Tab. XXI. n. 1.* — *Nonn. Tom. III. p. 116.*)

Jámque fretum Minyæ *Pagasæa* puppe tenebant.

Deinde apertiùs *Lucanus*:

Prima fretum scendens *Pagasæo* littore pinus,
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.

Straboni

Straboni nihilominus rectiùs illi ſentire videntur, qui *Pagaſas* dictas volunt ἀπὸ τῶν πηγῶν, quòd illo in loco *multi & uberes fontes* ſcaturiant. Cæterùm in *Pagaſis* Urbs *Phara*, quondam non incelebris, Navale ſuum, emporiúmque conſtituerat. Sed & Apollini, juxta *Heſiodum*, à Pagaſis nomen *Pegaſei* adhæſit: quem à Theſſalis, Achaisque Παγασίτην appellatum *Heſychius* inſuper memorat.

PUBLIUS. Siquidem Numus iſte *Argonautarum* nos antè admonuit, IX. repetam breviter, ſi placet, memoriâ & *Aurei Velleris* & *Jaſonis* fabulam. *TULLIUS.* More tuo id velim, id eſt, quàm breviſſimè facias. *PUBLIUS.* Thebæ Regem habebant *Athamantem*, Æoli filium, cui dicunt Arietem aureo vellere fuiſſe: conjugem ducebat *Nephelen*, ex qua *Phryxum* filium, & filiam *Hellen* ſuſcepit. Cùm verò *Nephele* ad inſaniam redacta in ſilvas profugiſſet, thorum Regium *Ino* obtinuit, iniquiſſima liberis *Nepheles* noverca. Quare Rex *Athamas* pater *Phryxo* filio ſuaſit, ut cum *Helle* ſorore ſalutem in fuga poneret, & maria, fati melioris ſecurus, tranaret: cujus quidem itineris in adminiculum aureum eidem Arietem donavit. Paruit *Phryxus*, & una cum ſorore Arietem conſcendit, marique ſe credidit, hoc vectore propitium ad litus deferendum ſe ſperans. Longiùs autem progreſſi, fluctibûs cæperant gravioribûs agitari: quibûs territa *Helle* imbellis ariete decidit, & undîs ſepulta, æquori illi maris *Helleſpontiaci* nomen pepererat. *Phryxus* porrò animô excelſior, turbidos fluctus ſuperavit intrepidus, & incolumis *Colchos* pervênit ad *Aetam* Regem, hominem naturâ truculentum, adeóque inhumanum, ut hoſpites omnes, gentis quidem ſuæ æquè barbaræ more, illicò *Dianæ Tauricæ* litaret. Quia tamen avaritiâ præterea non modicâ fuit, *Phryxus* inſolitam gratiam *Ariete aureo* reperit, quem felicis itineris ergò proſperè confecti, ceu juge anathema Marti immolavit, aureîs deinde exuviîs illius in templo ſuſpensîs. Paulò pòſt Rex *Aetas* oraculô admonitus, pereundum ſibi fore, ſi peregrini nave advecti appellere ſinerentur, Velluſque aureum auferrent, Velleri quidem taurum æripedem, atque draconem pervigilem cuſtodes adhibuit: crudelitatem porro ſuam in advenas omnes tantò nefaſtiùs exercuit. Quoniam verò *Colchis* Inſula aliàs quoque aurô mirè abundabat; ejus expugnandæ cupiditate ſæpe multúmque Græci exardebant. Sed effera Colchidum inhumanitas erga exteros omnes, omnibus animos ejusmodi ad expeditionem comminuit. Auſus id primùm eſt Theſſalus *Jaſon*, juvenis acerrimus, filius Regis *Æſonis*: cujus dum animos *Pelias*, qui ſoliô patrem expellere adniſus eſt, oppidò pertimeſceret, profectionem in *Colchidem* juveni Heroi ſuaſit identidem, tandem & perſuaſit. Negligit nimirum impotens ſui gloriæ cupido etiam mani-

manifesta pericula: nec vivere delectat, dum sine gloria vivitur. Mori cum gloria vitâ dulcius creditur. Navi proinde ab *Argo*, quem *Pallas* ipsa instruxerat, fabrefacta, *Jason* cum quinquaginta sociis Græcis fortissimis, *Typhi* pinum moderante, mare ingressus est: primósque hos milites æquoris *Argonautas* dixêre, quòd *Argo* navi veherentur. *Lemnum* primùm insulam devenerunt: ubi paulò antè mulieres condictîs furiîs maritos suos, & masculos omnes interfecerunt. Excepti à mulieribus Græci, in Regnum simul & thorum admissi sunt: *Jason* præcipuè ab *Hypsipyle* Regina maritus delectus est. Substitere ibidem propè biennió: tandem suæ se expeditioni rursum accinxerunt, & à *Phineo* Rege amice edocti, quomodo scopulos *Cyaneos* longè periculosissimos superare tutò valerent, *Colchos* appellebant. Ibidem *Jasoni* forma egregia quàm dextra plus profuit: illicò enim adamari cæpit ab *Medea*, Regis *Aetæ* filia. Cui cùm nuptias sponderet, illa modum eidem suggessit, quo & taurum superaret æripedem, & draconem sopiret: veneficam quippe artem eximiè calluit. Hîs feliciter confectîs, & concupito vellere aureo pariter rapto, fugam *Jason* festinus arripuit, *Medeam* sociam habens. Cùm verò eosdem Rex *Aetas* velocissimo cursu persequeretur, fœmina truculenta parvulum suum fratrem *Absyrtum*, quem idem in consilium, jam antea apud se decretum, abstraxerat, jugulavit, & in frusta concisum, per omnem viam, quæ ad litus ducebat, dispersit: ut pater eadem colligens, remoraretur tantisper, donec sibi cum *Jasone* litus attingere, navimque conscendere liceret. Sic raptum aureum vellus, hæc sors erat Argonautarum: quibus tanta fati fiducia fuit, ut primi hominum omnium efferos fluctus fragili carinâ *Pagasea* sulcare auderent. *TULLIUS.* Bellè hanc fabulam amplissimam collegisti: quam totam se evolvisse nonnulli arbitrantur, si dicant, *Athamanti*, Regi Thebano, navem fuisse, quæ Arietem aurô depictum in prora vel puppi habebat, quam fugientibus Liberis tradiderit. Hoc tamen pacto *Argonautæ* sanè non primi, sed secundi æquora tentâssent. Hos porrò non aureum Arietis vellus, sed Colchidis Insulæ, aurô opibusque instructissimæ, multò magis imperium concupiisse, facile creditur.
Plin. XXXIII. 3. *Plinio* etenim teste, ibidem *aureæ Cameræ Regis*, *& trabes argenteæ* fuêre.
Strabo L. XI. Sed & *Strabo* luculentiùs perhibet de *Colchis*. *Apud eos torrentes dicuntur Aurum deferre, quod barbari perforatis tabulîs ac lanosis pellibûs excipiunt: unde Aurati velleris fabula conficta est.*

X. *PUBLIUS.* Sin rectè de Numo III. Tabulæ tuæ II. me hariolari
Tab. II. ex literis contigerit, *Corcyreorum* is est: lego namque intra radios Stel-
Num. III. læ in *Adversa*: ΚΟΡΚΥΡΑΙ. *TULLIUS.* Adde ΩΝ, quibus literis locus congruus ampliùs non-supererat, & habebis latinè:

COR-

CORCYRA. *PUBLIUS*. Quòd si ita sit, Numus hic ipse, præter opinionem, *Jasonis* historiam quodammodo prosequitur: quam mox, ut brevior essem, abruperam. Ajunt etenim: *Colchos Jasonem* etiam pelagô persecutos, *Corcyræ* deprehendisse, postulantes ab *Alcinoo*, Phæacum Rege, hìc Regiam suam & hortos aureîs pomîs florentes tenente, ut, si *Jasonem* nolit, certè *Medeam* eis extraderet. Annuit *Alcinous*, postulata se facturum, si *Medea* virum passa adhucdum non esset: sin verò, connubia se solvere minimè posse. Audiît hoc responsum *Arete*, Regia Conjunx, cùmque *Medeæ* faveret, *Jasoni* illud vulgavit: qui è vestigio nuptiarum solemnia agens, Colchorum se minis & importunitatē hoc pacto ocyssimè expediît. Malè verò hoc postea connubium cessit. *Medea* quippe, fœmina crudelis & pessima, promeruit, ut eam *Jason* in patria sua postea repudiaret. Eapropter iræ impotens Colchica Circe, Creüsam, novam *Jasonis* Sponsam, igne tartareo, in pixide muneris locò eidem submisso, una cum patris *Creontis* domo ac Regia, Corinthi combussit: præterea, quos ex *Jasone* antè susceperat liberos, ipso inspectante, in partes discerpsit. *TULLIUS*. Tûte ipse tibi, Optime Publi, demonstras, quàm valeant Numi ad veterem historiam, aut exquirendam sollicitè, aut firmiter animô complectendam. Appositè excurris: curandum tamen, ut in viam citiùs redeas. Dialogos, non historiam conficimus: rerúmque, quas in Numis spectamus, multitudo, dum perpetuò ad cætera revocat, unum ex integro exhaurire nos vetat.

PUBLIUS. Nescio, qua cupidine sumus, ut, quamvis plurima ignoremus, aliquid nos attamen nôsse omninò, ut noverint alii, velimus. XI.
Hinc imus, quà possumus: & cùm ad nucleum usque penetrare non liceat, frangendo tamen in cortice vel ludere interim juvat. De Stella, quæ coruscat in *Adversa*, déque vasis & poculis, pampinóque *Aversæ* dudum præcoci lingua disseruissem, nisi aqua hìc undique mihi hæreret. *TULLIUS*. Atqui hæc mera sunt symbola *Bacchi*, & devotam ei fuisse *Corcyram* testantur: maximè, cùm publicò ibi Templô, asserente *Thucydide*, coleretur. *PUBLIUS*. Bacchíne ais? Vasa quidem & pocula, botrum præterea, ac hederæ folium *Libero Patri* facilè annuo: ventris enim ingluviem, merô præcipuè æstuantem, curæ is habet, dignam deô solicitudinem. Sed Stella eidem unde congruat, admodum ambigo. *TULLIUS*. Nôris utique, qui aliàs tam benè fabulas calles, cujus filius *Bacchus*? *PUBLIUS*. *Jovis* nimirum omnipotentis, & *Semeles*: cui cum *Juno* amores mariti invideret, eam hortabatur, ut postularet, ita sibi Jovem, qualis Junoni adesse soleret, advenire. Petiît, &

quia obtinuit, periit: igne enim divino exusta est. *TULLIUS.* Satis mendacii: jam nullo negotio veterem Poëtam intelliges, ita canentem:

Apud. Pitisc. voce: Bacchus.

Sic Apollo, deinde Liber sic videtur *ignifer:*
Ambo sunt flammis creati, prosatique ex ignibus.
Ambo de comis calorem, & ambo radios conferunt.
Noctis hic rumpit tenebras: hic tenebras pectoris.

Macrob. Saturnal. I 18. Ovid. Metam. IV. 18.

Hæc causa erat, cur *Liberum* aureis cornibûs effingerent, cur stellam eidem apponerent. Immò, quemadmodum *Macrobius* pluribûs docet, per *Bacchum* Sol ipse intelligebatur, cui bacchantes in Orgiis juxta *Ovidium* ita accinuêre:

Tu puer æternus, tu formosissimus altô
Conspiceris cælô.

Diodor. Sic. Libr. I.

Eumolphus *apud* Diodorum *eundem appellat*
Sidereum *Dionysium* igni radiante coruscum.

Adeò præterea sagax erat veterum superstitio, ut masculosarum pellium animalia, tygrides, lynces, pantheras, eidem immolarent: quæ tergore suo cæli stelligeri veluti symbola gestabant. Unde & *Liberum* ipsum pelle hinnuli amiciebant, causam sic apertè reddente mox laudatô *Diodoro*, dum ait. *Quidam nebride Bacchum amictum esse dicunt, ut astrorum varietas significetur.* Non jam ergò peregrina in hoc Numo tibi Stella videbitur: superest, ut de *Corcyra* verbulum audias. Gemina exstat hujus nominis Insula. Prima olim Μέλαιναν dicta, hodie *Curzoli* audit. Altera, cujus est hic Numus, Epiro & Threspotiæ opposita, *Corfu* nunc dicitur. Multa ei nomina oppidò diversa veteres tribuêre: quibûs hìc prætermissìs, *Corcyræ* appellationem, perhibente *Diodoro* apud *Nonnium*, accepit ab *Asopi* filia *Corcyra*, quam raptam *Neptunus* in hanc Insulam detulit. Ex qua cùm *Phæax* nasceretur, populo Insulæ hujus nomen *Phæacum* inditum est. Vino gaudebat, cùm senesceret, admodùm laudatô: cui hodie, *Romania* dicto, non minor est fama. Navalis gloria præ omnibus ei vicinis maxima fuit. Colonia erat Corinthiorum: siquidem ex Bacchidis unus, quos Corinthii expulerant, unacum sociis ad Phæacum litus appulerat, locúmque, ejectìs veteribus colonis, ut refert *Apollonii* Scholiastes, occupaverat. Paruit postea Corinthiis: sed opibûs suìs prosperâque fortunâ insolens, sprevit

Metro-

Metropolim suam. Posteaquam verò Epidamnii, Corcyræorum coloni, prementibûs eos Illyriîs, nec Matre sua eos tutante, Oraculi insuper monitu, sese Corinthiis permisêre: irati Corcyræi utrosque feliciter oppugnârunt. Corinthiîs porrò Peloponnesum totam in societatem armorum advocantibûs, ortum est Bellum Corinthiacum: cui Peloponnesiacum successit. Armaverant tunc Corcyræi naves centum viginti, auctore *Thucydide*, eximiô sane magnitudinis ac potentiæ suæ argumentô: & quamquam *Temistoclem*, Atheniensem, acerrimum sibi habuêre, à Lacedæmoniis insuper obsessi, atque fame arctati, nihil tamen extremi discriminis subiêre. Numos eorum plures *Goltzius* pinxit, in quibus stellam, pocula, botrum, hederam videas; sed nunquam ita conjuncta uno in Numo, quemadmodum in tuo. *Goltz. Tab. I. Insular. Græc.*

PUBLIUS. Majoris reor indaginis esse Numum IV. Tabulæ tuæ II. in quo exponendo nihil omninò sum. *TULLIUS*. Nomen hìc utique legis ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ, quod idem, atque LEUCAS, sive *Leucadia*. Epiro fuit opposita, Corrinthiorum colonia: à quibus, cùm ante Peninsula esset, seu ex parte continenti adhærens, abscissa deinde à terra, Insula evasit. Quocirca *Ovidius* cecinit: XII. *Tab. II. Num. IV. Ovid. Metam. XV.*

Leucada continuam veteres habuêre Coloni:
Nunc freta circumeunt.

Nonnio tamen videtur, velle *Plinium*, quòd continenti postea iterum reddita sit, dum infit: *Egresso sinu Ambracio in Jonium, excipit* Leucadium *litus, Promontorium* Leucates, *dein Sinus, ac* Leucadia *ipsa Peninsula, quondam* Neritis *appellata, opere accolarum abscissa à continente, ac reddita ventorum flatu, congeriem arenæ accumulantium: qui locus vocatur* Dyorictos, *stadiorum longitudine trium. Oppidum in eo* Leucas, *quondam* Neritium *dictum*. *PUBLIUS*. Percontari hìc subit ex te, an non promontorium *Leucates*, quod mox à *Plinio* laudari audivimus, petra illa prodigiosa existimanda sit, ex qua sedandi amoris causâ, ut suprà dixeras, se *Sappho*, Poëtria Lesbia, præcipitem dedit? *TULLIUS*. Illam ipsam esse *Nonnius* infit, albicanti colore in mare prominentem: in qua olim Apollinis Leucadii templum constiterat. Ejusdem honoribus, *Starbone* fidem faciente, Leucadii quotannis, cùm solemnia facerent Sacra, sontem aliquem *averruncanda* Deorum iræ causâ, i. e. avertendæ, ex scopulo hoc dejecere: ita tamen, ut varias ei pennas, volu- *Plin. VI. 1. Nonn. ad Goltz. pag. 212. Tom. III.*

volucresque affingerent, quibûs mediîs volaret magis, quàm saltaret: paratæ etiam erant cymbæ & navigia, quæ cadentem exciperent, atque ab undis servatum, patrios extra fines deveherent, tanquam *Ver sacrum.* *PUBLIUS.* Quid sibi hæc ultima verba deposcunt? *TULLIUS.* *Ver sacrum* dixêre veteres pecus, ex voto Numini immolandum, teste *Livio*, & tale quidem, *quod natum esset vere, inter Kalendas Martias*, *& pridie Kalendas Majas.* Quoniam autem juratus humani generis hostis, stygius Alastor, qui in diis omnibus deabúsque adoratus est, etiam homines sibi devoveri concupierat: apud Samnios accidisse retulit *Festus*, ut gravi pestilentia eam insulam pessumdante, Oraculi voce postularet Apollo, *Ver sacrum* sibi devoveri, i. e. omne illud, quod Vere proximo natum esset. Immolârunt Samnii ejusmodi pecora singula, peste levati. Hac tamen vicesimô postea anno acriùs iterum sæviente, Apollo rursum consultus respondit, votum ab iis ex æquo persolutum non esse, *cùm homines immolare omiserint.* Hos saltem nunc patriâ pellant, & liberos se morbô futuros. *Veris* itaque *sacri* nomine exinde etiam homines devoti venêre. *PUBLIUS.* Multa jam de *Leucade* didici: quid verò nomen ΛΕΩΝ, nomini ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ in *Aversa* subscriptum? quid sibi monogrammata gemina volunt, quorum primum X. & A. alterum A. solum ostendit? *TULLIUS.* Singula Nonnius præterivit, etsi *Goltzius* tuum hunc Numum pariter pingat, sed argenteum notet, cùm tuus sit æreus, ac monogramma posterius sive A. literam, non infra navim, sed ad lævam puppis exhibeat. ΛΕΩΝ quidem Virum aliquem designare, quæ præcipuum in Leucade magistratum gerebat, non valdè ambigendum. In aliis etenim tribus, quos pariter ibidem exhibet *Goltzius*, Numis Leucadiorum, argenteis omnibus & mediis, aliud semper & aliud nomen occurrit, nimirum ΝΙΚΑΤΟΡΑΣ: ΔΙΑΚΡΙΤΟΣ: ΘΕΟΔΩΡΟΣ. Monogrammata verò nullus alius habet, præterquam tuus: quæ, nisi temerè omnino conjicerem, exponere nequeo. Fortè ad integra *Leonis* descrîpti nomina exprimenda A. & X. literam pertinere quis autumet. Navem porrò *Goltzius* in omnibus exhibet Numis, sed dispari aliquatenus ornatu: *Nonnius* verò ex ea posse intelligi putat, Leucadios navalis rei studium, quo fervebant, innuere voluisse. *PUBLIUS.* Si *Aversa* tam obscura, quid lucis *Adversa* accendis? *TULLIUS.* Ea haud paulò obscurior. Deam ibi stantem vides, veste ad talos usque defluente: cervum adstantem: post eam telum, cuspide suo inverso quasi terræ infixum. Manu dextra extenta ornamenti quoddam genus præ se ferre *Nonnio* apparet, quod vel fastigio domus imponebatur, & *Acrotirium* audiebat: vel summam

Liv. XXXIV. 44.

Festus in Mamertinis.

Goltz Insul. Græc. Tab. I.

ſummam navium proram exornabat incurvum, *Acroſtolium* dictum. Ad dextram Aquila inſidet pilæ ſive columnæ, minùs dexterè ſignata; ad lævam ſpica turgens excreſcit. Omnia tandem ſertum è lauro grande concludit. Tam multiplicium rerum emblemata in unum qui colligat, acutus ſit ſanè, oportet. *Nonnio* videtur tantùm, quin affirmet, *Dianam* hìc exhiberi, per hæc ſymbola forſitan à Leucadiis cultam. Illa verò, ut venantium Præſes, ſuccincta eſſe aliàs ſolet, & ad curſum expedita: cui muneri veſtis talaris non quadrat. Cervus ei proprius: fortè & haſta vel telum venabulum interim credi poſſet. Sed ut quid *Acroſtilium* geſtat, navium Inſigne? quid illi cum ſpica? & maximè cum aquila? In omnibus tamen quatuor *Goltzii* Numis eadem dea eodem habitu adſtat: Ariſta aliquando cum Cornucopiæ, ſignîs alias fortunæ & fertilitatis, locum mutat: Aquila, quæ hìc pilæ, in cæteris haſtæ inſiſtit, jam rectæ, jam ſpiris ſerpentinîs volutatæ, quaſi ſigna eſſent militaria Romana. Fateor, hanc caliginem perſpicacioribus ingeniis, & quibus plenior ſit *Leucatis* cognitio, diſcutiendam à me relinqui debere.



DIALOGUS VI.

De Numis DYRRACHII, ATHENARUM, MACEDONIÆ Primæ, & BRUTTIORUM.

PUBLIUS.

QUantò magis egregia ſunt, quæ ex Numis meis, non multùm venuſtis aſpectu, per te tamen indies addiſco, Venerande Tulli, tantò avidiùs ſimilia cupio, & verè à me, *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* Inſolitô planè circulô includitur caput *Dianæ*, ut ex arcu & pharetra auguror, in Tabulæ tuæ II. Numo V. An myſterium hoc? an cælatoris libido erat, ejuſmodi orâ venu- I. *Tab. II. Num. V.*

venustiori Numum hunc argenteum medium convestire? *TULLIUS.* Deditâ id operâ factum. MACEDONIÆ etenim PRIMÆ hic Numus est: cujus gentis *Symbolum ferè consuetum* fuisse *Clypeum cum Stellis*, quibûs crebriùs repetitis ora Numi tui concluditur, ex Illustr. *Spanhemio* disco. *Dianæ* rationem reddit *Nonnius*: siquidem *Macedones* deæ hujus præcipuo cultui semper dediti erant, utpotè venandi studio perpetuò innutriti. Hinc idem *Goltzii* doctus Interpres ex *Livio* simul atque *Plutarcho* notat, nocte illa ante pugnam internecinam ultimâ, quà *Perseus*, postremus Rex Macedonum, à *Paulo Æmilio*, Romano, devictus fuit, *Lunæ*, quæ cum *Diana* eadem est, deliquium notatum populo illi extremum indidisse luctum: ut adeò nil, nisi fletus & clamor apud eos in castris insonuerit, usquedum *Phœbe* denuo è tenebris emergeret. Illa siquidem ecclipsi occasum Regni sui, gentisque perniciem portendi, neque vanum, augurabantur. *Aversa* in parte querneam intra coronam clava *Herculis* erigitur: quoniam nimirum Macedonum Reges, ut in Numo *Alexandri* jam memini, ab *Hercule* originem suam aut verè traxerunt, aut ad mentem Illustr. *Spanhemii*, saltem affectarunt, *Heraclides* omnes haberi cupientes. Fulmen inferiùs cubans cum clava conspirat: æquè enim *Herculem* indigitat, tanquam filium *Jovis*. Hanc Macedoniæ Regum jactantiam, præter *Constantinum Prophyrogenitum*, etiam Cæsar *Julianus* confirmat, alicubi inquiens. *Nam in* Macedonia *habitâsse ferunt* Herculis *nepotes*, Temini *filios*, *qui Argivorum regionem*, *quam hæreditate acceperant*, *inter se partientes*, *atque invicem diſſidentes*, *coloniâ missâ*, *omnem controversiam atque contentionem sustulerunt: tum occupatâ* Macedoniâ, *ac beata generis successione relicta*, *Reges ab Regibus deinceps*, *tanquam patrimonium aliquod*, *eam dignitatem accepêre.* *Temini* porrò filios istos ex *Herodoto* fuisse scribit *Nonnius* ternos numerô, *Gavanem*, *Æropum*, atque *Perdiccam*, eósque ab Argo in Illyricum profugos, & Macedoniam superiorem transgressos, in Urbe Lebæa mercenariam Regi operam locâsse. Cùm verò *Perdiccæ* panem duplò semper majorem ex furno sua sponte prodire Regina notâsset: Rex eo cognito mercenarios dimisit, & mercedem suam postulantibus, Solem, inquit, habete, qui per caminum splendore suo in ædes illabitur. Ad quod Perdiccas: Accipimus, ô Rex! Quo dicto Solis radios gladîô suô circumscripsit, terque in sinum hausit, atque cum sociis fratribus abiît. Missi post eos milites, ut ferirent: at illi flumen transgressi in tuto erant, aqua repentè mirum in modum intumescente. *Temenidæ* ergò in aliam Macedoniæ partem conversi, arma ibi corripuêre, & brevi Macedoniam omnem (sic enim erat in fatis) occupârunt. *Heraclidæ* itaque apellati sunt ab illis Macedonum Reges, cùm ipsi

Spanhem. Tom. I. Diss. VII. p. 385.

Nonn. ad Goltz. Tom. III. p. 124.

Constantin. Porph. Them. L. III.

Julianus Cæs. Orat. II.

ipsi *Herculis* fuissent nepotes: Volebant quoque eorum in solio posteri pelle *Herculis* induti idcircò frequenter in Numis signari. *Neque inane fuit solùm generis Insigne*, infit *Spanhemius*, sed *singularis cujusdam virtutis atque præstantiæ*, *si Philostratum audiamus. Tradit enim ille*, Ajacem, *adhuc infantem*, *leoninis illis* Herculis *exuviis involutum*, *ea in parte quàm mox invulnerabilem effectum esse.* *PUBLIUS.* Euge bellæ Græcorum fabellæ! *TULLIUS.* Sit fides penès Authorem. Restat autem ex Numo tuo adhuc Legenda: quam, ut ampliùs exercitatus sit, ex te iterum audiam, Publi. *PUBLIUS.* Sic lego: ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. *TULLIUS.* Id est: MACEDONIÆ PRIMÆ. Nôsse videlicet debes, Macedoniam, Regnum amplissimum, sub *Philippo* præcipuè patre, & filio *Alexandro M.* ingentibûs terminis diffusam, postmodum à Romanis, diu quidem seriùs, ac eam occupaverant, in IV. partes tributam esse: quarum proinde prima atque præcipua, aliàs *Consularis* etiam dicta, tuam hanc Monetam argenteam excudit.

Spanhem ubi suprà p. 387. Philostrat. in Heroic. pag. 693.

II.

PUBLIUS. Nunc *Bubo* me pellicit, & risum mihi ferè excusserat, quo VI. Numus tuus Tabulæ II. superbit: cujus ego plumbeum solummodo typum tuo favore possideo. *TULLIUS.* Cavesis, *Palladem* in te concites: ei enim *Athenæ*, quarum est hic Numus, & *Noctua* quoque sacerrimæ erant. *Adversa* eandem Divam cum galea, atque lorica, squammis densata, tibi ob oculos sistit, cujus in pectore *Gorgonis* viperea cubat: quam, *Servio* perhibente, ideò *Minerva* vel in pectore, aut in ægide ferè semper præsefert, *quia apud eam est omnis prudentia*, *quæ ignaros confundit atque imperitos*, *& quodammodo saxeos comprobat.* Aversa Numi Noctuam stantem ostendit, cum Legenda: ΑΘΕναιων. i. e. *Athenarum.* Penès Luna comparet, & flos quidam ignotus, quorum duorum rationem nemo mihi percenset. Noctua autem ideò ab Atheniensibus signata est undique, quoniam *comes inculpata Minervæ* dicitur *Ovidio:* quia nimirum noctis amans, visu tum acutissimo pollet: quemadmodum & sapientia ab Amatoribus suis noctu potissimùm quæritur, suósque labores ad seram *Cleanthis* lampadem pertinaciter protrahit, usquequo, quidquid est abditum, quidquid obscurum, irremissa mentis acie clarè tandem pervideat, & ad fundum usque pervadat. Ab hac ave Atticæ monetæ γλαῦκες, Latinè *Noctuæ*, passim appellitabantur. Unde apud *Pausaniam* servus quidam *Gylippi* familiari suo dicebat, *multas sub tegulis cubare noctuas*, seu multam ibi pecuniam à Domino suo absconsam esse. *PUBLIUS.* Vis, ut hic recenseam *Noctuæ* fabulam, quæ ex Metamorphosibus *Nasonis* mihi occurrit. *TULLIUS.* Per me licet: ast brevi-

Tab. II. Num. VI.

Servius Æneid. VIII.

Pausan. in Lysandro.

breviter. *PUBLIUS.* Comminiscitur ille, cùm *Ceres* à Jove filiæ suæ *Proserpinæ*, *per Plutonem raptæ*, reditum ab inferis hoc pacto impetrâsset, si nihil ibi vel cibi, vel fructuum gustaret, visam eam esse, ac proditam ab *Ascalapho*, quòd malum decerpserit. Cujus in pœnam proditionis, *Ceres* hominem istum, nimis quàm oculatum, visuque perspicacem, in bubonem convertit, avem funestam, & tristium semper prænuntiam. Quare *noctua* apud Poëtas plerúmque *stygia avis* compellatur, atque in auguriis pessimi ominis habita est. *TULLIUS.* Nempe & *Demosthenes*, cùm eum ingratæ Athenæ Urbe excedere jussissent, exclamavit, *O Pallas Urbium custos! cur tribûs infestissimis bestiis delectaris, noctua, serpente, atque hoc populo?* Nihilosecius tamen *Pericli*, Oratori pariter Atheniensi, optima quæque omina attulit Bubo publicè pro rostris dicenti: mox enim ut populus superiore è tabulato noctuam eidem ad dextram advolare conspexit, manibûs (ut ajunt) ac pedibûs illius in sententiam ivit. Si porrò de *Athenis* ipsis verba facere oporteat, vereor, ne finem dicendi non inveniam. *PUBLIUS.* Tantam tu Urbem sicco pede pertranseas? *TULLIUS.* Ideò, quia tanta: sed non, quia est, verùm prô dolor! quia fuit. Nunc enim Odrysia sub tyrannide vicus est exiguus, quæ Græciæ Metropolis erat. Memoriæ *Aristides* prodidit, Græciam medium esse Orbis terrarum, Atticam verò medium Græciæ, & Atticæ centrum Athenas. Urbs hæc, quam Provinciam rectiùs dixisses (ex duodecim enim Oppidis eam constituit *Theseus*) *Jonia* primùm, deinde *Actæa*, postea *Attica*, novissimè in *Palladis* honorem *Athenæ* compellata est. Reges habuit usque ad *Codrum*, eorum ultimum, qui, bello Peloponnesiaco furente, cùm *Doriensibus* Athenas gravissimè infestantibus Oraculum ediceret, superiores se fore, nisi Regem Athenarum occiderent, amore civium & patriæ, sumtis centonibûs, tanquam unus de grege, ante pugnam commissam hostes irritavit, atque occisus est. Quo comperto *Dorienses* arma posuerunt: *Athenienses* vero Regium honorem soli *Crodro* sacrum deinceps volentes, Archontas sibi constituêre, primùm quidem rerum summam perpetuò illis permittentes, deinde verò duntaxat in decennium. Tandem Macedoniæ Regibus parêre debuerant, postremò Romanis: libertate tamen illis permissa. Legibûs caruit hæc Civitas ad usque *Solonem*. Dignum est, quod audias de ea, *Velleii Paterculi* testimonium. *Una* (inquit) *Urbs Attica pluribûs annîs eloquentia, quàm universa Græcia, uberiusque floruit, adeò, ut corpora Gentis illius separata sint in alias civitates; ingenia verò solîs Atheniensium murîs clausa existimo. Neque ego magis miratus sum, quàm neminem Argivum, Thebanum, Lacedæmonium Oratorem, aut dum vixit, auctoritate, aut post mor-*

Plutarch. in Pericle.

Aristid. in Panathenaico.

Nonn. ad Goltz. T. III. p. 79.

Vell. Paterc. Libr. I.

mortem memoriâ dignum existimatum. Meritò sanè *Palladi* sacræ fuêre *Athenæ*, quibûs Urbs ferè nulla suô maximè ævô aut bellô clarioribûs virîs, aut majoribûs ingeniîs floruit. Quanti heroës *Miltiades*, *Cimon*, *Timotheus*, *Themistocles*, *Iphicrates*, *Conon*, *Alcibiades*, ut cæteros mittam? Quanta inter Doctos nomina *Demosthenes*, *Pericles*, *Thucydides*, *Menander*, *Euripides*, *Socrates*, *Solon*, *Æschylus*, *Anacreon*, aliique quamplurimi? Nihilominus in tanto sapientum hujus Mundi Senatu in faciem Urbi oggerere compulsus est Gentium Doctor: *Viri Athenienses*, *per omnia superstitiosiores vos video.* Tanti nimirum refert, fontem Sapientiæ DEUM ignorare. Cæterùm nihil tibi jam de Arce, nihil de Jovis Olympii & Minervæ templis, de Musæo, de Areopago, de Prytanæo, Lycæis, Academiis commemoro, quæ fusiùs apud *Nonnium* aliósque, si placet, ipse requiras.

PUBLIUS. Festinas, ut video, ad Numum VII. Argenteum illum III.
& minutum, in quo sanè omninò nil capio. Quid namque hæc Vacca *Tab. II.*
vitulum lactans portendat? Eccur deinde easdem omninò figuras, op- *Num. VII.*
positâ tamen formâ, utraque Numi hujus facies sistit. *TULLIUS.* Postremam quæstionem primùm expediam. Est nimirum hic Numulus è numero, quos vocant *Incusorum*, præcipitis Monetarii proditor, qui laminâ priori sub modulo jam quantum ad *Adversam* partem formatâ, festinanter hanc ipsam superposuit, priusquam priorem extraxisset: quare necesse erat, ut Numus hic formam eandem *Adversæ* bis reciperet, supra quidem ordine recto & expressam à modulo, infra verò impressam & ordine inverso à moneta jam ante formata. *PUBLIUS.* Chariorem jam mihi monetam hanc idcircò reddidisti, quoniam specimen est *Numi Incusi.* *TULLIUS.* Jam ad primam quæstionem sic habe. Numus hic tuus DURRACHIÆ Urbis est, quæ olim *Epidamnus* dicta, *Illyrici* pars erat, deinde *Macedoniæ* attributa, demum sub Constantinopolitanis Impp. nova *Epiri* metropolis effecta est: ad quam brevissimus ex Italia in Græciam trajectus est. Priusquam tamen hujus tibi monetæ rationem percenseam, ex Illustr. *Spanhemio* mihi monendus es de more & ratione *Coloniarum.*

Urbium Græcarum aliæ *Matres* erant, aliæ *Filiæ*, cùm aliæ ex aliis ori- IV.
rentur: *filiarum* porrò summa erat atque perpetua quædam in *Matrem*, *Majorem*, sive *Antiquam Patriam*, aut *Metropolim* suam (quæ phrases sunt Scriptorum) pietas atque religio. Qui namque Urbem aliquam exstruxêre, aut Coloniam eò deduxerunt, à liberis Parentum locò in longa

ga deinde sæcula habiti sunt. Urbes *filiæ Matrum* suarum linguam, sacra, sacrorum ritus, festa, leges, magistratus, vestes, habitum, mores retinuêre: tutelares item *Metropoleon* suarum Deos, nomina eorum, simulacra, cultum, templorum formam. Frugum insuper primitias ad *Metropolim* misêre: retinuêre *Matris* Insignia cùm in Numis tum in lapidibus: ut adeò ex ejusmodi monumentis, etsi ex historia non constet, tutò Urbis unius ab altera originem colligere liceat. Leges quoque ac Legumlatores *Coloniæ* accipere, vel verò petere ab *Antiqua patria sua* tenebantur, & si hujus Rectores decesserant, à *Coloniis* illicò submissi sunt, qui funus curarent. Annuum pariter vectigal *Metropoles* à *Coloniis* exigebant: bello aut calamitate urgente *Coloniæ Matribus* auxilia & suppetias ferre, aut ab iis vicissim postulare debebant: sed & Belliduces implorare. Singula hæc prolixè & eruditissimè more suo Numîs & Scriptorum testimoniis passim stabilit atque evincit Illustr. *Spanhemius* hinc inde in *Dissertationibus suis*, quibûs sanè ad Rem Numariam nihil præstantius vidimus.

V. Quoniam itaque ex *Corcyra* olim *Colonia* deducta est *Dyrrachium*, duce *Phallio*, Corinthio, *Eratroclidæ* filio, qui genus suum ab Hercule deducebat, idcircò Urbs hæc ceu *filia*, *Corcyræ Matris* suæ Insignia perpetuò in Numis suis retinuit, quæ licèt denarius hic tuus, qui caret *Aversa*, non habeat, ego tamen in *Tabula* mea ex *Goltzio* pinxi, Aram nimirùm illam, vel quidquid demum sit tabula quadrata, à nemine declarata, quem sciam. *Adversa* autem Vaccam sistit, quæ Vitulum lactat, in signum agri apud *Dyrrachium* fertilissimi atque compascui, quem incolæ industriè colerent: & quòd itidem *Corcyra* hoc Symbolô uteretur. Nomen ΑΡΙΣΤΗΝ. i. e. ARISTON. vel Tribuni est *Dyrrachii*, juxta *Nonnium*, vel certè *Poletæ*, seu civis cujusdam præcipui, qui publica authoritate mercimoniorum causâ ad Illyricos iret atque rediret: qualem unum è civibus suis probum atque prudentem *Dyrrachium*, teste *Plutarcho*, semper elegerat, ne, cum cives passim ad barbaros mercium causâ accederent, belli incentiva inde orirentur, cùm aliunde *Dyrrachii*, nisi per Romanos stetisset, jam in eo erant, ut funditus ab Illyriis exscinderentur. Ejusdem Nomen etiam in *Aversa* circùm Tabulam repetitur, ita tamen, ut literæ supremæ ΔΥΡ. DYRRACHIUM. legenda sint: cæteræ circùm divisæ: ΑΡΙ ΣΤΗ ΝΟΣ: idem sonent, ac: ARISTONIS (subaudi) Moneta. *Laurea*, quam infra Vaccam contueris, tesseram reor victoriæ, ab *Aristone* aut in ludis, sive in acie de hostibus relatæ: *Frumenti spica*

vel

vel Regionis ubertatem, aut providentiam *Aristonis* in Annona procuranda innuere possit: quæ tamen hactenus incerta.

Etsi porrò *Dyrrachium*, filia esset *Corcyræ*, ambæ tamen hæ Urbes hostiliter aliquando sese inter collisæ fuêre: *Dyrrachii* enim à finitimis populis acriter infestati, & intestinis scissi dissensionibus, pro more *Coloniarum* supra recensito, á *Corcyræis* subsidia quidem implorârunt, auditi tamen non sunt, neque adjuti. Quare *Corinthiis* sese tradentes, atque ab iis tutati, graviter hanc ob rem *Corcyræos* sibi offensos sensêre: quibus etiam, postquam *Corinthii* ab eis cæsi sunt, rursum se dedere debuerunt. Ita nulla lex tam æqua & sancta, quam pravorum licentia atque libido, vel ipsa vicissitudo temporum non aliquando convellat. Cætera *Dyrrachio* non modicum in historia nomen peperêre res bello civili *Pompeium* inter & Cæsarem gestæ, & celebris victoria *Pompeii* in ejus confiniis relata, cui si institisset, ait *Nonnius*, actum sanè cum *Cæsare* fuisset. VI.

PUBLIUS. Finem te *Dyrrachio* imponere, & ad VIII. *Tab.* tuæ II. Numum pergere hora admonet, Venerande Tulli, cujus aliàs ab ore dulcissimè pendeo. *TULLIUS*. Inspice itaque Æreum hunc Numum tuum atque minutum non inconcinnè factum: in cujus *Adversa* Caput *Jovis* laureatum comparet, & post cervicem fulmen. In *Aversa* homo nudus, galeatus tamen, pugnanti similis hastam intentat, clypeúmque gerit, in quo fulmen denuò videas. *Legenda* est: ΒΡΕΤΤΙΩΝ. i. e. BRETTOS. Infra Φ. Græcum, seu PH. apponitur, incerti mihi nominis index. BRUTTIORUM nimirum hic Numus est, qui eam, quam nunc dicimus *Calabriam ulteriorem*, extremam Siciliæ oram in Septentrionali Neapolis parte habitabant. Eorum nomen, ut *Nonnius* memorat, varii à variis petunt. *Stephanus* quidem verosimillimè à *Brettone*, Herculis filio, ex *Baletia*, à quo *Brettiam* conditam docet. *Justinus* à muliere, *Bruttia* nomine, quæ *Dionysio*, Siciliæ Tyranno, contra *Lucanos* prædatores moventi, Castellum eorum prodiderit: cujus expugnati locò cùm Rex Urbem erigeret, novi ejusdem incolæ ab hac se muliere *Bruttios* appellârint. Alii hoc nomen dialectô indigenarum interpretantes, quasi *fugitivos Bruttios* existimant, quoniam à *Lucanorum* Majorum suorum communione recesserunt. Alii demum Latio idiomate *Bruttios* quasi *brutos* dictos volunt, cùm ob nimiam atque indomitam planè ferociam, tum ob summum mentis atque ingenii stuporem.

VII. *Tab. II. Num. VIII.*

Nonn. ad Goltz. Sicil. M. L. I. pag. 252.

Non-

VIII. *Nonnius* autem *Stephano* subscribens, ipsum tuum *Bruttiorum* hunc Numum, non sine omni arte, ac proinde certè non à *brutis* percussum, in testem advocat: in quo Caput *Jovis*, à quo *Hercules* ex *Alcmæna* genitus fingitur, indiciô fulminis agnoscit: virum pugilem verò ipsum *Herculis* filium *Bretton*, ceu Urbis & populi Auctorem, esse existimat. Romani porro *Bruttios* aliquando *fœderatos* habuêre: sed posteaquam ad *Hannibalem* defecissent, nec *socios* ampliùs, *nec milites* eos dixêre, iterum subactos, ast Magistratibus in provincias euntibus præire tantùm, *apparitores* esse, & ministrare servorum vice demandârunt. Quin *Festo* Bruttianorum nomine *lictores* veniunt: quemadmodum & *Cato* dixit, quemdam *à Bruttianis*, i. e. lictoribus, *verberatum*. *PUBLIUS.* Difficilè sanè est, in Numos ritè inquirere, quandoquidem ipsi veteris historiæ Scriptores tantoperè inter se dissident. *TULLIUS.* Idcircò tamen languere minimè convenit magna Ingenia, quorum honestæ sciendi cupidini oleum oportunè affundit, quòd multa hucusque nobis, aut posteris plenè vestiganda supersint. Vestigandô namque etsi, quo quæris, non reperis, quod tamen non quærebas, invenies.



DIALOGUS VII.

De Numis COSANORUM, & alio ROMANORUM.

PUBLIUS.

I. UT video, Numorum meorum Græcorum suppellex oppidò curta jam defluit: lætor tamen, auream eidem coronidem minuto hoc Numo sed solido imponi. *TULLIUS.* Multa hic Numus præclara hucusque ingenia fatigavit, quemadmodum amplissimè lego in *Gotha Numaria*, quibusdam in Urbium Græcarum, aliîs *Familiarum* Romanarum in numero eundem reponentibûs. Ego verò rectissimè agam, si diversas, quæ de eo fervent, opiniones ordine te coram per-

Tab. II. Num. IX.

Goth. Num. p. 15. & seqq.

percenſeam, Numi utrinque forma, Urbisque COSANÆ recenſione præmiſſa. *Adverſa* hujus monetæ Aureæ (quam *Liebe* ſupralaudatæ *Gotha Numariæ* diligentiſſimus Editor ex *Goltzio* etiam argenteam dari commemorat) tres viros togatos exhibet velut in itinere conſtitutos: quorum primus atque poſtremus faſces conſulares ſecuri prominente ſuper humeros geſtare, ceu lictores, & Virum medium Conſulem aliquem, ſive Magiſtratu quocunque fungentem, cum honore ſtipare videntur. Infra legitur: ΚΟΣΩΝ. i. e. COSA. *Averſa* Aquilam ſiſtit, quæ dextro ungue elato lauream, ſiniſtro ſceptrum complectitur. *Legenda* hic nulla. *Liebe* porrò in *Adverſa* ad oram Numi dextram addidit monogramma: BR. *Triſtanus* verò ante ipſum, monogrammatis hujus locò, pinxerat proram navis: Aſt Numus tuus, ut ipſe hîsce oculîs uſurpas, nec proram, nec monogramma, immò nec tenuia quidem veſtigia cujuſcunque demùm figuræ oſtendit.

COSANÆ porrò Urbis notitiam ex Clariſſ. *Patino*, cum quo & *Goltzius* conſentit, exſcribo: *COSSA (inquit Plinius) Colonia Volcientium*, (*alii* Volſinienſium *legunt*) *à Populo Romano deducta eſt. Hanc Urbem* Virgilius COSAS *vocat, cum quo convenit Numi titulus:* ΚΟΣΩΝ. *Ad mare Etruſcum deducta eſt, ut ait* Vellejus, *Cajo Fabio Dorſuone, Cajo. Claudio Canina Coſſ.* (i. e. Conſulibûs) *Anno Urbis Conditæ* C D XC. *Aucta uerò Lucio Furio Purpureone, Marco Claudio Marcello, Coſſ. ut ait* Livius, *hoc eſt ſub Annum V. C. D LVII. Sita erat non longè à portu Herculis, qui etiam hodie nomen retinet.* COSANOS *recenſet* Livius *eos inter colonos, qui bellô Punicô in fide manſerunt.* II. Patin. in Famil p. 140. Goltz. Sicil. M. L. I. pag. 315.

Mox idem Cl. Author, omninò rurſus ad ſenſum *Goltzii* primas duas ponit opiniones circa Numi hujus recenſionem, dum ſic pergit. *Ejus Coloniæ deductionem aut inſtaurationem innuit IIIVirorum typus, quibus id muneris datum fuerit.* Ecce primam de hoc Numo ſententiam, qua percuſſus eſſe creditur in memoriam aut primùm in *Coſas* deductæ, aut poſtmodum adauctæ atque inſtauratæ à Romanis Coloniæ: ut adeò tres Viri iter agentes in *Adverſa* aut ipos redhiberent Colonos immigrantes, vel magiſtratum iis deducendis deputatum. De *Averſa* ita proſequitur *Patinus. Quod Aquilam ſpectat, quæ ſiniſtro pede Sceptro innititur, dextro Coronam lauream attollit, ad* JOVEM VICILINUM *eſt referenda. Livius namque, dum ea prodigia recenſet, quæ Quinto Fabio, Maximi Filio, & Titio Sempronio iterum Coſſ.* (i. e. Conſulibus) *nunciata fue-* III.

 rant,

rant, *ait*: *Arma*, *quæ in* Jovis Vicilini *templo in* Agro Coſano *poſitæ fuerant*, *crepuiſſe*, *Anno videlicet Vrbis Conditæ DXXXXVIII.*

IV. Alteram ſententiam mox idem Cl. Author ſic commemorat. *Alii addunt*, *ad calamitatem Agri COSANI referri poſſe* (nimirum hunc Numum) *qui cùm à ſoricibus*, *ut refert* Volaterranus, *devaſtatus fuiſſet*, *nec colonos alere poſſet*, *ii ſedibûs ſuîs excedere coacti ſunt* : *quem diſceſſum*, *vel potiùs reditum exhiberi putant.* Aurô tamen dignam fuiſſe hanc ſoricum memoriam nemo Eruditorum ſibi hodie perſuadet, quam *Rutilius Numancianus* in Itinerario ſuo jam dudum irriſit.

V. Subnectit tertiam, & omninò abjiciendam putat, eorum videlicet, qui propterea hunc Numum in *Conſularibus* ponunt, quod *Familia Junia* ferè ſimilem excuderit: *cùm inſcriptione omni*, *quæ eum Juniis addicat*, *penitus vacet*; *ſola autem typi ſimilitudo ſufficere ad hoc ipſi non videatur*, *præſertim quum aliîs argumentîs veroſimilioribûs* (qualia nimirum mox commemorata ſunt) *aliò traduci facilè poſſit.*

VI. Quartam *Triſtani* ſententiam lego *in Gotha Numaria*, qui alio Numo *Nervæ* Imp. deceptus, in quo attrito, immò truncato, malè legerat: COL.*onia*. JVL.*ia*. COSSA. rebatur, ab *Auguſto* Imperatore *Coſas* Coloniam eſſe deductam, atque nomine ſuo adoptivo *Juliam* appellatam. Quare ſtatuit, hunc Numum tuum *Coſanos* in honorem *Auguſti* excudiſſe, ut gratum animum ſuum tanto Benefactori probarent. Medium proinde duos inter lictores, qui faſces gerunt Conſulares, credit ipſum *Auguſtum* depingi, quaſi litus petentem, ut rei gerendæ cauſâ claſſem conſcendat, quam denotari inquit per proram navis ad dextram Numi partem conſpicuam. Aquilam porrò in *Averſa* expreſſiſſe *Coſanos* aſſerit, quaſi cælô delapſam, ſceptrúmque, ac laurum apportantem, quo ſymbolo profiterentur, *Auguſtum* nonniſi cæleſtibûs auſpiciis imperium capeſſiviſſe, à quibus & victoriæ, quibûs illud ſibi vindicaverat, profectæ ſint.

VII. Quinta demum ibi ſententia Cl. *Harduini* deſcribitur, qui, cùm primùm *Triſtanum* bona fide ſecutus eſſet, errore comperto, novam omnino Numi tui ideam apud ſe concepit, Orbique Erudito vulgavit. Nimirum: non poſſe hunc Numum ad Urbem Etruriæ pertinere, quam Plinius COSSAM, non COSAM ſcripſit: Coloniæ ab Romanis deductæ uſum ſermonis Græci non convenire: neque veroſimile eſſe, oppiduli tam tenuis cives aurea atque argentea Numiſmata excudiſſe, & quidem in honorem *Auguſti*, ſuo inſuper nomine adjecto: tandem haud demum patere,

tere, quid *Augusto*, quem cum duobus Viris securim gestantibus expressum esse & ipse tenet, cum Urbe COSA negotii fuerit. Ad *Syriam* itaque Provinciam potiùs hanc monetam revocandam decernit, quæ consueverit Numos suo nomine signare: & quoniam illa duplex est maritima & mediterranea, sive Syria inferior, atque superior, idcircò viros duos cum securibus eam utramque designare: priorem quidem, cui propinqua, juxta *Tristanum*, est prora navis, maritimam, posteriorem verò mediterraneam. Secures ideò ab eis gestari, ut Syria gemina tantò luculentiùs per eos redhibeatur, Libani quippe monte præcincta, in quo procerissimæ Cedri, à Syris dexterrimè cædi solitæ: cùm jam *Salomon Hiramo* Regi perscripserit: ***Præcipe igitur, ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano: scis enim, quomodo non est in populo meo vir, qui noverit ligna cædere, sicut Sidonii.*** Sanè cum ingenio hæc singula Vir Clarissimus: quod tamen multò ampliùs ostendit in verbo: ΚΟΣΩΝ. quod negat unam vocem esse, sed singularibûs atque initialibûs literis constare, sic legendum: *III. Reg. V. v. 6.*

Κ.	Ο.	Σ.	ΩΝ.
Καῖσαρ	Ολην	Συρίαν	ΩΝήσατο.
Cæsar	Opem	toti Syriæ	tulit.

In quo quidem multùm commendat observatam Bucolici versus formam, ut pes quartus cum Dactylo finiat, more *Theocriti* atque *Virgilii.* Quærenti porrò, quando *Cæsar Augustus* hanc opem tulerit Syriæ? tum reponit, cùm Parthos è provincia pepulit: Numulum nimirum Augusti alium, in quo legitur: ASIA RECEPTA: de *Syria* intelligit, ac proinde per Aquilam, quæ laurum gestat, *Augusti* capiti imponendam, eam ipsam *de Parthis in Syria victoriam* innui asserit. Similî autem formâ Aquilam in Numis Romani orbis ante *Augusti* ætatem & Æram Augustanam alicubi sibi visam diffitetur.

PUBLIUS. Si multas deinceps mihi uno eodemque de Numo hujusmodi moveris tricas, in proximo est, ut effugare me velis: quomodo enim succumbere tam arduæ tamque lubricæ Numorum vestigationi tantulo cum ingenio meo non pertimescam? *TULLIUS.* Macte animo, Publi: Quis Eruditorum, veterum Numorum in gaza eruenda, aut vestiganda, Laconica Veterum Sapientia, caput devovebit? Non habent hoc VIII.

 artes

artes quantumvis provectæ, ut æternæ sint veritatis: omnis scientia, quæcunque sub DEO est, perfecta non est. Regina Scientiarum Theosophia quantìs contentionibùs agitur? Rerum naturalium scientia quoties hæret, quoties impingit? Historiæ præprimis quàm difficiles, quàm implexæ sunt crises? *Livio* obaudi, cujus sententiâ, *ob tantum rerum, quæ retrò sunt, caliginem in rebus antiquis, si qua verosimilia, pro veris accipienda sunt.* Animadverte præterea, quantò magis novello Rei Numariæ tironi simplex quædam & trita Numorum expositio prosit, atque animos addat, ac grandia, omnisque plena quidem eruditionis, sed magnoperè critica Virorum summorum volumina. Certè, scribit alicubi Doctiss. *Jobertus*, si ii, quos tanquam primos in Numis vestigandis Magistros ex æquo suspicimus, dissideant tamen in multis, bonô omninò esse animô tironem oportet, cùm & ipsi saxa inter & vada sæpiusculè hærere acciderit, dùmque ipse non scit, quod nesciunt tanti. *PUBLIUS.* Componis fluctus curarum, quibûs jamjam percellebar: at modò ex te audire cupio, quam ex allatis circa hunc Numum meum sententiam ipse Eruditiss. *Gothæ Numariæ* Editor arripiat.

Introd. V. pag. 153.

IX. *TULLIUS.* Primùm soricum memoriam Agrum *Cosanum* depascentium hoc auro non commendari cum omnibus tenet. Deinde Coloniam ab *Augusto Cosas* deductam, & *Juliam* dictam hunc Numum non probare inde eruit, quòd *Tristanus*, hujus Author sententiæ, ut supra jam retuli, falsus sit in Numo *Nervæ* Imp. corrupto, in quo perperam legerat: COL. JUL. COSSA. cùm Numus inscribatur: COL. JUL. AUG. CASSANDREN*sis.* monente jam *Vaillantio.* Cl. postea *Harduino* plurima opponit. I. Niti eundem infirmo satis argumentô, Numum hunc *Augusti* ætate percussum esse debere, eò quòd Aquilam cum lauro exhibeat: cùm tamen in tam multis Monarchæ hujus Numis ne unus quidem hactemus ejusmodi cum typo vel à *Goltzio*, aliisve vulgatus reperiatur: contra verò non desint monetæ, in quibus Aquila duas inter lauros coronæ querneæ insistat, aut intra laurum media compareat. Quinimmò existere Numum, hinc cum capite Jovis, & tituló: RUFUS. S. C. inde cum Aquila, quæ planè ad formam hanc sceptro insistat, & ungue altero lauream teneat cum *Legenda:* Q. POMPON. de quo tamen omninò liquidum non sit, ævô primùm *Augusti* eundem prodiisse. II. Viros duos in hoc Numo non solùm simplices atque vulgares gestare secures, sed distinctè in eo fasces Romanos unacum securibus notari: unde consequitur, tutum exinde symbolum peti non posse singularis illius peritiæ apud Syros in lignis cædendis, præsertim cùm moris non fuerit, in Numis Provincias per viros, benè autem per fœminas designare:

quæ

quæ ſculpi in numo hoc poterant, etſi mulierum non fuerint, ad ligna cædenda exire. Sed nec adducta Salomonis laus id evincit, Syros, quamvis lignorum cædendorum peritiſſimi ibidem dicantur, hac arte ita gloriatos eſſe, ut propterea nullo alio ſymbolo quàm ſecuribûs ſe aptiùs depingi arbitrarentur. III. Vocis ΚΟΣΩΝ novam disjectionem, quaſi ſingulæ literæ initiales tantùm eſſent, fructum eſſe fœcundiſſimi atque felicis ingenii in *Harduino:* quod tamen ut à pari vel non multum inferiori ingenio æquè expectari poſſet, ita neceſſarium haud eſſe, quin potiùs hoc ipſo abludere à vero, quòd metrum conſtruxerit, cùm nemo hactenus in veteri aliquo Numo hemiſtichium repererit. IV. Conjici tantùm, at minimè ſtabiliri, *Auguſtum* Parthos è Syria ejeciſſe: cùm epigraphen illam: ASIA RECEPTA: Eruditi aliter longè intelligant.

Poſt *Harduinum Nonnii* (ut ait, cùm tamen *Goltzius* ipſe Hiſtoriæ ſuæ Siculæ Author ſit) atque *Patini* ſententias aggreditur: primùm quidem cum utroque tenens, Numum hunc tuum rectè ad Coloniam Coſanam referri, neque ei obſtare, quæ *Harduinus* opponit: I. *Plinium*, *Strabonem* item, ac *Ptolomæum* COSSA numerô ſingulari, atque cum S. gemino ſcripſiſſe: II. exiſtimandum non eſſe, cives oppidi tam tenuis monetas aurô argentóque excudiſſe: Uſum ſermonis Græci coloniæ ab Romanis deductæ non convenire. Ad I. namque reponi poſſe *Virgilium*, qui COSAS ſcripſit cum uno S. & numero plurali *Æneid. L. X. v.* 168. Ad II. *Coſam* tam tenue oppidum fuiſſe haud videri, cùm portum habuerit, de quo memoriæ proditum, Domitianum ibidem contra Cæſarem naves paràſſe. Ad III. Exempla non deeſſe, à *Vaillantio* ſtudioſè collecta, quibûs pateat, uſum Græci ſermonis Coloniarum in Numis non prorſus exulare. Hìs deinde pro *Nonnio* ac Patinô adſertìs, poſtremò tamen ab utroque diſſentit, ac negat, hoc Numo Colonos in *Coſam* immigrantes, aut magiſtratus eis deducendis conſtitutos deſignari, hoc ipſo, quòd viri illi diſſimiles ſint, primus & poſtremus cum faſcibus, medius ſine illis: ac quòd præterea congruere minimè videatur, *Coſſanorum* DuumVirum eadem omninò ratione exhiberi, qua olim à *familia Junia Brutus*, Urbis terrarum principis Conſul deſignatus fuit. Aquilam deinde cum Sceptro & Corona multominùs eidem convenire cauſatur: ſed & ad *Jovem Vicilinum* ambiguè nimis pertrahi infit, quandoquidem ubi quidam apud *Livium* legunt, *arma, quæ in Jovis Vicilini templo in Agro* COSANO *poſita fuerant, crepuiſſe*, alia habeant Manuſcripta COMPSANO, *Gronovius* verò rurſum ex aliis POMPTINO legendum exiſtimet. X.

XI. Tandem ſe, omnibûs perpensîs, veroſimillimè conjicere putat, Numum hunc à *Coſanis* non equidem *Auguſti* honoribus excuſum eſſe, ſed ut Reipublicæ Romanæ gratularentur ob libertatem ſuam poſt cædem *Julii Cæſaris* receptam: quem cum *Marcus Brutus* occiderit, *Coſanos* eodem typô uti voluiſſe, quo ipſe *Brutus* memoriam *Lucii Junii Bruti*, a quo genus ſuum traxerat, quique Reges Roma expulit, ac primus Conſul fuit, reſtituerat. Hic enim numum excudit, in cujus *Adverſa* caput erat fœmineum adſcripto nomine: LIBERTAS. In *Averſa* verò idem Conſul *L. Jun. Brutus* lictoribûs duobus ſtipatus inceſſit medius, ſed præeunte inſuper Accenſo. Confirmandæ porrò huic ſuæ ſententiæ addit, meritò ſuſpicari licere, *Coſanos* fuiſſe *Brutorum* clientes: id ſaltem ferè liquidum eſſe, Urbem à parte illorum ſtetiſſe, qui libertatem propugnabant, cùm, ut jam priùs allatum eſt, in portu eorum naves contra *Cæſarem* paratæ fuerint. Quid? quòd monograma BR. ex B. & R. contractum (quod equidem *Liebe* pinxit in Numo ſuo, in tuo deeſt) non obſcurè Cæſaris occiſorem BR*utum* indicet? Aquilam verò *Averſæ* vel ad *Jovem Capitolinum*, aut ipſum *Imperium Romanum* pertinere arbitratur, cujus jam ab antiquo ſymbolum erat, cuique deſignatam per Sceptrum majeſtatem, per laurum gloriam victoriarum, nece tyranni reſtitutam eſſe *Coſani* ſibi perſuadebant. Hæc ſi ita ſe habeant, facilè contra *Patinum* conficitur, non malè prorſus illos ſentire, qui hunc Numum *Familiæ Juniæ* accenſent. Hactenus Eruditiſſ. *Liebe*.

XII. Tuum porrò non eſt, Optime Publi, neque meum te coram tirone, auditîs Magiſtrorum ſententiis, in re tam ardua pronuntiare. Id ſolùm ex *Joberto*, occaſione disjectæ ab *Harduino* vocis ΚΟΣΩΝ, hìc apud te commemoro, ſentire illum omnino, literas conjunctas non antè ſeparandas atque pro initialibus habendas fore, priusquam liquidò pateat, unam vocem ex iis componi non poſſe. Idem pariter docet, Græcas Urbes, quibus jus monetæ cudendæ indultum eſt, Græcîs eas literîs ſignâſſe, cùm ſolùm in Græcia valere debuerant, latinîs, ſi in Imperio quoque Romano recipiendæ fuerint. Sæpè verò, præſertim *à Coloniis* uſurpatum, ut *Adverſa* latinè, *Averſa* cum nominibus Urbium græce inſcriberetur: quod æquè à Clariſſ. *Harduini* ſententia diverſum eſt. Et ne in ullo tibi deſim, quod in Numis morari te poſſit, quoniam de *Faſcibus*, *Lictoribus*, *Accenſo* hìc mentio ſæpius ingeſta eſt, omnia breviter expono.

Jobert. Inſtruct. XI. p. 368.

Id Inſtr VII. p. 209. 2 0.

XIII. *Faſces* ſupremis apud Quirites Magiſtratibus per lictores præferebantur, erántque faſciculus duodecim baculorum colligatorum, è quibus una

una securis prominuit. Ortum habuêre, teste *Silio Italico*, ex Hetruria, quæ duodecim Regulis suberat, qui cùm in annos singulos semel convenirent, unusquisque eorum longum sibi baculum cum securi præferri jussit, honoris ergò, ac potestatis. *Tarquinio Prisco* deinde Romanorum Rege Hetruriam occupante, eo præeunte mos hic ad Reges primùm, deinde Consules transiit, ita tamen, ut duodecim bacilli unô vinculô colligarentur, & unam tantùm securim, qua vitæ & necis arbitrium designaretur, exhiberent. *Valerius* porrò *Publicola*, qui populo jus necis contulit, legem edidit, qua interdictum magistratibûs, securim fascibus inserere, cùm domi essent: ast verò in castris, vel acie morati Consules iisdem utebantur, quippe tunc vitæ rursus & mortis arbitri. Consulibus duodecim fasces prælatæ, alterno tamen ordine, eo videlicet mense, quo quisque rerum summam obtineret.

Lictores cives erant infimi ordinis, qui *præibant* Magistratibus, fasces ante se erectas ambabûs manibûs deferentes, easque submissionis causâ inclinantes, si Prætor verbi causâ Consuli obviaret. *Submovebant* deinde, id est, jubebant populum secedere, dicentes: *Date viam, Consul venit:* obaudire nolentes vi pellebant, fustigabant, vinciebant. Tandem & *admonebant*, seu *animadvertebant*, personas digniores, immò Magistratus minores corripiendô, si cedere, aut congruum impendere Consulibus honorem differebant. Publicas item pœnas, ac mortis quoque supplicia inferre reis ac condemnatis debebant. *Accensi* solis Consulum, aut in acie Imperatorum ministeriis deputati erant: indixêre jus dicendum, imperârunt silentium: & eum Consulem præibant, qui tum fasces non habebat. Hæc ex *Acerra nova Philologica*. Jam tempus vocat, ut ad ultimum *Tabulæ* II. Numum convertamur, eúmque Æreum minutum. XIV. Tab. II. Num. X.

PUBLIUS. Satis in eo suspensum me tenet Caput equinum: vox deinde Latia barbaro fine terminata. *TULLIUS.* Pinxit hunc Numum *Goltzius Sicil. M. T.XVIII.*, ac sæpè etiam argenteum affabrè factum à se visum testatur, fictum tamen putat à Monetario quopiam sive antiquo, sive recentiore, veteris historiæ non ignaro, qui demonstrare adnisus est, Romanorum originem à Græcis petendam. Scribuntur namque primi incolæ *Latii Veteris*, ubi deinde *Roma* surrexit, *Siculi* fuisse, populus barbarus: qui per *Aborigines* sedibûs suîs expulsi, in *Sicaniam* navigârunt, suámque in potestatem redactam, à se *Siciliam* compellârunt. *Aborigines* porrò, juxta *Dionys. Halicarnass.* sic dicti sunt à *montanis sedibus*, quas incoluerunt: orti verò erant ab *Oenotriis* Græcis, quorum Majores *Arcades* erant. Ad *Aborigines* in *Latio* se adjunxêre primùm *Pelasgi* ex XV.

Thessa-

Thessalia: deinde *Tyrrheni*: rursum *Palantes* ex Palantia, Urbe Arcadiæ: postremò novæ *Arcadum* turmæ, duce Hercule, adventantes, quæ primùm cum eo ad evertendum *Ilium* seu *Trojam* accedentes, Urbe destructa, cùm *Hercules* Arcadiam repeteret, partim labore tanti itineris territæ, partim seniô fractæ, in *Latio* consedêre. Hi omnes Græciæ populi, inter quos & multi *Trojani* captivi, multo tempore seorsum habitabant, ac suîs quique Magistratibûs regebantur: successu verò temporis in unam *Aboriginum* gentem coäluerunt. Cùm deinde post multos alios Reges etiam *Herculis* filium, *Latinum* nomine, Regem haberent optimum, ab eodem omnes *Latini* compellati sunt, cessante *Aboriginum* nomine: id quod contigit paulò antequam *Troja* sub *Priamo* Rege à Græcis secundò everteretur. Hoc verò *Latino* regnante, *Æneas* Trojâ profugus in Laurentem agrum non longè à Tiberi appulit, sedem cum suis fixit, cum *Latino* Rege fœdus percussit, ejúsque filiam *Laviniam* totius *Latii* hæredem conjugem duxit. Exinde porrò, sed stirpe primùm decimâ sextâ, *Romulum* & *Remum*, Romæ Conditores prognatos ferunt.

XVI. Quoniam itaque (si teneant hæc singula, etsi multùm incerta) *Romani* à *Latinis*, *Latini* ab *Arcadibus* ortum traxêre: idcircò Numuli hujus tui fictor in ejus *Adversa* Minervæ caput galeatum expressit, ob fabulas *Arcadum*, quorum Dea tutelaris erat *Victoria*, filia *Palantis*, qui ex *Lycaone*, Arcadum Rege, natus fuit: postquam enim *Minerva* à *Palante* educata, & ideò *Pallas* dicta, cum filia ejus, ceu sodale individua, diu vixisset, deam eam fecit, *Victoriam* appellavit, & *Arcadibus* colendam præcepit. *Aversa* equi caput præ se fert, tanquam schema festorum, quæ Arcades *Neptuno Hippio* sive *Equestri* quotannis instituêre, apud illos *Hipocratia*, apud Latinos *Consualia* dicta. In *Legenda* ROMANOC. C. locò S. (quod sæpissimè in Numis usuvenit) scriptum est, idémque est, ac *Numus Romanorum*. *PUBLIUS.* Quis non videat, commentîs hìc omnia susque deque scatere? *TULLIUS.* Ego bona interim fide hæc singula ex *Goltzio* tibi recensui: è quibus, si rationem hujus Numi tui forsitan poscenti rem ipsam, quæ subest, non edixeris, afferes tamen qualemcunque colorem.

Goltz Sicil. mag. L. I. pag. 216. &c.

XVII. Atque hìc finiunt Numi tui *Graci*, tenuissima sanè ne vix quidem stilla ex immenso eorum cumulo, quos laudatissimus *Goltzius*, aliíque in publica luce posuêre. Tu, lectissime Publi, inde specimen cape, & sine Regulis per exempla disce, quo pacto Numi veteres ritè vestigari desiderent. Recurrendum ad Historiam, Fabulam, Mythologiam, revolvendi veteres Rerum Græcarum ac Romanarum scriptores, attendendæ

stirpes,

ſtirpes, exquirendæ origines, computanda tempora, laborandum impigrè, nunquam oſcitandum. Hæc dum ſtudiosè aguntur, pellitur ignorantia: ingenium acuitur, imbuitur memoria, judicium ſolidatur: quibûs deinde adjumentîs, ſi Numos ponere libeat, ad alias quasvis diſciplinas longè feliciùs acceditur. *PUBLIUS.* Teneo, quæ ſapientiſſimè mones: quin & experior. Fontem itaque, unde bibo, etiam corono: tibi, inquam, Venerande Tulli, cum honore aſſurgo. Adde, obſecro, ad Familiarum quoque Romanarum pauculos Numos, quos teneo, erudita Commentaria tua. *TULLIUS.* Addam, ne dubita: totus enim te amo.



NUMI FAMILIARUM.

DIALOGUS VIII.

Monita prævia de Monetæ Æreæ, Argenteæ, Aureæ apud Quirites pondere, pretio, forma: Item: de Prænominum, Nominum, & Cognominum apud Familias diſcretione.

TULLIUS.

Siquidem ad diſcendum quotidie promtior es, Optime Publi, en tibi III. iterum Tabulas, XXX. Numis Familiarum Romanarum opletas: quorum tu plures in Argento, vel Ære poſſides, reliquorum ego typos libentiſſimè tibi confero. Et in his quidem contemplandis *Laconicam Quiritum Sapientiam* jam in parte auſpicabimur, tametſi eandem in Numis præcipuè Imperatorum te coram veſtigare tibi ſponſor exiſtam. Sed nempe cùm Romana ſub Conſulibus vigeret Res- I.

publica, jam Orbem Victor Romanus habebat, tantumque illa cùm limitibûs ferè immensis, tum famâ & gloriâ effloruit, ut *Divini* illius *Senis*, *Imperatoris Optimi* (AUGUSTI nimirum, ceu infit Clar. *Patinus*) *tam votum fuerit*, *quam præceptum*, *ne studerent posteri tantam ampliare ditionem*, *quibus unica hæc gloria reliqua esset*, *parta conservandi*.

Patin præfat. ad Famil.

II. Dubiô verò vacat, non ullis pernicioribûs alis Gloriam Quiritum in Orbem universum una ex Urbe egressam esse, quàm Numorum ac Monetarum suarum subsidiô. *Quippe* (veluti denuò mox laudatus egregius Scriptor) *tam brevibûs formis*, quales erant Monetæ, *tanta per hominum oculos circumferebantur*, *ut magnum nihil esset*, *quod non hoc quasi præconiô celebraretur*. His Profectiones, Expeditiones, Victoriæ, Triumphi, Connubia, Liberi, Fœdera, Consecrationes, Dedicationes Templorum, Cæremoniæ Deorum, Decursiones, Amphitheatra, Deductiones Aquarum, Congiaria, Donativa, Ludi, Magistratus, Pontifices, ac quidquid demum domi, foris, pace, bello, magnificè actum est, continebantur: quorum ritè signandorum gratiâ tam sæpè divinus ille Senatus, cujus decretô atque consultô monetæ procusæ sunt, congredi solitus erat. His tubis gloria postera primorum illorum pastorum ibi quoque increbuit, ubi vultus eorum non visi sunt, arma non crepuerunt. *PUBLIUS*. Magnifice tu de Numis Venerande Tulli, attamen verissimè; quare mirari mihi jam subit, cùm Moneta commerciis hominum dexterè commodumque instituendis præcipuè inventa sit, eam propterea præter spem fortè & opinionem Auctorum unâ fideliâ tantùm etiam ad gloriam profecisse.

Id. ibid.

III. *TULLIUS*. Laconicæ id Sapientiæ suæ Quirites debuêre, quæ, nisi pernôsset paucis multa complecti, exiles nimiùm Tabulæ Numi fuissent, in quas tanta tamque cumulata omnis generis præconia referrentur. Verumtamen seriùs id consilii cœpêre Romani, more Artibus omnibus & hominum inventis solemni, ut cùm rudia initiô sint, succedentibûs sibi temporibûs, egregia tandem & maximè illustria fiant. Cùm namque primùm ære uterentur, teste *Lipsio*, *rude* illud erat, formarum referens nihil, nihil literarum, *pondere distinctum*, *non notâ*. Rex porrò *Servius Tullius* Æs primùm Romæ signare occipiens, tauri, arietis, vel porci formam in eodem expressit, ea forsitan de causa, quòd æs pecorum deinceps locum subire debebat, quæ hactenus cum mercibus commutata. Atque hinc nomen *Pecuniæ* ductum cum *Plinio* & *Varrone* multi existimant, quorum prior ita alicubi infit: *Primus Servius Tullius*

Lips. T III. de Re Monet. c. I.

Plin. XVIII. 3.

lius signavit æs, idque notâ pucudum: unde pecunia nominata est. Alter subsequitur: *à pecudibus ipsa pecunia nominata est: nam omnis pecuniæ* Varro de Re Rust. II. 1. *pecus fundamentum.* Juxta *Servium* tamen atque *Columellam* pecuniæ & peculii nomen dudum ante æs audiebatur, referente primo: *Omne* Serv ad Virgil. Ecl. 1. *patrimonium apud Antiquos peculium dicebatur, à pecoribus, in quibus eorum constabat universa substantia: unde etiam pecunia dicta est.* Addit postremus: *In rusticicatione antiquissima est ratio pascendi, eadémque* Columell. Præfat. ad L. VI. *quæstuosissima: propter quod nomina quoque pecuniæ & peculii tracta videntur à pecore, quoniam id solum veteres possederunt.* Abinde opinari licuit Eruditiss. Editori *Acerræ novæ Philologicæ*, ex quo sequentia multa excerpere libuit, pecus ipsum permutationi jam destinatum aliquando Acerr. Philolog. P. I. f. 363. pecuniam dictum esse, illud verò, quod domesticis usibus servatum est, peculium.

IV. *PUBLIUS.* Nullus mihi est Numus pecore signatus: æreos tamen duos in arcula mea possideo, qui caput facie gemina referunt, ac præterea ratis vel naviculæ proram. *TULLIUS.* Horum unum *Tabula* VI. depingam, quos itidem *Servius Tullius*, & post eum alii multi excudêre, dictos *Ratitos:* atque originem nominis hujus ac formæ suô apud te loco percensebo. Nunc de pondere primi æris apud Quirites signati me accipe. Æs solum & unicum longo tempore Romæ percussum est, fiebántque initiô *Asses librales*, libræ propensæ pondus habentes: qui postea *æs grave* compellati, plaûstrîs advehi, & si magnô quidem numerô pendi debuerant, non numerari, sed staterâ explorari solebant.

V. Quoniam verò integri hujusmodi *Asses librales* quotidianis apud plebem negotiis, & expensis sæpè incommodi erant, *Servii Tullii* successor *Tarquinius Superbus* Regum Romanorum septimus & ultimus, quia ejectus, Monetas minores decrevit: quarum aliquæ *Semisses* erant, seu medii Asses, aliæ *Trientes* pars Assis tertia, *Quadrantes* item & *Sextantes*, partes Assis libralis quarta & sexta. Velim tamen, ut *As*, & *Assis* à te haud indiligenter discernantur: *Assis* namque recto casu acceptus semper erat Numus æreus: *As* porrò dicebatur res quælibet duodecim partibûs dividi solita, sive Libra erat duodecim unciîs constans, sive Pes geometricus duodecim numerans ungues, sive Jugerum duodecim areîs discretum, sive Hæreditas duodecim portionibûs dividenda. Hæ duodecim partes simul collectæ dicebantur *As:* una earum seorsim sumta compellata est *Uncia*, ut dimidia *Semiuncia*. Duæ partes dicebantur *Sextans*, quasi sexta pars Assis, sexies etenim duo duodecim efficiunt; ita & tres

partes *Quadrans*, quatuor partes *Triens* audiebant, quasi quarta pars Assis, & tertia. Quinque partes vocabantur *Quincunx*, quasi unciæ quinque: Sex partes erant *Semissis*, seu As medium. Septem partes *Septuncem* ajebant, i. e. septem Uncias: octo partes *Bessem*, seu deminutionem ab Asse. Novem partes dictæ sunt *Dodrans*, quia deerat quadrans ab Asse completo: decem partes *Dextans* compellatæ sunt, ob defectum Sextantis. Undecim tandem partes *Deuncis* nomine veniebant, quòd nil ampliùs præter *Unciam* ab Asse integro deforet. *PUBLIUS*. Digna hæc sanè animadversio est, quam oppidò notem, quò promtiùs veteres Rei Romanæ Scriptores deinceps assequi liceat. Quoties audii? *ex Asse hæres*: at verò, quid propriè sibi hoc velit, integrè nunquam pervadere licuit. *TULLIUS*. Idem hoc est, ac totius possessor hæreditatis, quemadmodum, qui dimidiam solùm capiebat, dictus est *hæres ex semisse*; qui unam solummodo duodecim partium, *hæres ex uncia*; qui duas, *ex Sextante &c.* Sed hæc extra ordinem dicta; ad *Assem æreum* redeamus.

VI. *PUBLIUS*. Cuperem certè Assem, ut supra ajebas, *libralem* conspicere. *TULLIUS*. Exstant equidem in gaza veteri Principum, rari tamen sunt, quoniam Romæ brevì cessârunt. Quirites namque primô bellô Carthaginensi Ære alieno graviter oppressi, *Assis libralis* locò *Sextantarios* excudêre, quorum quilibet duarum duntaxat Unciarum pondus referebat, cùm *libralis* duodecim Unciîs Æris constitisset. Bellô deinde tertio Carthaginensi *Asses Unciales* fiebant: donec tandem lege Papiria planè *semiunciales* evaderent. His porrò ex *Assibus* tam parvis *Semisses*, *Sextantes*, *Quadrantes*, *Trientes*, partesque aliæ omninò minutæ, quales in manibus nostris nunc crebrò versantur, enatæ sunt: quæ frequenter pretium suum aut numerîs aut punctîs eloquuntur, ut proinde A. Assem, S. Semissem, oo. Sextantem, ooo. Quadrientem, oooo. Trientem designent. Quoniam porrò hæc Signa plebem de pretio admonuêre, putant aliqui, Numos exinde *Monetæ* nomen indeptos esse. Jam porrò de argenteis disseramus.

VII. *PUBLIUS*. Hæret adhuc, quod *Dialog. II. Proœm.* monueras, Argentum Romæ An. Urb. CDXXCIV. Aurum verò An. Ur. DXLVI.
Plin. XXXIII. 3. signari cœpisse. *TULLIUS*. Rectè tenes, ita etenim Plinius: *Argentum*, inquit, *signatum est An. Urb. CDXXCIV. Quinto. Ogulniô. Cajo. Fabio. Coss.* i. e. *Consulibus, quinque annis ante primum Bellum Punicum: & placuit Denarius pro X. Libris æris, Quinarius pro V. Sestertius pro dipon-*

dipondio & semisse. Tria itaque erant nomina Numis argenteis, *Denarius*, *Quinarius*, *Sestertius*. *Denarii* caput Romæ galeatum in Adversa referebant, additô numerô X. quòd Asses æreos X. valeret: Aversam Victoria obtinuit, bigîs aut quadrigîs invecta. Hoc postremò à typo Denarii lapsu temporis *Victoriati*, *bigati*, vel *quadrigati* audierunt: subinde tamen Castor quoque & Pollux in eis signati sunt. Posteaquam verò ex assibus liberalibus Sextantarii facti sunt, *Denarius* XVI. assibûs æstimatus est, X. tamen notâ nihilominùs retentâ: Augustus autem Imperator iisdem XII. Assium valorem decrevit. *Quinarii* nota erat Q. vel numerus V. valebâtque Asses V. librales, hîsque imminutîs, Asses VIII. tandem VI. *Sestertius*, quasi semitertius, assibûs duobùs, & medio librali primùm æstimatus est, deinde Assibûs minoribûs IV. postremò III. Nota *sestertii* erat: LLS. quæ Scriptorum licentiâ breviùs tandem efferebatur per HS. Typus porro *Quinarii* & *Sestertii* idem erat, qui *Denarii*. At *Sestertius*, & *Sestertium* confundenda minimè sunt: *Sestertius* namque unicam monetam argenteam notabat, *Sestertium* mille, & si additum fuerat, *decies*, *vicies*, toties centena millia innuebat: ut adeò cùm scriptum reperies: decies LLS. aut HS. legere te oporteat: *Decies centena millia Sestertiûm*.

PUBLIUS. Hîc demum me iterum caligine liberas; quoties enim vel solus Cicero obscuras per sese ejusmodi notas, compendio & more Reipublicæ usus, suis in voluminibus repetit? *TULLIUS.* Omninò nosse hæc expedit, ac sanè jucundum est, tam facilè discere: jam verò de Aurea etiam Moneta, quæ te moneam, habeo. Annô secundô post sexagesimum Argenti signati, etiam Aurum apud Quirites in peculii usum conversum est *Cajo* CLA*udio* NERONE, & M*arco* LIV*io* SALINATORE II Coss.*ulibûs*: ac pretiosi hi Numi *Aurei* & *Solidi* dicebantur, quamquam postremum hoc nomen de Argentea quoque Moneta subinde acceptum. Constabat verò Aureus Numus Denariîs argenteîs XXV. & initiô quidem Victoriam pariter cum biga sive quadriga referebat: sed paulò pòst in utroque metallo, immò & in ære, infinita typorum varietas successit, Deorum nimirum Dearumque imagines, Sacerdotia, Templa, Magistratuum ac Familiarum insignia, Victoriæ, Triumphi &c. quæ in principio Dialogi hujus recensui. Id verò unum apud omnes severissimè cautum erat, ne suo quispiam capite aliquando Numum signaret, ni certò certiùs capite ipse periclitari vellet: Tyrannidis namque & Regiæ potestatis affectatæ signum id visum erat, quod cane pejus & angue libera Respublica abhorruit. Primus omnium erat Jul. Cæsar, cui hoc à Senatu indultum. VIII.

IX. *PUBLIUS.* Egregia sanè sunt hæc tam multiplicia monita tua, Venerande Tulli, in quibus multos mihi prævenisse labores videris, ut in singulis postea Numis expeditior transeas. *TULLIUS.* Id equidem volui: atque idcircò sustine me de iis pariter paululùm tecum disserentem, ad quos Cura monetæ pertinuit. *Monetæ* imprimis nomen, etsi Numis passim à nobis tribuatur, propriè tamen & primitus ad Officinam pertinuit, in qua illi excusi sunt: hæc verò in Templo *Junonis Monetæ* erecta erat. Præpositi sunt huic Officinæ Triumviri, seu III. Viri, spectatæ probitatis & fidei, ad quos cura Monetæ in omni metallo excudendæ pertinuit: his sollicitè cavendum erat, ut Numi debito pondere atque integritate ex officina prodirent, pervigilî præterea oculô intendendum omnem in fraudem, ac Monetam adulteram. Quandoque verò hanc in rem, ut Illustr. *Spanhemius* Numorum testimoniô adstruit, etiam Quartum Viri constituti sunt, dicti subinde *Curatores.* Horum omnium cûra & munus sic ferè ipsis in Numis exprimitur: IIIVIR. A. A. A. F. F. i. e. *Trium-Vir Aere Argento Auro Flando Feriundo.* (subaudi, constitutus) Vel aliter: III. A. P. F. i. e. *Triumvir Argento Publicè Flando.* Aut demum: IIIIVIR. PR. FL. id est: *QuartumVir PRimus FLavit.* Sed & *Lentulus* quidam in Gente *Cornelia* laudatur: *CVRator X. Denariorum FLANDorum.* An porrò, ut existimat Eruditiss. *Ursinus*, etiam *Protriumvir* aliquando exstiterit, qui absente *Vriumviro* monetam curârit, admodùm ambigit *Spanhemius* laudatus.

Spanhem Tom. II. Diss. X p. 167.

X. Amplior porrò est Controversia de Authoritate, qua Numi percussi sunt, quam fusè in medium affert Doctiss. *Jobertus*, & cui ansam præbuêre literæ S. C. legi solitæ: *Senatûs Consultô:* quæ plerumque in æreis Numis occurrunt, in argenteis admodùm raro. Et ferè nemini quidem dubium est, literis hisce Auctoritatem Senatûs Numis adjectam esse: sed cujus tandem rei argumentô? id verò ambiguum. An ut moneta proba & æqua credatur? At verò probitatis, æquique ponderis testimoniô ampliùs certè cùm argenteæ, tum aureæ monetæ eguerant: & cur in his S. C. adeò infrequenter adjicitur? An ut constet, monetam pro currente habendam? Sed redit argumentum, quoniam argenteæ aureæque monetæ, aquè ac æreæ currebant. An ut notum fieret, Senatum ipsum decrevisse, ut Imperator hoc illôve Aversæ partis symbolo vel elogio honoraretur? quippe cui hac ratione aut cultum peculiarem impendere, aut gratitudinis officium rependere Respublica voluit. Sed in omnibus ferè æreis Numis has literas videas, etsi nullum ibi exstet argumentum præcipui cujusdam in Rempublicam beneficii, & licèt Imperator omninò illaudabilis fuerit. Quodque

Jobert. Instruct V. pag. 123.

que rei caput est, raro admodùm S. C. in Numis grandibus, quos vulgò *Medalliones* dicunt, reperies, qui tamen præcipui cultus & obsequii causâ citra dubium excusi fuêre. Superest ergò, ut dicas, authoritatem flandorum Numorum Cæsares inter & Senatum ita discretam fuisse, ut Augusti quidem sibi jus monetæ pretiosæ solis reservârint, Senatui vilis duntaxat seu æreæ excudendæ facultatem reliquerint. Quod verò tandem hujus tuæ opinionis solidum adstrues fundamentum? pergit supra laudatus *Jobertus*. Numi certè id minimè probant: adest enim S. C. in argenteis quibusdam, in æreis pluribus deest. Deinde hac tua in opinione necessarium certè foret, ut Trium Viri Monetales Senatûs æri tantùm se flando feriundo constitutos notâssent: sed in æreis quoque Numis legimus: *Triumvir Aere Argento Auro Flando Feriundo*. Sic lis apud Rei Numariæ Magistros adhuc hodie pendet, quam retulisse ut sufficit mihi, ita & tibi, optime Publi, audîsse sufficiat: fructus erit, ne de literis istis interea tutò aliquid fidenterque nimis constituas. *PUBLIUS*. Obaudiam opportunissimo monito tuo, & quæ multa hodie mihi præclara edixeras, in animum meum haud segniter inducam: cujus tu specimen, cùm proximè ad Numos ipsos accesseris, hilariter capies. *Idem Instruct. XI. pag. 348.*

XI. *TULLIUS*. Timeo sanè, ne tuâ ego hodie patientiâ nimiùm abutar: si tamen per te liceat, unum adhuc superest, quod remoram nobis sæpenumerò deinde injicere queat, Nominum videlicet cùm apud Familias Romanas, tum ipsos apud Augustos multiplicitas in Numis: cujus ego tibi rationem in præsenti adhuc dialogo vel obiter reddere cupio ex Illustr. *Spanhemio*, qui eandem sanè latissimè, at more suo studiosissimè tractat. *PUBLIUS*. Onerabis quidem nonnihil hominem imbecillem: attamen, quod lubet, exequere. Si audita complecti non valeam, calamò excepta relegere licebit. *TULLIUS*. Primùm itaque *Gentem*, *Familiam*, & *Stirpem* discerne: & per *Gentem* quidem omnes posteros accipe, qui ab uno summo quopiam Avo, ac veluti Protoparente, traduce semper sanguine, recto ordine descendebant. *Familia* ramus erat è stipite sine medio ad latus proximè excrescens: *Stirps* tandem Ramus Rami meritò appellari merebatur. Exemplo tibi veluti domestico esse poterit AUGUSTUS noster Invictissimus CAROLUS VI. qui *Gente* Habspurgicus, *Familia* Austriacus, *Stirpe* Græcensis est. Descendit etenim à RUDOLHO I. AUGUSTO Habspurgico: cujus Filius ALBERTUS I. deinde pariter AUGUSTUS, postquam à Parente Cæsare Austriam accepit, Domum seu *Familiam* Austriacam felicissimè inchoavit. Hæc porrò postquam longa sibi serie amplissimè *Spanh. T. II. Diss. X. p. 21. & seqq.*

plissimè successisset, novissime in tribus FERDINANDI I. *Augusti* Filiis totidem in *Stirpes* discreta est, cùm MAXIMILIANUS II. Imp. Pragensem, CAROLUS, Styriæ Dux, Græcensem, LEOPOLDUS, Comes Tyrolis, Oenipontanam Stirpem inciperet: quarum, prô dolor! nunc sola Græcensis in solo AUGUSTO CAROLO nostro perseverat. *PUBLIUS.* Bellum consilium tuum, Tulli Venerande, quòd domi meæ potiùs exemplum repetas, quàm Romanis, è gentibus, omninò mihi hucusque obscuris: hoc etenim pacto, quid *Gens*, qui *Familia* sit, atque *Stirps*, planè apud me in meridie ponis. Ad gemitum tamen tuum ob solum & unicum Surculum masculum Augustissimæ unà Piissimæque Domus Austriacæ votum adjicio, ut faxit tandem Optimus Maximus DEUS, hunc Surculum denuò Stipitem fieri, compluribûs ramîs fœcundum.

XII. *Gentium* porrò Romanarum, vel *Familiarum*, aut *Stirpium* plurium ejusdem *Gentis*, alia *Patritia* erat, alia *plebeia*: *Romulus* namque mox Urbis initiô populum in patres & plebem discrevit. Utriusque suæ erant prærogativæ, præsertim cùm plebs vi & importunitate à Senatu & Patribus extorsisset, ut Tribuni ex ea fierent: hìs postea Authoritate sua admodùm prævalentibûs, multi genere ac familia Patritii, deditâ opera vel à plebeiis adoptari concupiêre, vel, dimissa patritia dignitate, spontè se plebi miscuerunt, ut hoc demum pacto Tribunitiæ potestatis Candidati evadere possent. Ingnorare hoc minimè debet, qui de Familiis Quiritium rectè aliquid decernere satagit.

XIII. Solebant verò Patritii, ac Nobiliores demum, tribûs plerumque Nominibus uti, *Prænomine*, *Nomine*, *Cognomine* seu *Agnomine*. Id quod liquidum reddere potest vel sola *Gordiani IV.* Imp. Constitutio, dum infit: *Si Nomine, vel Prænomine, seu Cognomine aut Agnomine Testator erraverit, nec tamen de quo senserit, incertus sit, error hujusmodi nihil officit veritati.* In his porrò communi equidem stilo Prænomen primô, Nomen mediô, Cognomen postremô poni locô consuevit.

Leg. IV. Cod. de testam.

XIV. *Prænomen* plerúmque ab Avo aut Patre præcipuè natu majores retinuêre: hinc Numi identidem inscribuntur: v. c. *Marcus* ANTONIUS *Marci Filius* *Lucius* CÆCILIUS *Lucii Filius Lucii Nepos*. *Cajus* OCTAVIUS *Cajî* F. *Cai Nepos Caji Pronepos.* Subinde eadem Prænomina Genti uni aut Familiæ ita peculiaria ex usu & libitu fuêre, ut nullo alio uti vellent: testis est *Suetonius*, ita de *Gente Domitia Ænobarborum* effatus.

tus. *Ac ne prænomina quidem ulla, præterquam Cnæi & Lucii, usurpârunt, eáque ipsa notabili varietate modò continuantes unumquodque per ternas personas, modò alternantes per singulas.* Nihilosecius verò non rarò, quæ tam diu placuerant, *Prænomina* tandem *damnata* sunt, postquam unus aut plures eorum, qui illa gesserant, flagitiosè se gessit. Discimus hoc rursus è *Suetonio*, de Gente *Claudia* dicente: *Cùm prænominibûs cognominibusque variis distingueretur, Lucii prænomen consensu repudiavit, postquam è duobus Gentilibus, eo præditis, alter latrocinii, cædis alter convictus est.* Mulieres autem unum duntaxat Nomen diu gessêre, idque Gentis suæ: postea addita sunt maritorum nomina, scriptumque: *Livia Drusi*, *Agrippina Germanici:* item Patrum, ut Faustina Pii, id est Antonini filia. Postremò tandem fœminæ æquè ac Viri Prænomen, Nomen, & Cognomen sortitæ sunt, veluti *Salustia Barbia Orbiana: Marcia Otacilia Severa.*

Sueton. in Ner. c. 1.

Sueton. in Tib. c. 1.

XV. *Nomina* vel *propria* erant, vel *communia*, vel utrumque simul, diversarum eadem in Gente Familiarum, aut Stirpium intuitu. Sic cum exempli causâ Gens *Cornelia* secta esset in Familias *Lentulorum*, *Dolabellarum*, *Merularum*, *Scipionum*, ac multò plures, Nomen *Scipionis* proprium erat Familiæ, sed commune omnium, qui de ea familia exstiterant. Sæpenumerò verò *Nomina propria* unius gentis ad aliam transiêre *per adoptionem:* qualiter *Jul. Cæsar Octavium* seu *Octavianum in familiam Nomènque suum adoptavit*; unde factum, quòd in omnibus Numis *Octavii*, qui deinde, adeptô Imperiô, *Augustus* dici voluit, perpetuò legatur: CÆSAR DIVI (i. e. Julii Cæsaris) FIL*ius*; nunquam verò *Octavius*. Quæ res adoptionis ignaros vel immemores plurimùm confundere solet.

XVI. *Cognomina* tandem vel à certa corporis aut partis ejusdem affectione peti solebant, quemadmodum Ciceronis Gener dictus est *Crassipes* à pedum crassitie, *Naso* à narium magnitudine; vel à forma & mensura corporis, unde *Pulcher*, *Celsus*, *Longus:* vel à muneribus vilibus, à quibus deinde ad claritatem transitum est, unde *Caprarius*, *Figulus*, *Vespillo:* vel à successu negotiorum, unde *Cicero* à ciceribus, *Lentulus* à lentibus, *Fabius* à fabis optimè satis: vel à moribus, unde *Lepidus*, *Frugi:* vel ab animalibus feliciter educatis, unde *Capella*, *Lupus*, *Taurus*, *Vitulus:* vel à virtutibus, itemque vitiis, unde *Pius*, *Felix:* vel à gentibus devictis, unde *Germanicus*, *Parthicus*.

XVII. Singula hæc præterire non debent te, Optime Publi, si tuo aliquando Marte ad Numorum dextram cognitionem vestigationémque accedere velis: &, quantum quidem ad hoc possint monita ista, immò opus sint, vel in pauculis tuis Numulis mox tibi liquidum fiet. *PUBLIUS.* Hoc certe Dialogo oppidò multa tu collegisti ac plura, quàm subitò capere queam: dabo attamen operam, ut in singula penetrem: tu modò forsitan sæpiùs hallucinantem solita tua benignitate iterum iterúmque sustenta.



DIALOGUS IX.

De Numis Manii Acilii, & Caii Allii Balae.

TULLIUS.

I. *Tab. III. Num. I.* PORrige jam *Tabulam III.* ac primum ejusdem Numum, quem tu minutum & argenteum possides, inspice: ab *Alpha* námque, i. e. à *Gente Acilia*, quam multi perperam *Atiliam* scripsêre, meritò auspicamur. *Adversæ*, ut vides, caput fœmineum, si Superis placet, Divinum jam est, Deæ nimirum SALUTIS, quemadmodum docet *Legenda*. Laurus, qua cingitur, commune ferè Numinum apud idololatras exstitit ornamentum: quamquam *Festus* hìc insuper notet, Deos valetudinis causâ cultos laurô incinctos fuisse, quoniam arbor est plurium medicaminum. *Salutis* nomen Romanis placuit, cùm aliàs hæc Dea apud Græcos *Hygiea* audiret, *Aesculapii* filia, *Hygiæ* seu *Hyginii* soror, ab ægris una cum patre & fratre, sanitatis aut conservandæ aut reparandæ gratiâ, non indiligenter implorata, canente *Ovidio:*

Fest. apud Pitisc. Lex. Antiq. Rom. verbô: Laurus.

Ovid. Fastor. III. v. 800.

Janus adorandus, cúmque hoc, Concordia mitis,
Et Romana SALUS, Aráque Pacis erit.

Aversa

Aversa Numi eandem Deam iterum exhibet, aut certè *Valetudinem* non multùm ab ea diversam, quæ integro corpore adstat, capite rursùm laureato, dextrâ serpentem ad se conversum gestans, sinistrô cubitô columnæ innixa Serpens filiæ cum patre communis videtur. *Æsculapius* etenim *Glaucum* quempiam ægrotum aliquando sanare coactus, cùm secretò in cubili cum baculo deambulans cogitaret secum quid ageret, ab adrepente ad se serpente herbam recepit, cujus usu æger convaluit. Quare *Æsculapius*, divinos postea honores consecutus, serpentem in tutelam recepit. *Demsterus* nihilominus tres alias serpentis causas cùm apud *Æsculapium*, tum apud *Salutem* deam recenset: 1mò ut animal vigilantissimum medicum quémque summæ illius commoneat vigilantiæ, quæ ægris debetur. 2dò. quia venenata licèt hæc bestia ad multa tamen pharmaca & remedia egregiè valet. 3tiò. quia ægri, malô morbôque depulso, ceu serpentes pelle veteri exuta, in novam veluti transeunt juventutem. Columna, cui *Salus* innititur, firmitatis, & constantis apud ægros incolumitatis, per Deam salutarem impendendæ, symbolum & augurium est. II.

Jul. Hyginus in Ophiucho apud Patinum de fam. pag. 3.

Demst. Paral. ad Rosin. Antiq. Rom. L. *l. c.* 13.

PUBLIUS. Dexterrimè hæc à Quiritibus ficta sunt: sed, obsecro, quid ænigmatum *Legenda* recondit, quæ tametsi Latinè exarata sit, plus tamen ferè quàm Græca me remoratur, nec enim vel primam vel ultimam literam capio. *TULLIUS.* Contractæ sunt geminæ, dumque duæ literam unam efficiunt, vicissim una duabus æquivalet. Primam componunt M. & V. postremam T. simul Vque constituunt: quo scribendi compendio persæpè usi sunt Quirites, veluti hoc pariter in Numo IIIVIR. contractum est. Et Prænomina quidem ferè semper simplici litera constant: ut adeò C. locò *Cajus*, P. locò *Publius*, L. pro *Lucius* scribatur. M. porrò nudè appositum *Marcum* designat: sin verò cum V. contractum sit, ut hoc tuo in Numo, vel punctum supra sibi appositum habeat, hac ferè ratione: M'tum verò non *Marcum*, sed *Manium* legas. Sic itaque integra habet hujus Numi *Legenda:* M'*anius*. ACILIUS. III. *Trium*VIR. VALETV*tudo*, seu *Valetudini* (subaudi) constitutus. III.

PUBLIUS. Esto jam, sine offensione hæc legero, aqua tamen ad singula propè verba nihilominus hæret. *TULLIUS.* Faciam, ut potero, te singula pervadere. *Manius* Prænomen est, notante tamen Clar. *Patino*, vix unquam apud *Livium* integrè scriptum, transcribentium utique ignaviâ, quòd ferè semper M sine puncto superiore vel V literæ dimidia virgula annexa, *Marcum* potiùs quàm *Manium* indicet. ACILIUS Proprium IV.

Partin. in Fam. p. 3.

Gentis Romanæ est nomen, Plebeiæ quidem, sed longè illustrissimæ, quæ cùm florente Republica, tum ipsis sub Augustis, pluribûs Consulatibûs inclita fuit. Quatuor eam Familiîs discretam *Patinus* memorat; *Aciliorum* enim alii *Balbi*, alii *Glabriones*, *Pisones* alii, alii *Justini* appellitati sunt: *Anton. Augustinus* etiam *Aviolas* addit. *Manius Acilius Glabrio* primus Gentis hujus Curulem Magistratum obtinuit, qui jam Consul, Antiocho, Syriæ Rege, ad Thermopolim Thessaliæ à se ad usque internecionem deleto, &, Ætolîs superatis, Romæ triumphavit: ubi Templum quoque Pietatis erexit, ac Patri suo statuam auro nitentem collocavit. Nepos ejusdem celebrem edidit Legem *Aciliam de pecuniis repetundis*, ad quam Cicero in Verrem declamans toties provocat. *Aciliorum* quidam *Cajus* nomine, miles Jul. Cæsaris, cùm ad Massiliam cum Pompeio decertaret, summæ edidit fortitudinis specimen: hostilem namque navem dextrâ prehendens, eâ amputatâ, clypeô, quem lævâ gerebat, hostium facies verberans, omnes fugavit, & nave potitus est. Sub Domitiano deinde Imp. Consulatum gessit *M. Acilius Glabrio*, qui fide CHRISTI suscepta, Martyrii palmam sustulerat. Alius ejusdem nominis, cum Commodo Imp. Consul, ab Helvio Pertinace Augusto elogium tulit *summi inter omnes Patricii, qui Mundi totius imperium mereretur*.

Valer. Max. L. III. c. 2. §. 22.

Anton. August. Episc. Ilerdens. de Fam. Rom.

V. De præsenti porrò *Manio Acilio*, cujus est Numus tuus, an è *Balbis* vel *Glarionibus*, aut cujus demum intra hanc gentem familiæ fuerit, deque Triumviratu ejus nihil certi pronunciant Viri docti, immò magnoperè dissentiunt. *Onuphrius* námque & *Vaillant* legi debere contendunt: IIIVIR VALETV*tudinis* (subaudi tuendæ) *Patinus* mavult: *Triumvir Valetudinarius*: quasi verò hic *Acilius* in Urbe Roma, quæ, teste *Galeno*, pesti potenter obnoxia erat, constitutus fuisset, vel ut curam gereret mali hujus præcavendi, vel ut nosocomium ipsum, seu Valetudinarium, in quo ægri decubuêre, curaret. Utrúmque verô Illustr. *Spanhemio* displicet, juxta quem legendum: *TriumVir Valetudo*, aut quod idem est, in *Gotha Numaria*, *Valetudini* constitutus. Putat námque, *Acilium* hunc inter cæteros *TriumViros ædium reficiendarum* curam adeptum esse, ut ædem *Valetudini* Deæ in monte Aventino exstructam sartam tectámque servaret: quemadmodum *Cajo Junio Bubulco* Censori commissum est, ut ædem *Salutis* Deæ instauraret, teste *Livio*.

Onuphrius, & Vaillant de Num. Fam.

Span. T. II. Diss. X p. 15.

Goth. Num. c. VI. p. 229.

Liv. IV. 25.

VI. Si porrò ulteriùs quæsiêris, quamobrem *Gens Acilia*, ut videre est in Iconibus *Patini*, in Numis suis plerúmque *Æsculapium*, *Salutem*, aut *Valetudinem* excuderit? reponit Clariss. *Patinus*, quia *Acilii* nomen suum à græ-

à græca voce *ἀκέομαι*, quod idem eſt, ac *medeor*, traxiſſe videntur, & ideò Medica Numina præ cæteris coluiſſe. Verumtamen denuò refragatur Illuſtr. *Spanhemius* contendens, hac in ſententia gentem hanc non *Aciliam*, ſed *Aceſiam* dici oportuiſſe, quemadmodum Medicum Phryges *ἀκέσιον*, Athenæ *ἀκέτορα* dixêre, & Æſchylus medicamina *ἀκέσματα* appellat. Potiùs itaque egregio *Morellio* ſubſcribit, qui ex Plinio commemorat, Archagato Medico, An. Urb. DXXXV. è Peloponneſo Romam venienti, Jus Quiritium datum fuiſſe, & *Tabernam* collatam eſſe, *ex compito Acilio ob id publicè ereptam.* Atque hoc laudatis Authoribus multò veriùs cauſa anſaque videtur, cur *Acilii* Medica Numina in Monetis ſuis excuderint, ut nimirum hoc pacto gloriam ſibi accerſerent Medici primi ſuum in agrum admiſſi, ſalutiſque Populo Romano aliqua ratione procuratæ. Incredibile etenim gloriæ ſtudium Quirites perpetuò invaſit, nomen ſuum poſteris cum honore tranſcribendi: quapropter minimâ causâ vel umbrâ contenti, res glorioſiſſimas publicìs de ſe monumentìs jactârunt.

Morell. Epiſt. de Fam. Fam.

Plin. L. XXIX. c. I.

VII.

PUBLIUS. Mirum ſanè mihi eſt ex te audire, quantum ſibi negotii hodie Viri Eruditi faceſſant, ut Numos pleniùs exponant: quorum tamen etiam perfecta cognitio tantum certè fructum parturire minime videtur, quantum non modò laborem, ſed & ſudorem expoſcit. *TULLIUS.* Idcircò liberalia ſtudia non tam ex Utili quàm Honeſto metienda ſunt. Quisquis exporrectô eſt ingeniô, dulciſſimam certè capit voluptatem, ſi, quod cæteri poſt multas vigilias ignorant, ipſe felicior aliquando reperiat. Virorum hoc eſt, qui otium ſuum jugibus in laboribus ponunt: hi cùm Libros perpetuò verſent, etiam dum à gravibus negotiis vacant, animum eleganter remittunt, non jocìs, epulìs, ludìs, ſed Rerum Romanarum, Græcarum, aliarúmque eruditìs relectionibûs: in quibus quandoque præter ſpem ſuam & opinionem dubio quodam, quod animum hucusque diutiſſimè ſuſpenderat, jucundè expediuntur. Mox verò ut ſapiunt ipſi, & alios ſapere volunt, quibuscum fortunam hanc ſuam citra invidiam, vel eruditìs colloquiìs, vel epiſtolarum officiô, vel publicìs lucubrationibûs, faciunt communem. Mirum etiam hìc ad rem facit, ſi, quæ quotidie legimus, digna animadverſione, dextere in adverſaria referamus, ſive quod idem eſt, calamo ſuccincto excerpamus: hoc eſt, quod Eruditos ſuſtentat, quod divites facit. *PUBLIUS.* Utiliſſima doces profectò, dum horas omnes collocare utiliter mones: neſcio tamen, an multis ad palatum. Etiamnum ſi viveret, *Seneca* quereretur, quod olim cum gemitu: *De re omnium pretioſiſſima* (nimirum de tempore) *luditur.* *TULLIUS.* Ut quisque aleam jacit,

Senec. Epiſt. IX. 7.

 ſua

ſua cubat fortuna: ſtertant, quos vulgus delectat. Adſpirat laboribus Numen, & ſedulum juvenem jucunda ſenectus coronat.

VIII. *Tab. III. Num. X.* *PUBLIUS.* An libet tibi, ad alterum adhuc Numum Tabulæ hujus hodie progredi, cujus tuâ benevolentiâ Typum poſſideo? *TULLIUS.* Progrediar: at brevì me ab eodem expediam. Caput *Adverſæ*, quod crinibûs eſt eleganter revinctîs, partim tamen fluentibûs, faſtigiolô inſuper impoſitô, colliqne gemmeo torque, *Junonis* eſſe lego in *Gotha Numaria*. *Goth. Num. c. VI. p. 214.* *Averſa* refert *Dianam Luciferam*, ſive *Junonem* denuô *Lucinam*, idem Quiritibus idolum, bigâ cervorum invectam, cum tæda accenſâ: infrà recubat ſpica. In *Antica* legis: BALA. & infra Caput *Junonis* apparet litera C. *Poſtica* inſcribitur: *Cai.* ALLI.

IX. *Urſin Patin. Ant. Auguſt. de Fam..* Hic itaque Numus *Aeliæ* gentis eſt, licet *Allia* in Numo ſcribatur, alii etiam *Ailiam* dicant. Erat illa Plebeia, valde tamen inluſtris, ac Conſularibûs Virîs aliîsque quamplurimîs ſummîs magiſtratibûs celebris: Familias complexa eſt *Pætorum*, *Catorum*, *Tuberonum*, *Ligurum*, *Lamiarum*. Ex *Æliis* ortum habuêre *Titus Ælius Antonius Pius*, & ante eum *Publius Ælius Hadrianus*, Impp. Item *Lucius Ælius*, Cæſar, & *Lucius Ælius Aurelius Commodus Verus*, Auguſtus. Sed & Juris Conſultos plures protulit *Gens Ælia*, quorum princeps erat *Sextus Ælius Catus*, qui Jus civile condidit, dictum ab eo *Ælianum*, quo ſibi *Cati* h. e. *Sapientis* cognomen multa cum laude acquiſivit, quod poſtea apud familiam ſuam in Nomen proprium tranſiit.



X. *Junonem* porrò *Ælii* iterum iterumque in Numis excudêre, ut adeò *Morellius* hanc eandem monetam, cujus nos typum inſpicimus, ſepties decies ediderit, ſemper quidem ſibi ſimilem, at nihilominùs in aliquo ſemper etiam diſſimilem: cùm locò literæ C. ſub capite Deæ variæ aliæ literæ, &, ſpicæ frumentariæ locò, varia alia ſymbola occurrant. Coluiſſe *Junonem* ſub nomine *Lucinæ*, ſeu lucem diſpenſantis, ideò creduntur, quòd *Ælius Pætus* cognomen ſuum à vitio quodam oculorum traxiſſe perhibeatur. Unde & aſſerit *Vaillant*, Numi facie *Dianam luciferam* cum face una aut geminis editam eſſe, quoniam hæc dea apud deliras illas gentes eodem Numine cum *Junone Lucina* eſt culta. *Tertull. de Anima c. 39.* Fidem facere queunt *Tertullianus*, atque *Euſebius Pamphilus*, dum prior quidem infit: *In partu Lucinæ & Dianæ ejulatur*: quaſi diceret, mulieres idololatras, cùm partûs doloribûs angerentur, ſupplici ejulatu Junonem Lucinam, & Dianam imploráſſe. *Euſeb. de Præp. Evangel. III. 3.* Alter verò hunc in modum cauſam ſubdit: *Partui Virgo Diana* (alio nomine etiam Luna) *præeſt*, *quòd novilunio vis quædam inſit, quæ afferat*

pariendi

pariendi facultatem. Ego porrò hic apud *Junonem*, atque *Dianam*, cui cervi ab antiquo sacri fuêre, non moror, plura de iis dicturus, cùm ex professo in Numis Religionem Quiritum scrutabimur.

Interim de *Cajo Allio*, cui insuper Numus *Bala* cognomen attribuit, tuti nihil, quod statuant, celebres Antiquarii hactenus habent, cum nullam ejusdem memoriam scriptores veteres faciant. Conjicere quidem aliqui voluêre ex litera C. sub capite *Junonis*, & spica sub cervis, *Curatorem frumentorum* fuisse *Allium*, cujusmodi omni tempore Romæ exstitêre, quoniam plebs publico ex ærario sustentanda erat. Ast *Liebe* in sæpè laudata *Gotha* sua *Numaria* hanc opinionem facilè rêjicit: siquidem, quod jam supra notatum, nec litera C neque *spica* in cæteris huic similibus Numis compareat, sed sub capite Junonis jam F. jam E. jam H. jam R, &c. sub cervis modò rana, modò pharetra, modò gryphus, modò cicada & quamplurimæ aliæ notæ compareant: quæ varietas vix demum aliud aliquid quàm diversos monetarios innuere queat, qui tam dissimilibûs signis sunt usi. XI.

Cognomen deinde BALA (si tamen *Allio* tributum sit, & non potiùs alium quemdam suis è collegis designet) rursum suspicatur antefatus *Morellius*, aut *Balari* legendum, aut verò à voce *Balarus* derivatum, qua Corsi exules, teste *Pausania*, appellârunt: unde eruere liceat, *Cajum* hunc *Allium* forsitan aliquando exiliô multatum, & in *Corsicam* insulam relegatum, postea verò Senatûs Consultô revocatum esse, vel si non ipsum, alium quempiam Gentis suæ. Attamen donec fortiora suppetant argumenta, non nisi trepidè in hanc sententiam itur. *Liebe* porrò ad *Balborum*, *Blæsorúmque* cognomina respicit, à vitio linguæ petita, eodemque ex fonte *Bala* cognomen profluere potuisse existimat, tanquam *à balante lingua:* sed & hoc sine teste æquè infirmum. Ast satis jam conjecimus cum Viris doctis, Optime Publi, tempori sententiam reservemus. *PUBLIUS.* Multo cum honore tot elegantia Virorum magnorum acumina suspicio: tibi verò, Venerande Tulli, plurimùm utique debeo, quod eosdem apud me tanta cum ubertate, ac fide commemores. XII.

DIA-

DIALOGUS X.

De

Numis C. Antiſtii Veteris, & M. Antonii Triumviri.

TULLIUS.

I. POſteaquam ad *Octavium Cæſarem Auguſtum*, Rerum omnium atque Reipublicæ Romanæ ſumma rediit, *qui ſapientiâ atque ſolertiâ ſua* (verba *Flori* ſunt) *perculſum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus, quod ita baud dubiè nunquam coire, aut conſentire potuiſſet, niſi unius Præſidis nutu, velut anima & mente, regeretur:* Triumviri Monetales non jam ſola Deorum Dearúmque, vel illuſtrium Avorum ſuorum, verúm & Cæſarum tum actu imperantium capita, nemine jam prohibente, frequenter in Numis excudêre. *PUBLIUS.* Novi, quorſum hæc loqueris: quoniam nimirum III. *Tabulæ* tuæ III. Numus, cujus mihi typum exactum porrexeras, vultum Auguſti ſiſtere videtur. *TULLIUS.* Omni te dubio eximat *Legenda* circa caput nudum nullôque omninò ornatu, hunc in modum adpoſita. IMP*erator* CÆSAR AUGUST*us* TR*ibunitia* POT*eſtate*. *PUBLIUS.* Non planè hos titulos capio. *TULLIUS.* Aſt ego alienam in meſſem hìc falcem non mitto. Suſtineas velim, mi Publi, usquequo tecum Laconicam Quiritum Sapientiam in titulis Imperatorum veſtigem, ubi vultus Auguſtorum per aliquot Sæcula, una cum elogiis ac nominibûs eorundem, ordine, ſerieque perpetua depromam.

Flor. IV. 3.

Tab. III. Num. III.

II. *PUBLIUS.* Ægrè admodùm hanc à me patientiam impetras: ſed quoniam tibi ſic libet, de *Averſa* me doce. *TULLIUS.* Elegans admodùm eſt, nec inerudita. Baſin vides, cui, capite laureato, togatus ſtolatúsque deſuper adſtat Apollo, dextrâ tenens pateram, qua uſi ſunt ſacerdotes, cùm ſacrificiis ſacros liquores affunderent, & quæ proprium divinitatis ſymbolum, in omnium propè Deorum Dearúmque manibus verſatur. Siniſtrô brachiô citharam ſuam geſtat: comminiſcitur namque

Ariſti-

Aristides, Minervam, cùm tibiæ, liræ, cytharæque ludos invenerit, cytharam quidem Apollini, Mercurio liram, tibiam denique uni Musarum dono dedisse. *Servius* verò, Virgilii Commentator, cùm Apollo idem, qui Sol, sit, cytharæ ejus mythologicam rationem hîs verbîs assignat: *Lyra simulachro ejus additur, ut nobis cœlestis harmoniæ imaginem monstret.* Haud paulò aliter *Suidas* infit: *Apollinis simulacrum fingunt, cytharam manibûs tenens, quasi Sol sit harmonia Universi.* A dextris ad pedes Dei Aonii, sive Præsidis Musarum, ara fumat accensa, sacrificii testis, ejus honoribus acti. Supra & infra basin nomen Dei describitur: APOLLINI. ACTIO. *Aristid. Orat. in Minerv.* *Serv. ad Virg. Eclog. V. v. 66.* *Suid. v. Apollo.*

PUBLIUS. Quid, obsecro, sibi *Actius* velit? *TULLIUS.* Unusquisque Deorum varia olim nomina tulit plerúmque à locis, in quibus præcipuè cultus est. *Actium* porrò Promontorium erat in *Epiro* insula, quo in loco, teste *Strabone*, ab antiquo Apollo est cultus. Posteaquam verò *Octavius Cæsar*, dictus postea *Augustus*, classe ibidem navali CCCC. & ampliùs navium M. *Antonium* Triumvirum æmulum penitùs contrivisset, in tantæ victoriæ gratam æternámque memoriam, primùm quidem *Apollini Actio*, eodem in loco certaminis, aram è lapide posuit, thúsque adolevit: mox deinde *Nicopolim* Urbem excitavit, ac Ludos Actios Apollinares, singulîs hactenus trienniîs factos, quintô quóque annô, ast multò solemniùs, agi præcepit, & musica, & gymnade, seu luctatorum congressu, & equestri certamine constitutîs, referente *Suetonio.* III. *Strabo in Lex. Pitisc. voce* Apollo. *Sueton. in Aug. c. 18.*

PUBLIUS. An peculiare forsitan beneficium Cæsar Victor tum Apollini debuit. *TULLIUS.* Certè hos tantos honores nullo suo merito minimè tulit Apollo fide Poëtarum: canit námque *Virgilius* de auxiliaribus *Antonii*, pugnantis tam infeliciter, copiis: *Virgil. VIII Æneid. v. 704.*

Actius hæc cernens arcum tendebat Apollo,
Desuper omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

Ampliùs aliquid audet mentiri *Propertius*, canens & ipse: *Propert. L. IV. Eleg. VI. v. 67.*

Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quòd ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.

Alia quamplurima de Apolline figmenta, quæ tamen moribus proficiant, alibi commodiùs afferam.

V. *PUBLIUS.* Restat adhuc, ut video, superior Numi *Legenda*, ni fallor, sic habens: *Cajus* ANTISTius III. Trium. VIR. *TULLIUS.* Nimirum Monetalis, hujusque Numi percussor: quem proinde *Genti Antestiæ*, sive *Antistiæ*, quoniam utrúmque in veteribus Lapidibus legitur, attribuas. Fuit illa Plebeia, sed à multis Consularibus Viris & Sacerdotiis cùm apud Latinos, tum Græcos Scriptores oppidò commendata. Familias habuit *Rheginorum*, & *Veterum*: Originem suam repetiit ab *Antistio Patrone*, juxta *Liebe*, qui, fidem faciente *Dionysio Halicarnassensi*, Vir erat inter *Gabinos*, seu *Sabinos*, cum quibus Populus Romanus fœdus percusserat, nobilissimus. Noster verò *Cajus Antistius* An. Urb. DCCXXII. Consul ex Trium Viro unacum Cæsare Kal. Jul. Crasso suffectus est: útque Augusti Collegæ tam insignem Victoriam redderet immortalem, Aram *Apollini Actio* ab eo positam argentô signavit, quemadmodum *Patinus* testatur.

Goth. Num. c. VI. p. 215. Dionys. Halic. Antiquit. L. IV. p. 255.

Patin. in Famil. p. 20.

VI. *PUBLIUS.* Gratus mihi hic typus est Apollinis causâ: totus interim aveo, Typum alterum ex te intelligere Numi cujusdam mediæ magnitudinis, quem in *Tabula* tua III. quarto loco mirîs certè imaginibûs depinxisti. *TULLIUS.* Uberiùs nonnihil de eodem me disserere oportet, quoniam *Gentis Antoniæ* est, & omnibus fastîs descriptum *Marcum Antonium*, qui post *Jul. Cæsaris* cædem *Triumvir* cum *Octavio* & *Lepido* erat, venustissimè redhibet. Et *Antonia* quidem Gens gemina erat, Patritia una, quæ nomen *Merendarum* assumsit, brevì extincta, neque multùm in historia commendata: Altera Plebeia & diuturna fuit, nullo ferè cognomine, sed summa semper authoritate: cujus posteris supremum equestrium exercituum imperium semel & iterum collatum, sex Consulatus concessi, Censoria dignitas semel indulta, tertiùm denique Triumphi gloria decreta fuit.

Tab. III. Num. VI.

Ursin. apud Patin. p. 21.

VII. Maximi porrò in hac Gente sua citra dubium nominis erat, cujus mox memini, *Marcus Antonius*, *M. Antonii*, *Cretici* appellati, & *Juliæ*, quæ de domo *Jul. Cæsaris* erat, filius: qui, dum *Cæsaris Dictatoris hæres esset secundus* (loquor cum *Floro* Romano) *prælatum sibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis bellum suscepit.* Sed & M. T. *Ciceroni* tamdiu infestus erat, usquequo, permittente quidem *Octavio*, capite eum privâsset: ansam & odium præbuit mors *Cornelii Lentuli*, quem *Julia*, mater *Antonii*, à morte primi mariti conjugem duxerat,

Flor. L. IV. cap. 4.

rat, & quem *Cicero* Consul, tanquam asseclam *Catilinæ* è medio sustulit. Conflatum est à tribus internecinum Reipublicæ bellum, cùm *M. Lepidum* divitiarum cupiditas, *Antonium* vindictæ flamma adversùs eos, qui se oderant, *Octavium* verò dolor de *Jul. Cæsaris* patris iniqua & inulta cæde accenderet.

Et *M. Antonius* quidem initiô, cruentum mox interfecti Cæsaris sudarium è sinu protrahens, ipsemet Senatum publica in concione adversùm occisores in ultionem excitaverat: deinde verò Monarchicæ, quam concupierat, potestatis, argumenta nec pauca, nec obscura præbens, ut hostis damnatus à Senatu est, atque contra eum *Octavius* cum exercitu missus: qui privatus quidem contra Consulem, sed virtute plurima apud omnes spectabilis, tantò libentiùs in bellum processit, quòd *Antonius* & Reipublicæ hostis esset, & suus. Gemini Consules *Pansa* & *Hirtius*, quibus propositum erat, *Antonium* Italiâ pellere, *Mutinæ* cum eo congressi succubuêre, & insuper occisi sunt ambo. *Octavii* verò virtutem ampliùs cùm suspicerent *Antonius* ac *Lepidus*, in fœdus eundem adsciverunt: quod & pacti sunt, Triumviratu inter eos constituto, cujus tyrannide, cùm unusquisque alteri conniveret, Respublica ad extremum deducta est, Senatorum plurimi occisi, ac quadraginta supra centum publicè proscripti sunt. VIII.

Arma deinde *Antonius* cum *Octavio* conjungens, *Cassium* & *Brutum*, Cæsaris sicarios, cæcîdit: sed mox elanguens in Asiam se contulit, & ibi totum ferè & genio & voluptati tribuens, *Cleopatræ* Reginæ adulteris amoribus indulsit. Parum id certe Triumviro Reipublicæ constituendæ tanto in turbine rerum convenerat: quare inter cæteros *Octavius* quoque Collegæ ignaviam detestatus, rursus cum eo collisus est. Verumtamen *Antonius* bellum contra *Octavium*, ne è sinu *Cleopatræ* dimoveretur, *Fulviæ* conjugi suæ diu gerendum reliquit: postremò novam cum adversario pacem inivit, qua facta est inter Triumviros imperii divisio, *Lepido* Africa, *Antonio* Oriens, Occidens porrò *Octavio* cessit. Huic fœderi fidem nuptiæ *Antonii* cum *Octavia*, sorore *Octavii*, conciliare debuerant. Mox tamen repullulavit discordia: & *Lepidus* quidem ab *Octavio* maximè oppressus est: cùm *Antonio* eundem ad tempus *Octavia* reconciliavit. IX.

Quoniam verò ineluctabili fatorum ordine fieri debuerat, ut è cineribus Reipublicæ Monarchia consurgeret, imperaret unus *Octavius*, sublatus X.

porrò in altum *Antonius* rueret lapsu graviore: sponte in priùs salutem in servitute quæsivit. Facta namque per conjugem *Octaviam* cum *Octavio* transactione, iterum in Asiam, atque ad *Cleopatram* accessit, postposita Uxore & Liberis, atque Amasiæ suæ, prolibúsque ex ea creatis, plurimas imperii provincias, nimiâ profectò sui fiduciâ, transcripsit. Vehementer hæc res Populum pariter, & Senatum commovit, tantóque ampliùs *Antonio* obfuit, cùm is insuper cum Parthis, quia inconsultò festinanterque, etiam infelicissimè conflixit, triginta propè suorum millibûs cùm in acie, tum in itinere multatus. Nihilominus ignominiam tantam fastu suo, & superbia superavit: quippe turpissimâ à Parthis fugâ elapsus, Antiochiæ nihilominus ceu Victor triumphavit, à *Cleopatra* sua, eidem occurrente, solemni gratulantium studio exceptus, & in dulcem iterum sinum admissus.

XI. Argumento hæc omnia opportunissimo erant perpetuis *Octavii*, nec injustis contra *Antonium* apud Rempublicam querelis: tandem bellum decretum, & ad *Actium*, in *Epiro* insula maritimô eoque acerrimô præliô *Antonius* à victore *Octavio* plenè contritus est. Fugit equidem cum *Cleopatra*, sed utrisque jam nulla spes alia super, nisi gratia Victoris: hæc cùm supplicibus ab *Octavio* post tot ac tantas irritationes negaretur, commori decrevêre, quibus vivere simul haud ampliùs licuit. *Antonius* itaque ventrem sibi gladiô strinxit: *Cleopatra* venis suis serpentes admovit. Atque hoc demum pacto *Octavius Cæsar* solus superstes, & formidabilis omnibus, nemine equidem prohibere auso, Augusti apud Romanos Imperii, suffocatâ Reipublicâ, Conditor evasit. Evênit tum ferè, quod *Florus* ajebat: nimirum *M. Antonio, & Publio Dolabella Consulibûs, Imperium jam ad Cæsares transferente fortuna, varius & multiplex motus civitatis fuit: utque in annua cœli conversione fieri solet, ut mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent: sic in Romanæ ditionis, id est, humani generis conversione, penitus intremuit, omnique genere discriminum, civilibûs, terrestribûs, navalibûs bellis omne imperii corpus agitatum est.*

Flor. L. IV. c. 3.

XII. *PUBLIUS.* Nunquam tantô compendiô agonem Reipublicæ Romanæ percepi: nunc porrò utique Numum in typo suo lustrabimus? *TULLIUS.* Omninò: vides in ejus *Adversa* sertum grande, ex hedera, & vitibus compositum? quo id symbolo depictum existimas? Certè ejusmodi supra in Numo Græco *Mithridatis* jam videras. *PUBLIUS.* Sin benè recolo, *Liberi Patris*, sive *Bacchi* insigne est. *TULLIUS.* Rectè

ais:

ais: *Dionysium* namque, sive *Lyæum*, quæ totidem *Bacchi* sunt nomina, vini cultum, usúmque admodùm promovisse comminiscuntur: quare ejus idola vitibûs coronârunt. Addiderunt & hederam, quam herbam temulentis nonnihil saltem mederi, & capitis vinô gravati vertiginem temperare credebant. Intra hujusmodi verò sertum caput *Antonii*, hederâ aliâ cinctum, pingere libuit Numi authoribus: quoniam, cùm fata vellent, ut sæculo suo fax, turbo, procella, scopulus, & pestis evaderet, voluptatibus torum se tradidit, quibûs cæteras non parùm egregias animi sui dotes turpiter vicit & obscuravit, eò dementiæ progressus, ut, priusquam in patriam bellum decerneret, in Deos ipsos injurius, *Liberum* se *Patrem* palàm profiteretur, ac hederîs redimitus, aureâ fulgens coronâ, thyrsum tenens, cothurnîsque succinctus, sublimi in curru, faustas inter velut bacchantium acclamationes Alexandriæ invectus sit, teste *Velleio Paterculo*. *Vell. Paterc. L. II. c. 82.*

PUBLIUS. Quis bacillus recurvus sub capite *Antonii* recubat? *TULLIUS.* *Lituum* Romani dixêre, eóque usi sunt *Augures* veluti Sceptrô, cùm ex Avium volatu omnia captaturi, certa cœli spatia designare vellent, in quæ plebem avium visendarum causâ intendere oportuit. Ab hoc *Lituo* Pedi Episcopalis figuram deinceps in Ecclesia desumtam esse multi sibi persuadent. Cæterùm hoc symbolo colligere licet, *Antonium* Augurem fuisse: qui insuper, testibûs *Dione Cassio*, & *Suetoniô*, Julii Cæsaris *Flamen Dialis* erat, etiam dum Cæsar adhuc viveret: jam enim tum Jovis cognomentum ei palàm imposuerunt, Templúmque Clementiæ paulò pòst interficiendo dedicârunt. Attamen, superstite *Julio*, inauguratus in Flaminem non fuit *Antonius*: eo occiso, *vel motu invidiæ, vel ut stulti hominis suspicionem effugeret*, quemadmodum *Cicero* in eundem declamaverat, noluit inaugurari. Erant autem *Flamines* sacerdotes, Diis peculiaribus colendis publicè constituti, à quibus & nomen traxêre. Romulus *Flaminem Dialem* Jovi, Marti *Martialem* decrevit: *Quirinalis* deinde ipsi est datus, cùm *Quirinus* à consecratione appellaretur. Lapsu temporum XV. Flamines facti, nisi & plures, quorum princeps semper *Dialis* fuerat: præcipua, qua à profanis distincti sunt, vestis pileus fuit è lana linoque contextus, qui supra tenue in acumen desierat, Quiritibus *Tutulus* dictus; hoc deposito mox Flamines esse cessârunt. XIII.

Suetòn. in Jul c. 74. *Dio Cass. L. XLIV.* *Cicero Philip. II.* *Acerr nova Philolog P. II p. 647. &c.*

PUBLIUS. Restaret *Legenda* circa *Antonii* caput; sed verba dimidia me plurimùm remorantur. *TULLIUS.* Sic illa habet: *Marcus* ANTONIUS. IMP*erator.* COS. i. e. *Consul.* DESIGN*atus.* ITER*ùm.* XIV.

ET. TERT*ium*. *PUBLIUS*. Annè Imperatorum in numero *Antonius* collocandus? *TULLIUS*. Verbum IMP*erator*. non de Regio, seu Monarchico, sed Exercituum imperio accipere debes: quæ porro circa hanc vocem monenda essent, alibi rectiùs doceberis. *PUBLIUS*. COS. pro *Consul*. & COSS. pro *Consules* scribi solitum jam aliàs dixisti: ast DESIGN*atus* eccur additur? deinde ITER*um* ET TERT*iùm* quorsum dicitur? *TULLIUS*. Consulum Magistratus non plusquam annum integrum durabat, sæpiùs tamen repeti poterat: quod si semel factum, scriptum est: COS. ITER*um*, seu altera vice; si bis, dictum est *Consul III. tertium*, si ter, *Consul IV. quartum &c.* Dum quis verò delatum sibi Consulatum adire quacunque de causa, vel nequiit, vel noluit, scribebat: COS*ul*. DESIGN*atus*. Porrò *M. Antonius* primum gessit Consulatum una cum Jul. Cæsare An. Urb. DCCIX. in cujus interfecti locum ipse sibi Publium Dobellam Collegam suffecit. Consul iterùm factus est A. U. DCCXIX. ubi tamen se sponte hoc magistratu abdicavit. Consul tertiùm designatus est An. Urb. DCCXXII. quia tamen paulò pòst hostis Reipublicæ declaratus est, hunc Consulatum non iniit.

XV. *PUBLIUS*. Omnis mihi Numi *Adversa* jam liquet: ast *Aversa* tantò obscurior est. Quale enim hoc parvulum fœminæ caput, crinibûs eleganter revinctum? quæ cista, super quam eminet? Serpentes gemini, utroque ex latere multo se gyro in altum torquentes, quid monstri sunt? Demum addita *Legenda*: IIIVIR. R. P. C. quid innuit? *PUBLIUS*. Breviter expediam singula. Verba sic lege: III. *Trium* VIR, seu unus è Collegio trium Virorum, R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*, sive summo, communi tamen imperiô administrandæ constitutus. Collegas porrò *Antonii* hoc in Triumviratu fuisse *Lepidum*, & *Octavium Cæsarem*, jam ex compendio historiæ audisti. *PUBLIUS*. An fortean fœminæ parvulum caput *Cleopatram* sistit? *TULLIUS*. Dexterrimo Apolline uteris; hæc ipsa est, *Antonii* salax amasia, cui vir tantus voluptate victus, non dubitaverat, superbum [illegible] elogium, aurô argentôque signatum, tribuere: REGINA. REGUM. FILIORUM. REGUM. (subaudi: Mater) CLEOPATRA. Reginam autem eam ipse *Antonius* fecit, quemadmodum & filios Reges, cum Imperii provincias, Phœniciam, Cœlesyriam, Cyprum, magnásque Ciliciæ, Judææ, & Arabiæ partes, velut suas, utrisque distribueret.

Ursin. apud Patin p. 23.

XVI. *PUBLIUS*. Serpentum & cistæ nulla omninò mihi ratio occurrit. *TULLIUS*. Erat autem Numi hujus percussoribus sine dubio maxima: cùm

cùm enim *Antonius* libidinem ſuam , & Cleopatra imperium ſuum maxi-
mè in Aſia exercerent, ubi & Numus excuſus , adeſſe in eo debebant
ſerpentes *Aſiæ* geminæ, *majoris* atque *minoris*, antiqua in Monetis vete-
ribus ſymbola , immò & *genii* tutelares locorum. Adducit Illuſtr.
Spanhemius hujus ſententiæ teſtem *Servium*, dum alicubi *in Virgilium* ait: *Spanh. T. I.*
Quia nullus locus ſine genio eſt , qui per anguem plerúmque oſtenditur. *Diſſ. IV. p.*
Addit deinde ex *Philone Byblienſi* apud *Euſebium* patere, quòd Ægyptii *221.*
imprimis, qui & ipſi Aſiæ populus fuêre, eam ſemper de ſerpentibus at- *Serv. ad Virg. Æneid. V.*
que draconibus foverint opinionem , ut divini aliquid illorum naturæ
attribuerent: quare cùm *Boni genii* , tum *mali* apud eosdem audiebant.

Quoniam præterea Numi *Adverſa* hedera & vitibus coronavit *Antonium*, XVII.
ceu *Liberum Patrem*, reliqua Bacchi Symbola *Averſa* adjecit. Spectant
porrò ſerpentes , ſive cùm *ciſtam* , ſeu corbem , aut cophinum ſtipant,
vel ſi ex eodem proſiliant , ad *Orgia* ſive *Bacchi* ſolemnia ; quibuscum
Antonius, novus ſuomet deliriô *Dionyſius*, ubique in Græcia, Aſiáque,
aſſentantium ſtudiô exceptus eſt. *Bacchantes* námque viri & fœminæ , ad
ludos *Liberi* concurrentes, ut mente omninò ſe captos, ac metu cujuslibet
mali ſolutos (quod vini liberaliter hauſti beneficium eſt) oſtenderent,
circùm ſerpentem, beſtiam homini tam aliàs & inviſam & noxiam, jucun-
dè ſaltare, teſte *Euripide*, quin etiam coronare ſe anguibûs venenô exutis *Euripid apud*
ſolebant, canente *Horatio* : *Nodô coërcent viperinô Biſtonidum ſine frau-* *Pitiſc voce:* Bacchana-
de crines. Cretenſes porrò, ut *Orgiorum* ſe inventores probarent, ſerpen- lia.
tes ciſtæ incluſos, *Bacchi* honoribus abditis ſacrisque in locis paſſim ſer- *Horat. Odar.*
vabant; unde & *ciſtæ* ſacroſanctum, prô pudor! myſterium capis. *II. 11.* *Lex. Pitiſci.*

PUBLIUS. Multîs in hoc Numo exponendo tibi verbîs fuerat opus, XVIII.
qui tamen nunc omninò tuâ benevolentiâ mihi liquidus eſt. Video ſanè
jam affatim , & typos Numorum prodeſſe diſcipulo; pro quibus proinde tam
multis te maximè amo. Ampliùs ſanè aliquid habent elata ejusmodi
plasmata præ ſculptis duntaxat imaginibus, cùm multò magis fidelia ſint,
ſitumque & habitum figurarum longè exactiùs ob oculos ponant.
TULLIUS. Nihil ferè bonis in typis deſideres, quàm , quod ſpe-
ciem metalli pondúsque non exhibeant: è quorum intuitu , an genui-
nus, an fictus ſit Numus, plurimum ſolet periculum fieri. Eſt namque
æri præcipuè veteri color quidam, ſoliditas item, & gravitas, quæ noſtro
hodie eſſe non ſolet. Cæterum de hoc Numo adhuc monere te debeo,
quod lego in *Catalogo Numorum Gothæ impreſſo Anno* 1715. ibidém- *Catal. Goth. p. 9*
que venalium, dictam eſſe hanc monetam, teſte *Livio* , à *ciſta Ciſtopho-* *Liv. Dec IV. L. 7.*
ram.

Goth. Num. c. VI. p. 219. *ram.* Porrò diligentissimus *Liebe* in *Gotha* sua *Numaria* persuasum esse dicit Eruditis, eandem non alibi, quàm in Cilicia *Antonii* honoribus excusam fuisse.



DIALOGUS XI.

De Numo gemino T. Carisii, Trium Viri Monetalis.

PUBLIUS.

I. SI qua Veritas, cui omnes naturâ afficimur, sciendi proritat cupidinem, ea certè est Laconica Numorum Sapientia. Usque adeò jucundissimîs tuîs dialogîs, quibus & Numos ipsos adjicis, animus meus à te delibutus est, ut jam ferè inter ea, quæ Genio dare apud me æquum est, tempúsque, & muneris ratio sinunt, nihil doctissimo huic rerum tam diversissimarum compendio præferam. Spem mihi non modicam hodie iterum faciunt Tabulæ tuæ III. Numi V. & VI., apud me tuo munere typici, varia denuò eruditissima ex te, Tulli Venerande, liberaliter addiscendi. *TULLIUS.* Dabo operam, ne tua te opinio fallat. Unius Triumviri Monetalis geminam lustrabimus monetam, quarum neutra te vacuum sine omni profectu dimittet.

II. Tab. III. Num. V. *PUBLIUS.* Amabo te, eccur in Numo hoc V., *Adversæ*, penès Caput fœmineum, crinibûs succinctîs, cui collum monile exornat, & summa humeri sindon obvelat, nomen: MONETA: disertè adscribitur? Quid tandem opus erat, argentum signatum, per se omnibus notum, suo insuper nomine onerare? *TULLIUS.* Monetam signatam utique noverant omnes: ast non *Junonem Monetam*, cujus vultus tuos hìc oculos subit. *PUBLIUS.* Ejusmodi nomen Jovis Sorori & Conjugi, Reginæ Deorum, quæ, obsecro, tandem Quiritum Religio imposuit? *TUL-*

TULLIUS. Non Religio erat, sed superstitio: quæ, quantum a vero descîscit, tantum semper incerta est. *Cicero* prior hoc refert commentum. *Cùm non multò antè captam à Gallis Senonibus Urbem terræ motus factus esset, ferunt vocem exstitisse è Junonis templo, quod erat in arce, ut de sue plenâ fieret procuratio* (i. e. ut porci immolatione Quirites iratos sibi deos conciliarent) *Quocirca Juno illa appellata Moneta à monendo.* In aliam verò sententiam rectiùs fortè abiit *Suidas* Grammaticus, inquiens: *Cùm Romani pecuniâ indigerent in bello contra Pyrrhum, & Tarentinos, Junonem orârunt: quæ illos admonuit, si justitiæ armîs uterentur, pecuniam eis non defuturam. Quod cùm rectè eis contigisset, Monetam Junonem venerati sunt, fúitque rei illius signum Numisma, cui Moneta inscriptum, ejúsque in templo servatum.* Utra jam causa sit certior, nemo facilè definiat: sæpè interim *Ciceronem* nostri Scriptores, collatîs aliorum sententiîs, de non ritè investigatis, aut acceptis Deorum originibus reprehendunt. Id tamen extra dubium ponit hic Numus, *Monetam* Quiritibus cultam esse. *Cicero de Divin. L. I. c. 45.* *Suid. Lexic. voce:* Moneta.

III. *PUBLIUS*. An verò etiam fabros fuligine sordidos Romani dignos habuêre, quorum incudem, forcipem, malleum ære & argento signârent: quæ singula in *Aversa* Numi parte conspicio? *TULLIUS.* Rectè equidem vidisti, arbitraris verò non bene: haud etenim fabrum, sed Triumvirum Monetalem suppellex hæc denotat, teste *Ursino*. Durior certè olim cudendæ monetæ fuerat labor, ac nostrîs jam esse temporibûs solet: quod enim torcular iconicum proprio suo nunc pondere facit, mallei operâ veteres perficere oportuit. Canit hac de re *Lucanus*: *Ursin. apud Patin. de famil. p. 6.* *Lucan. L. VI. 402.*

Primus Thessalicæ rector telluris Iconus
In formam calidæ percussit pondera massæ:
Fudit & argentum flammîs, aurúmque monetâ
Fregit, & immensîs coxit fornacibûs æra.

Hæc liquanda erant & igne coquenda, tum in lamellas concidenda, fundenda modulô, typariô iconicôque plasmanda, postremò tandem & gravi, & verè artifice malleo absolvenda. Tum demum, ut *Prudentius* cecinit: *Cæsar agnovit suum Numisma numis inditum:* Tunc *concisum argentum in titulos, faciesque minutas* fuit: qui *Juvenalis* est lepor: & juxta quem alibi *Lance beata Dacicus, aut scriptô radiat Germanicus aurô.* Sic *Forma Publica*, puta, Moneta enata est, usibus certè & negotiis hominum *Jobert Instruct. VIII. p. 24.* *Prudent. II. 95.* *Juvenal. Sat. VI. 204. & XIV. 291.*

adeò promta & expedita, ut divinum verè inventum haberi queat. Sæpe námque, ut habet *Cicero*, cæterarum *rerum pretia jacent:* cùm econtra Numi in tanta vultuum Augustorum, quibûs signantur, diversitate, modò pondere ex æquo conveniant, pretio sint semper æquali. Atque hoc erat, quod barbaros summè admiratos esse, cùm aqud captivos Quirites plurium Cæsarum Numos viderent, *Solinus* & *Plinius* scribunt, in tantum quidem, ut ultrò Legatos Romam submitterent, fœdusque deposcerent.

Cicero pro Q. Rosc.

Solin c. 53. Plin. VI. 22.

IV. *PUBLIUS.* Usu nos inter hæc ferè vilescunt, neque satis summa etiam beneficia, DEI auspiciô in nos collata, pensamus. Sed edic jam, obsecro, quæ vitta, aut pileus qualis laurô incinctus, supra incudem compareat? *TULLIUS.* Divinus est, fabrorum omnium Primicerio, *Vulcano* Deo, tributus, cui Triumviri Monetales quotidiana propè Sacra edidêre: & vittâ sanè opus habebat, cùm armos robustos vi tota malleo librando intenderet, ne impexi intonsique crines frontem & lumina impedirent. *PUBLIUS.* Sertum porrò grandè, laureum ut videtur, cujus symbolo adest? *TULLIUS.* Id verò summam demum & Numo, & Triumviro Monetali gloriam accerset: námque victoriæ à se relatæ est index, auspice tamen non *Vulcano*, sed *Marte*. *PUBLIUS.* Nihil sanè horum brevissimum ejus nomen: *Titus.* CARISIUS. prodit. *TULLIUS.* Sed *Dio*, ac *Florus*: extra quos deinde nemo aliàs scriptorum *Gentis Carisiæ* meminit, si *Ursino* credamus.

V. Duo nimirùm fuêre *Carisii*, *Titus*, & *Publius*, *Ursino* fratres existimati, & ambo Legati, cùm Cæsar Augustus contra Asturas, & Cantabros procederet, in Hispania rebelles. Rem *Florus* de *Tito* enarret. *Astures*, inquit, *per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant, nec, ut barbari, timûere sumtus impares: sed positîs castrîs apud Asturam flumen, trifariam divisô agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parabant. Fuisset & anceps, & cruentum, & ultimum mutua clade certamen, tunc tam fortibûs, tam subitò, tam cum consilio venientibûs, nisi Trigacini prodidissent: à quibus præmonitus T. Carisius, cum exercitu adveniens oppressit consilia: sic tamen quoque non incruento certamine. Reliquias fusi* (hostilis) *exercitus validissimi civitas Lancia excepit: ubi adeò certatum est, ut, cùm in captam urbem faces poscerentur* (à Romanis nimirùm militibus, eam vindictæ causâ igni succendere cupientibus) *ægrè Dux impetraverit veniam, ut Victoriæ Romanæ stans potiùs,*

Florus Lib. IIII. c. ult.

potiùs, *quàm incensa*, *esset monumentum.* *PUBLIUS.* Habeo jam & Lauri, & Numi totius liquidam rationem.

TULLIUS. Abstrusior videri meritò possit ejusdem *T. Carisii* Numus alter, æquè apud te typicus, & in *Tabula tertia* VI. Difficile namque est de capitibus, præsertim mulierum, symbolo omni ac titulo remoto, tutò conjicere, nisi eadem ex usu & consuetudine nota sint, quemadmodum vultus Augustorum, Augustarúmque crebriùs occurrentium. Vides in Numi *Adversa* Caput elegans fœminæ, cæsarie decore revincta, multóque gemmarum & fasciarum ordine subligata. Pingunt hoc equidem *Ursinus* & *Patinus*: quod tamen vel quale sit, omninò dissimulant. Non ita Illustr. *Spanhemius*, qui fœminam non aliam hìc depictam pronuntiat, quàm *Sibyllam Phrygiam*, hancque sententiam suam etiam Clar. *Vaillant*, novissimo *Fulvii Ursini* de Famil. Roman. post *Patinum* recensori, probatam esse plurimùm sibi gratulatur. VI. *Tab. III. Num. VI.* *Patin. de Fam. p. 62. Spanh. T. I. Diss. V. p. 264. Vaillant Notis ad Gent. Caris. T. I. pag. 233.*

Nititur autem *Spanhemius* potissimùm Authoritate *Phlegontis Tralliani*, qui erat libertus Hadriani Imp. scripsitque cùm ejus Historiam, tum de Ludis Olympicis, itémque de Mirabilibus & Longævis: ex quo *Stephanus Byzantius*, Grammaticus Græcus Sæculi V. hujusmodi testimonium adfert. *Hinc Gergithica fatidica Sibylla, quæ, uti & Sphinx, in Gergithiorum numismate impressa est, ut tradit Phlegon in prima Olympiade.* *Gergis* autem in Troade erat, & Troas in Phrygia. VII. *Phleg. Trallian. Olymp. I. Stephan Byzant Dict. Geograph. in voce:* Γέργις.

PUBLIUS. Ergò forsitan *Sphinx* est monstrum illud fœmineo-leoninum, quod in Numi hujus *Aversa*, alîs insuper præditum considet? *TULLIUS.* Id apud omnes in confesso, nec quisquam facilè reperitur, qui inficiari velit, quin, ut *Legenda* habet *Titus.* CARISIVS. IIIVIR. videlicet Monetalis, hanc bestiam Augusti Imp. gratiâ in Numo suo signârit: de quo fatur *Suetonius*, cujus Vitas XII. primorum Cæsarum habemus, eundem *in diplomatibus, libellisque, & epistolis signandis initiô Sphinge usum esse, mox imagine M. Alexandri, postremò & sua.* Adstipulatur & *Dio*, qui Romanam historiam græcè conscripsit, dum infit: *Sigillum*, *quo tum maximè utebatur* (puta Augustus) *duplex paraverat, Sphinge in utroque eâdem insculpta: nam seriùs cœpit suam imaginem in eo incidere.* VIII. *Sueton. in Aug.* *Dio Cass. L. LI.*

Ex his omnibus colligere licet, *Carisium* ad veteris *Gergithiorum* Numi ideam utrámque Monetæ hujus suæ faciem, hinc cum *Sibylla*, inde cum *Sphinge* composuisse; in quo sanè à mente *Augusti*, *Sphingis* signaculo utentis, IX.

vateatis, haud recessisse existimari possit, cùm *Sibylla* pariter, atque *Sphinx*, rerum reconditarum & mysterio parium aptissima symbola sint. Haud verò ambigo, arcanam administrandi, imò & vindicandi, atque fundandi tanti Imperii prudentiam, qua excelluit Augustus, dignam eidem omninò visam esse, quam mire implexa & intricatissima *Sphingis* imagine obseraret, non nisi à peritissimo quodam Politicæ Oedipo reserandam. Quanquam & id Illustr. *Spanhemio*, dexterrimo conjectori, facilè dandum esse putem, Fortitudinis quoque & Industriæ typo Augustum *Sphinge* signâsse, quarum symbolum eandem fuisse *Plutarchus*, *S. Clemens Alexandrinus*, atque *Synesius* statuunt.

Plutarch. Schediasm. Bruta ratione uti. p. 988. S Clem. Alex. Strom. L. V. pag. 567. Synes. de Regno. p. 7.

X. *PUBLIUS.* Rem sanè gratissimam feceris mihi, Venerande Tulli, si & de *Sibylla*, & de *Sphinge*, paulò plura ac veriora me doceas: de utraque enim in Scriptis Eruditorum sermo non infrequens recurrit. *TULLIUS.* Ardua postulas, optime Publi: unde etenim de *Sibyllis* vera tibi depromam, de quarum ne numero quidem aut patria duo veterum Scriptorum consentiunt? Siquidem tamen hæc serio postules, præterquam quod volui, tribuam tibi: sustine interea, erit namque, ut, postquam Tabulas Numorum huic nostræ Exercitationi Prooemiali destinatas explanavero, de Sibyllis peculiari Dialogo Appendice te erudiam. Longiùs enim, ac par sit, à via hic excederemus. *PUBLIUS.* Vehementer hoc tuo promisso jam gaudeo, quandoquidem fidem tuam ubique tam egregiè liberas. *TULLIUS.* Interea tamen id solùm commemoro, Illustr. *Spanhemium* duas duntaxat *Sibyllas*, non plures, cum *Martino Capella* agnoscere, *Gergithiam* nempè, seu *Phrygiam*, in hoc Numo *Carisii* signatam, ac præterea *Erythræam*, quæ fortè cum *Cumana* eadem sit. Mox vero *Sphingem* ipsam vatis aut *Sibyllæ* nomine venisse docet ex Græco *Euripidis* Interprete, qui verba *Socratis* affert de *Sphinge* Thebana, *Vatem illam* fuisse *indigenam*, *obscura proferentem oracula:* atque idipsum deinde de *Chiorum Sphinge* pariter statui posse subinfert. *PUBLIUS.* Vereor sanè, si *Sphinges* quoque in *Sibyllas* tam facilè transeant, ne acris, quam mox commemoràras, de numero *Sibyllarum* contentio, ac tanta Scriptorum dissensio difficilè admodùm componi queat. *TULLIUS.* Viderint, quibus de hoc disceptare vacaverit: ego ad *Sphingem* convertor.

Spanh. T. I. Diss. V. pag. 246.

Socrat. apud Scholiasten Euripid. Phoeniss. v. 45.

XI. Triforme hoc monstrum *Ausonius* Poëta hìs versibûs, omninò quale est in Numo, commemorat:

Auson. n. 3.

Terruit Aoniam volucris, Leo, Virgo, triformis
Sphinx, volucris pennîs, pedibus leo, fronte puella.

Scopulo

Scopulo hanc bestiam apud Thebas insedisse, & transeuntibus proposuisse ænigmata, quique eadem solvere nequirent, unguibûs laceràsse, fabula omnibus nota est. Fatô tamen finxêre statutum, ut *Sphinx* moreretur, quamprimùm abstrusam ejusdem sapientiam quisquam evolvere nôsset: quæ sors *Oedipo* obtigit. Hic namque animal à *Sphinge* sibi propositum, manè quadrupes, meridie bipes, vespèri tripes, scitè de homine exposuit, qui, dum infans est, manibûs ac pedibûs repit, adultus bipes ambulat, senex scipionem in pedum debilium suppetias advocat. Si retecto *Sphingis* sophismate, illa irarum ac tædii plena, è sua se rupe præcipitem dedit.

Etsi porrò mendaciis referta hic omnia, ut adeò passim, qui res antiquas excutiunt, monstrum hoc ad Ægyptiorum logographos damnent: XII. Illustr. tamen *Spanhemius* omninô tuetur, veras quoque *Sphinges* de genere simiarum existere, quamquam in ea describenda haud omnes Oedipi sint. Primùm itaque te verum à fabula discernere, & *Sphingi* volucres alas, nonnisi Græcorum mendaciis genitas, præcidere jubet. Deinde verò non solùm *Agatarchidis* apud *Photium*, *Diodori* item, *Strabonis*, ac *Plinii* authoritatibus, verùm etiam & multò magis recentiori cuidam & oculato testi *Philostorgio* credere cupit: qui, Cappadox genere, Sæculô V. imperante Theodosio juniore, Ecclesiasticæ Historiæ compendium edidit, homo quidem Arianus. Hic publici juris novissimè factus à *Jac. Gothofredo*, Juris-Consulto Clarissimo, hæc de *Sphinge* verba, è græco in latinum traducta, recensuit. *Sed & Sphinx simiæ genus est (id quod conspicatus scribo) cujus quidem reliquum corpus hirsutum est, ut aliarum simiarum, pectus verò ad collum ipsum usque glabrum, mammas muliebres habet; rubrâ quadam tenuique, quæ milio similis est, papulâ totum corpus, qua nudatum est, in orbem percurrente, multumque decoris & gratiæ colori, qui in medio humano similis est, conciliante: facies verò rotunda plusculum est, & in muliebrem vergit.* Adjicit porrò in sequentibus, fabulæ licentiâ è vera hac Simia atque *Sphinge* hujusmodi monstrum enatum, quod omnium propè hominum fidem repelleret. Cùm namque ex Ægypto Thebas deferri *Sphingem* aliquando contingeret, Græci, quos quacunque minima de causa quidlibet fingendi nulla prorsus religio incessit, ob motûs celeritatem, alas ei tribuerunt, muliebre caput pectúsque ob formæ nonnullam similitudinem, leonis corpus propter innatam feritatem; sermonem deinde illius, qui obscurô quopiam sonô ad humanum aliquomodo accedit, cùm non intelligerent, ad ænigmata detorsêre.

Philostorg. Hist. Eccles. L. II. c. 11.

XIII. Esto itaque *Sphinx* Græca & alata non immeritò incredibilibus cæteris accensenda sit, non item *Sphinx* Ægyptia: utramque porrò inter cætera veneranda Antiquitatis monumenta etiam Numi frequentiùs exhibent. Symbolo namque Fortitudinis & Industriæ, quod supra jam monui, deputabatur: præterea verò & involutam Oraculîs, fabulîs, ænigmatibûs, allegoriîs sapientiam denotabat. Idcircò perhibente *S. Clemente Alexandrino*, Ægyptii præsertim antè templa *Sphinges* apposûere, quòd doctrina de DEO ænigmatica esset, atque obscura. Qui & idem Eruditissimus Patrum celebrem illam *Prodici* Chii de virtute ac vitio fabulâ involutis tractationem inter illustria ænigmatum & allegoriarum exempla recenset, quibûs veritatem sacrîs Literîs contentam Græci barbarique frequenter occulûere, eorúmque in numero *Sphinges* locô non ultimô ponit. Certè cùm *Chius* insula præ cæteris omnibus eximiè se jactaret, quòd verum fabularum & allegoriarum parentem *Homerum* genuisset, perpetuò in Numis suis, hinc vatem suum mox laudatum, inde *Sphingem* excudit, aptissimam mysticæ, qua eminuit *Homerus*, sapientiæ præconem. Verè hoc pacto, at miserè contigit, quod conqueritur Apostolus, ut, *cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverint*, non prædicaverint publice: sed ænigmatibûs eum involventes, *evanuerunt in cogitationibus suis*, & ideò *obscuratum est cor insipiens eorum.*

S. Clem. Alex. Stromat V. p. 561

Rom. I. 21.

XIV. Hactenus cum Illustr. *Spanhemio* hariolari de *Sphinge* collibuit: nunc porrò cum Eruditiss. *Reuschio Gemmarum Ebermayrianarum* novissimo juxta & diligentissimo enarratore. Is animadvertens, in Galea Minervæ *Sphingem* quoque à veteribus unacum Faunis & Satyris exprimi solitam (quod neque *Spanhemius* omninò dissimulat) opportunè insuper notat, non deesse Authores, qui Sphingem scientiæ simul, & ignorantiæ typum statuerint. Sapientiæ symbolum eam dissertè asserit Illustr. *Franc. Baco, Lib. Bar. de Verulamio*, Angliæ quondam Cancellarius, fortunæ deinde invidiâ dejectus, omnigena clarus eruditione, cujus mentem omninò cùm eo consentiens egregiè explicat *Joan. Goropius Becanus*, Medicus Parisiensis, qui sic effatur: *Dum veterum Theologia faciem pulchrarum modestarúmque Virginum Sphingi tribuit, & reliquum corpus addidit leoninum, unguibûs tamen contractîs, & ad nocendum minimè explicatîs, castitatem sapientiæ sanctitatemque Virgineam addidit, sed eam, qua, si læderetur, robur & celeritatem leoninam ad vindictam haberet.*

Reusch. ad Gemm. Eberm. f. 9.

Franc. Baco de Verulam. de sapient. veter. c. 28.

Joan. Gorop. Becan. Orig. antuerp. L. II. p. 145.

XV. *PUBLIUS.* Si Virgo est Sapientia, quomodo Leo? si mitis est & casta, quomodo vindictam meditatur? *TULLIUS.* Sancta quidem est, &

& mansueta ad omnes, virginisque more blandientis omnem indomitum hominis affectum suaviter mitigat. Si porrò eam læseris, pondere te opprimit veritatis, quæ Solis occidui instar quotidie illustrior surgit, ac liberat omnes, qui eam sectantur, & possident. Leonis in modum irrugit sapiens adversùm stultitiam: non frangitur metu, non quatitur minîs, non damnìs, non injuriìs à vero abducitur. Porrò veritatem, quæ premi quidem, non opprimi potest, ea rerum misera tempestate, dum S*ol* necdum *oriretur ex alto*, cùm lumine fidei Mundus careret, *noxque* idololatriæ *in cursu suo adhuc medium iter perageret*, quis alius, nisi Poëtæ veteres, Comici illi ac Tragici in Scenam deduxêre? Hinc Fauni, Satyri, Sphinges, foris aliud, aliud intùs referentes, Palladis galeam ornârunt, tanquam veritas larvâ mendacii interim convestita, usquedum *Omnipotens sermo de regalibus sedibus veniens* Mundo palàm loqueretur.

Tu specimen hujus, Optime Publi, hic cape ex uno *Philemone*, Damonis filio, Comico Græco, in Cilicia Pompejopoli oriundo aut ipsis Syracusis: qui cùm apud neminem veritatem dissimulâsset, plurimorum in se odia concitavit. Hujus fragmentum admodùm nobile exstat apud *Henric.* S*tephanum* cæteras inter industriè à se collectas Comicorum Græcorum sententias, Græcum quidem, prout ex Autographo hauserat, sed & Latinè transpositum & insuper prolixum, cujus ego posteriores duntaxat hìc versus recenseo: XVI.

Philem. apud Henr. Stephani p. 377.

Te namque cernit, adstat qui tibi DEUS,
Qui justa facta, non iniqua amplectitur,
Et comparare quemque vitæ commoda
Suo labore, terram arandô, non vetat.
Cole æquitatem, victimam gratam DEO.
Magisque corde, quàm chlamyde sis splendidus.
Non ad tonitrui fugeris unquam sonum,
Si nullius sis conscius tibi mali.

PUBLIUS. Amplius certè aliquid à Christiano nemo desideret, præterquam ut, quod ore eloquitur, etiam opere strenuè atque fideliter compleat.

TULLIUS. Ignorantiæ autem typum fuisse S*phingem* apud aliquos, refert *Cebes*, Philosophus Thebanus, in Dialogo, quem *Tabulam* inscripsit, parique XVII.

parique in numero cum Faunis & Satyris collocatam esse in galeâ Minervæ, ut hoc pacto sapientia vera virtutes fucatas publico duceret in triumpho. Quamplurima namque quotidiana vitæ inter homines vitia virtutum no-
Cicerô c. 23. Partit. Orat. mine venditari sat superque *Cicero* agnovit: cujus ex mente *Prudentiam malitia, & Temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & Magnitudinem animi superbia in animis extollendis, & despicientia in contemnendis honoribus, & Liberalitatem effusio, & Fortitudinem audacia imitatur, & Patientiam duritia immanis, & Justitiam acerbitas, & Religionem superstitio, & Lenitatem mollitia animi, & Verecundiam timiditas, & illam disputandi Prudentiam concertatio captatioque verborum, & Oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi.* Hæc Tul-
S. Chrysost. Homil 48. in Act. Apost. lii verba tanti habuit Orator aureus Antiochenus, ut in eadem prolixè alicubi commentaretur. Vide sis hìc *Sphingem* inanem, quæ virginem, volucrem, leonem, cùm nihil horum sit, turpiter mentitur: Ignorantiam ergò æquè ac sapientiam notat. *PUBLIUS.* O dives Laconicæ Quiritum Sapientiæ vena & scatebra Numulus unicus! quanta exinde documenta tu eruisti sanè salubria: confide, non indocili locutus es.



DIALOGUS XII.

De Numis L. Cottæ, & L. Cestii ac C. Norbani.

TULLIUS.

I. *Tab. III. Num. VII.* UTcunque in luce ponere hactenus licuit Numos anteriores: sed Numum VII. atque VIII. Tabulæ III. ad quos rectus jam ordo vertit, ipsi Magistri mei, quos mihi inspicere licet, obscuros sibi fatentur. *PUBLIUS.* Ni vanus me ludat Apollo, Numi VII. *Adversa* Vulcanum barbatum sistit ad usque scapulas: quod mihi cùm vitta illius suadet laurô inclita, qualem supra priore in Numo *T. Carisii* notam Vulcani dixisti, tùm forceps atra à tergo adsignata, obscurum

rum fabrorum sceptrum. *TULLIUS*. Benè hariolaris: sic namque jocatur *Arrianus: Ne Vulcanum quidem præclarum fabrum judices, nisi pileolum capiti ejus impositum videas.* Principiò verò animadvertas velim, à *Gyraldo* ex *Cicerone* quatuor Vulcanos enumeratos esse, horumque primum cœlô natum, cultúmque Athenîs, quod pater Apollinis sit creditus: è Nilo exortum alterum, quem Opam aut sui, custodem olim Ægyptii dixêre: tertium Junone sola sinéque patre genitum, vulgatum Lemniorum Patrem: postremum tandem filium Mænalii. Nobis de tertio missîs cæterîs nonnullus hic sermo erit, quem interim hoc Numo depictum reor.

Arrian. ad Enchirid. Epictet. L. IV. c. 8. Gyrald. Syntagm. Deor. L. XIII. p. 413.

II. *PUBLIUS*. Fæcunda sanè vatum lascivia, qui, ceu Minervam sine matre de solo Jovis cerebro exîsse finxerant, sic pariter Vulcanum Junonis solius filium, & sine patre commenti sunt. *TULLIUS*. Quid illi difficile ingenio, cui, quidquid demum libet, licet? Sunt tamen, quæ in utraque prole, si apud Mythologos inquiras, latitant mysteria. Teste etenim *Phornutio*, veteres cerebrum sedem prudentiæ omnis, & Sapientiæ gubernatricis existimabant: cùm proinde Jupiter omnipotens, eorum deliriô, orbi toti per Sapientiam moderaretur, Minervam Artium omnium Præsidem *Deam Capitam*, i. e. solo Jovis cerebrô genitam confinxêre. Ne porrò Junoni Reginæ hoc pacto injurii essent, illi quoque filium sinè patre Vulcanum tribuerunt, siquidem ignis æthereus, fulgura æque ac fulmina, non aliunde, nisi ex ætheris vastissimo sinu, mediante tonitru, subito cum fragore erumpunt. Juno porrò quid aliud nisi æther, Vulcanus quid nisi ignis antiquis est visus? *PUBLIUS*. Non injucunda sunt ista, nec sine acumine: sed quamobrem Lemnium patrem Vulcanum dixisti?

Phornut. Myth. c. 19. apud Pitisc. voce: Minerva.

III. *TULLIUS*. Nullibi legisti, Vulcanum ut maximè deformem Junonis filium, à Jove irato, cœlô præcipitatum, inque terras dejectum esse? *PUBLIUS*. Nimirum, ut fulmen nubibûs excussum trementem terram concutit. *TULLIUS*. Sic lapsum in terram suam Lemnii, & jam effracto crure claudum Vulcanum parvulum levarunt piè, & educârunt. Adultus sub Æthnæ montis profunda specu Cyclopibus est junctus, suámque Jovi industriam tum maximè probavit, cùm ei contra Gygantum terribiles assultus trisulca flumina cudisset. Tum factus est ignipotens, Præsésque fabrorum constitutus, eúmque Lemnii patrium abinde Deum adlegerunt. Ne verò crudô duntaxat ferrô eundem fabricâsse autumes, *Homero* teste, Vulcanus Achilli galeam fecit fortem, temporibus aptatam,

Homer. Iliad. Σ & T.

O pul-

pulchram, variegatam, *supraque auream cristam posuit, quæ ut stella lucebat*: sed & circùm *jubæ aureæ* vibrabant. Recenset quoque *Hyginus*, eundem & Ariadnæ quoque *stellantem ex auro gemmisque Indicis coronam* malleo artifice parâsse. Quin ipsum audi, cùm Venus conjunx, pro filio Æenea plurimùm & anxiè sollicita, sic eum affata esset:

Hygin. Poët. Astronom. L. II. c. 5.

> Ergò eadem supplex venio, & sanctum mihi numen
> Arma rogo Genitrix nato:

dilectæ conthorali suæ hunc in modum liberalissimè annuentem, conscio *Marone*:

Virg. Æneid. VIII.

> Quidquid in arte mea possum promittere curæ,
> Quod fieri ferrô, liquidôvé potestur electrô,
> Quantum ignes, animæque valent, absiste precandô
> Viribûs indubitare tuis.

Qualiter deinde fidem apud conjugem liberârit, sic Poëta prosequitur, multîs equidem interjectîs, loquens de Ænea:

Id. ibid.

> Ille Deæ donîs, & tanto lætus honore
> Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
> Miratúrque, interque manus & brachia versat
> Terribilem cristîs galeam, flammasque vomentem &c.
> Tum læveis ocreas, electrô aurôque recocto,
> Hastamque, & clypei non enarrabile textum.
> Illic res Italas, Romanorúmque triumphos
> Haud vatum ignarus venturique inscius ævi
> Fecerat ignipotens &c.

IV. *PUBLIUS.* Oppidò tu mihi Vulcanum commendas: nec miror, eundem Quiritibus in cætero Deorum numero haud postremum fuisse, cùm tanti utique fabri, fortissimîs armîs tot Æneas triumphos messuerit, Urbisque, Orbis totius postea Dominæ, fundamina hoc demum chalybe jecerit. Ast verò stella post caput ejus, & litera B. ante eum posita quid innuere volunt? *TULLIUS.* Ipsi hic mihi Oedipus deest: quemadmodum & si

si quæras, quid Aquila *Aversæ* suo sibi cum fulmine velit. Stellam quod attinet, præeunte eam pinxi *Patino*, quamquam typus tuus, quem à me habes, obscuram omninò habeat notam, quam æquè X. literam numeralem credere possis, denarii signum. Sin libet, donec certiora tibi quis suggerat, cùm causam non possis, colorem petitum è fabula repone quærenti, dicque stellam Veneris esse, Aquilam Jovis, hacque ratione hoc in Numo merita Vulcani gemino symbolo celebrari, quæ ille cùm apud Jovem posuit, fulmen ei cudendô, cujus Aquila ministra est, tum apud Romam, Veneris interventu arma Æneæ à Turno insuperabilia fabricandô. B. litera *Brontis* nomen tibi interim innuere possit, quod erat uni Cyclopum, hìc fortè Vulcano ipsi adpositum. Hæc tamen, credas nolim, me ex animo loqui: in ænigmate equidem Oedipum esse omnibus licet, uni tantùm contingit.

PUBLIUS. Supersunt utraque in facie Numi laurea, ut arbitror, serta, & *Legenda* obscura: L. COT, *TULLIUS.* Postremam apud *Patinum* sub pedibus Aquilæ pleniorem lego: *Lucius.* COTTA. Ast geminæ lauri rationem ægrè disquiro: quamquam mos in Numis Familiarum passim obtineat, ut laurô coronati, eorum, à quibus, vel pro quibûs cusi sunt, relatas aliquando victorias celebrent. *Cottarum* familia ad Gentem *Aureliam* pertinet, quam *Anton. Augustinus* priùs à Sole *Auseliam* dictam, origine Sabinam, plebeiam præterea, & tribûs cognominibûs, *Cottarum*, *Orestarum*, & *Scaurorum*, distinctam percenset. *Cotta* ab An. Urb. D. ad usque DCC. septem Consulatibûs functi scribuntur, duóque ex illis Censores, Magister Equitum unus fuit, unus triumphum egit, alteri decretus est. Primus *Cajus Cotta* Consulatum iterum iniit cum Publio Servilio Gemino; solus verò de Pœnis, & Siculis triumphavit An. Urb. DI. Alteri *Cajo Aurelio Cottæ*, itidem Consuli cum Lucio Octavio, Triumphus decretus fuit: at verò ex cicatrice rescissa ante paratam sibi gloriam fatis concessit. Illustr. *Spanhemius* insuper *Marcum Aurelium Cottam* commemorat Virum æquè Consularem, à quo Heraclea, Ponti Urbs nobilissima capta atque direpta sit, *Pontici* cognomine eidem eapropter à Senatu decreto. Hic tamen infelicior cæteris, paulò post de nimia direptionis crudelitate accusatus, exilium ægrè evasit, Senatorii verò Ordinis Insignia perdidit. *Lucius* porro *Cotta* in Numo descriptus Consul factus est cum L. Manlio Torquato, An. Urb. DCLXXXVIII. postea Censor effectus. Lauros hic Numo suo intulisse, immò & Vulcanum mihi videtur ob triumphum de Siculis, quem C. Cotta, Consulum familiæ suæ primus, ut audieras, egit. Vulcani namque præcipua sanè

V.

Ant. August. de Famil. apud Patin. p. 328.

Spanh. T. II. Diss. X. p. 16.

officina erat Æthna, Siciliæ mons, jugiter sulphur & flammas eructans: unde facilè mihi persuadeo, Lemnium patrem, sed & Siculum Deum in hac moneta Victoriæ testem adstare. An ex tripode loquar, viderit demum, qui volet.

VI. *Tab. III. Num. VIII. Ursin. apud Pat p. 71. Ibid. 50 p. Claud. L. II. de Laud. Stilicon. v. 256.*

PUBLIUS. Quàm verò lepida est Numi VIII. *Adversa?* quam bellè elephantinum caput curva cum proboscide vultum Virginis alioquin non inelegantis adornat? *TULLIUS.* Hoc unum *Ursinus* me docet, sic Africam in Numis depingi; qualem & redhibet alia apud eundem Quinti Metelli Gentis Cæciliæ moneta: unde & *Claudianus* Poëta sic alicubi cecinit:

Tum spicîs, & dente comas insignis eburno,
Et calido rubicunda die sic Africa fatur.

Calidissima namque Africæ Regio est, propter nimios Syrii furores magna sui parte deserta, simulque ferarum, & elephantum, quorum dentes eburnei, feracissima. Quid porrò *Cestio*, cujus præsens est denarius, negotii cum Africa intervenerit, ignorat *Ursinus* sæpè laudatus. Commemorat deinde hunc Numum & *Gotha Numaria*, eúmque in *Thesauro Fridericiano* aureum existere prædicat: verumtamen nec pingit eundem, nec quidquam illius exponit. *PUBLIUS.* Facilè equidem mihi persuadeo, tam remotam à nobis Quiritum historiam, tot sæculorum interea præterlapsorum injuriis vexatam, ex integro restitui à nemine posse. *TULLIUS.* Oportet certè, ut ampliora deinceps monumenta in lucem eruantur, si res Romanas apud nos integras velit fortuna. *Aversa* hujus Numi haud paulò clariora demonstrat: refert námque Sellam curulem, non nisi supremis Magistratibus, Consulibus nempè, Prætoribus, Ædilibus equestribus primùm; tandem & plebeis Dictatori, Pontifici Maximo concessam. Reclinis illa non erat, pedi quadruplici in forma X. literæ innixa, hoc pacto, ut explicari facilè, ac iterum complicari posset. Pedes aut ex toto eburnei erant, aut ebore cælati, sæpè & aurô fulgentes, formámque animalem referebant. Quoniam verò hæc Sella currui frequenter imposita fuit, inde ei Curulis nomen accessit.

Goth. Num. C. II. p. 28.

VII. *PUBLIUS.* An nomina supra & infra Sellam curulem descripta, nimirum C*ajus.* CESTIUS. & C*ajus.* NORBA*nus.* unius, an diversæ familiæ nomina credam? *TULLIUS.* Sunt utique diversæ, & *Cestia* quidem Gens legitur inter familias Romanas plebeias: *Norbana*, si rectè

doceat

doceat Eruditiss. *Liebe*, haud alia, quàm Gens *Junia* fuit: quæ cùm amplissima esset, lapsu temporis cognomen *Norbanorum* in locum nominis gentilis successit, *Juniæ* appellatione ferè intereunte. *PUBLIUS*. Quid porrò penès Sellam à dextris quidem literæ S. C. ad lævam PR. conjunctæ, nullôque punctô divisæ designant? *TULLIUS*. S. C. legendum: S*enatûs. Consultô*. (subaudi Numus percussus) PR. P*ratores* legendum, unde constat, quo pacto *Cestius* atque *Norbanus* Sellam curulem meruerint. Galea demum Sellæ imposita suspicionem mihi ingerit, vel *Cestium*, vel *Norbanum*, aut fortean utrumque, Legatos aliquando in Africa fuisse, quod idem est, ac supremos Legionis cujusdam Præfectos: quæ fortè & causa esse queat Africæ in *Adversæ* signatæ. Nisi omninò vel uter eorum, vel ambo in Africam, quæ extra Proconsularem, in qua erat Carthago, quinque alias adhuc in provincias tributa est, missi sint, ibique Præturam, & militare quoque Imperium exercuerint. Quemadmodum & Illustr. *Spanhemius* arguit de Numo cujusdam cæterà ignoti *L. Furii Brocchi*, in quo Cereris caput in *Adversa*, Sella curulis in Aversa comparet, eundem ad aliquam provinciam frugibûs feracem, Africam nimirum, vel Siciliam Prætorio munere regendam dimissum fuisse. Cæterùm de *C. Norbano* perhibet insuper *Liebe*, eundem An. Urb. vel DCLXIII. aut DCLXII. Ædilem exstitisse, ac tertiô postmodùm anno cum *Cestio* Prætorem. *Spanh. T II. Diss X p. 111.*

PUBLIUS. Amarem te plurimùm, Venerande Tulli, si de Ædilibus, atque Prætoribus nonnulla hoc loco disserere velles: quorum utrorumque tam frequens apud Scriptores Romanos mentio incidit. *TULLIUS*. Breviter tibi faciam satis. *Ædiles* ab *Ædibus* dicti sunt: qui demum, & quamobrem fuerint, disce ex *Cicerone* ita scribente: *Sunto Ædiles Curatores Urbis, Annonæ, Ludorumque: ollisque* (i. e. illis) *ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto*. Assumti sunt primùm ex plebe, cùm ex eadem Tribuni fieri inciperent An. Urb. CCLX. quorum postremorum illi veluti Scribæ constituti sunt. Præcipuè curam ludorum, quibûs Populus recreari jugiter voluit, gessêre: qui cùm suìs sumtibûs fieri, magnifici præterea, ac sæpe triduani esse debebant, grave admodùm Ædilibus plebeis accidit suo munere fungi. Mox ergò nobilium quidam juvenum sese ad ludos faciendos obtulêre: quod cùm eximiè præstarent, & ipsi Ædiles dicti sunt, & quidem Curules, quoniam sanguinis Patritii erant, moxque plebeis prælati sunt. Seriùs quidem Ædiles annonam distribuere cœperant, non ante nimirum, ac Scipio ex Africa magna parte occupata quamplurima frumenta Romam unacum oleo transmitteret, teste

VIII. *Cicero de Leg. L. III. c. 3.* *Acerra nova Philolog. P. I. pag. 426. &c.*

Liv. Lib. XXXI. c. 4. & 50. teste *Livio*. Ex tunc verò triplicis generis *Ædiles* fuêre, *Plebei*, *Curules*, *Cereales*, à Cerere nimirum, seu annona compellati. *Curulium* potissimum erant Ludi: *Plebei* (quamquam & cæteri hoc factitabant) curaverunt ædes Deorum ac Templa, Domósque publicas Urbis, sive struendæ illæ forent, sive conservandæ, aut instaurandæ: fora munda servabant, ac merces venales, ut bonæ essent, sine fraude venderentur, pretiôque non nimio, attendebant, litesque cùm vendentium, tum ementium caverunt. Balneorum, quorum ingens Romæ copia & usus, Domuum quoque publicarum, potui, lusui, voluptatibus destinatarum, jus exercuêre: viæ ut integræ, utque liberæ essent transeuntibus, observabant: dabant edicta nonnulla civibus, lites dirimebant, corripuerunt inobedientes. Ludis porrò faciendis plerúmque exhausti sunt, quales erant Circenses, Scenici, Gladiatorii, Venationes, navalia subinde prælia, temporaria Theatra, Scenarum apparatus, peregrinorum & remotissimis è terris accersitorum animalium exhibitiones, usque adeò sumtuosi, ut, Spanh T. II. Diss X p. 150. annotante Illustr. *Spanhemio*, temporibûs Augusti ob imparem censum Senatores Ædilitatem petere nollent, atque non raro adacti sint, qui Quæstores, aut Tribuni plebis fuerunt, ut Ædilitatem susciperent, ac Oppio cuidam plebs stipem contulerit ad sumtus Ludorum sustinendos, teste *Dione*. Postremò Augustus Imp. omnium Ludorum curam, Ædilibus ademtam, in Prætores transtulit, stipe plebis eis decreta, nimiáque sumtuum profusione inhibita.

IX. *Prætores* Ædilibûs multò potiores, seriùs tamen cœpêre: quamquam *Festus* alicubi dicat: *Initio Prætores erant, qui nunc Consules:* &, teste *Plinio*, Consules in Lege XII. Tabularum etiam Prætores appellati sunt. Causa creandi *Prætoris* erat, (id quod accidit An. Urb. CCCLXXXVII.) tum, quòd Consules sæpè numerò bellorum causâ ab Urbe abesse contigerit: tum etiam, quòd Patritiorum auctoritas atque potentia haud pa- Acerr. Phil. P. I. p. 706. &c. rùm imminuta videretur, postquam Plebis importunitate Consulum alter plebeius evaserat. Quare, ne, Consule absente, Urbis judicia negligerentur, alioque ut eminendi genere Patricius Ordo plebem antecelleret, Prætor *Urbanus* ex Ordine Equestri, adjecta eidem auctoritate & potestate maxima, creatus est. Non longè tamen pòst instante denuò Plebe, etiam Prætor plebanus, *peregrinus* dictus, Urbano & equestri sociatus est, præ quo tamen Urbanus præeminuit. Ut verò Quirites Provincias exteras plures obtinuêre, unicuique earum suos quoque Prætores constituerunt: qui jam plures, jam pauciores erant numerô. Sub Augusto sedecim exstitêre: quorum tamen deinde quatuor ipse iterum abrogavit. Tiberius

Imp. referente *Tacito*, & ipse *Candidatos Præturæ duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum, & ,hortante Senatu, ut augeret, jurejurando obstrinxit, se non excessurum.* Nihilominus eum sponte postea jurijurando suo contraivisse *Dio* commemorat. Valentiniani porrò & Martiani Impp. edictô tres tantùm Urbis Prætores decreti sunt: cui exiguo numerô cæteri Impp. perpetuò ferè acquieverunt. *Tacit.* L. I. *Annal.* c. 14. *Dio* L. LVIII. L. II. *Cod. de Offic. Præt.*

X. Quantæ porrò exstiterint Authoritatis, vel ex eo liquet, quòd *Ciceronis* testimoniô ob muneris præcellentiam, quemadmodum Consulares, ita & Prætoriæ familiæ præ cæteris Equestribus peculiariter censerentur. *Hic Familiâ Consulari est*, inquit ille, *iste Prætoriâ: reliquos video esse ex Equestri loco.* Prætores Collegæ Consulum dici meruerunt, splendidos pariter Fasces adepti, præsertim cùm alias ad provincias administrandas mitterentur, minori tamen, quàm Consules, numerô: his enim duodecim; Prætoribus sex tantum fasces præferri solebant. An verò & securibûs gloriati sint, multùm disputat Illustr. *Spanhemius*, nec non de usu & numero Fascium. Tibi, Publi lectissime, nôsse sufficiat, Prætorum fuisse, causas civiles discutere, vicem gerere Consulum absentium, eorúmque locò etiam Senatum convocare. Habebant *edicendi, supplendi, corrigendique* juris potestatem: quam exercuêre vel *dandô*, Judices nimirum, Arbitros, & Jurium subinde violatorum recuperatores: aut *dicendô*, dies decretorios, jus ac sententias; sive demum *addicendô* libertatem, hæreditatem, possessionem, bona. Jura dubia interpretabantur, depravata in integrum restituebant. Ab Augusto, ut supra jam dictum, Ludorum faciendorum curam accepere, alias verò ludos Circenses direxerunt, eorúmque inchoandorum signum, *missâ mappâ*, i. e. projectô in altum strophiolô, festivùm acclamante omni populo dederunt. *Cicero pro Plancio c. 6.* *Spanh.* T. *II. Differt. X. p.* .04. &c.

XI. *PUBLIUS.* Ingens est Romanæ rei pleniùs pernoscendæ voluptas, sed & utilitas, immò & necessitas multò maxima apud omnes eos, quicunque solidam curant rei veteris eruditionem: quo pacto namque, qui hæc ignorat, Scriptores veteres, phrasi Urbis perpetuò loquentes, dexterè assequi poterit? Incidi nuper in locum *Suetonii* de Nerone, qui sic habebat: *Universorum oculis in Circo maximo se præbuit, aliquo liberto mittente mappam.* Quod verò ille, ut primùm ex te didici, de signo ludorum inchoandorum per *mappam missam*, seu strophium projectum, edito dixit, ego de mensa magna per libertum instrata lepidus accipiebam. Illud porrò *Ovidii* assequi omninò non poteram: *Sueton. in Neron.*

Con-

Ovid. de Pont. L. IV. El. V. v. 18.

Conſpicuum ſignîs cùm petit altus ebur.

Nunc verò à te paulò ſuperiùs de Sella curuli inſtructus facilè intelligo, Synecdochen Naſonis, qui partem pro toto accipiens, pedes eburneos, aut ebore ſaltem cælatos pro Sella ipſi curuli accipere voluit: quin ne pedes quidem dixit, ſed ebur, cauſam materialem effectus ipſius loco ſubſtituens. Altus verò addidit, ad officii vel Ædilis vel Prætorii, aut omninò Conſularis, cui Sella curulis indulta erat, ſublimitatem innuendam. *TULLIUS.* Gnaviter & acutè, ut video, verba premis, ſenſumque aſſequeris: perge, quo cœpiſti, pede, & inter multos Sodales tuos magnus eris Apollo. Fruſtra certè Latii ſermonis quærit facultatem apud aureæ etiam ætatis Scriptores, quotusquisque in verba eorum propè ſingula penetrare non ſtudet. Canit alicubi *Ovidius* de diebus nefaſtis, & faſtis:

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Hæc tu, optime Publi, quomodo exponis? *PUBLIUS.* *Tria* ego *verba* exiſtimo illa, quæ tu ſupra de Prætore expoſueras, inquiens, eum jus ſuum exercuiſſe *dandô*, *dicendô*, *addicendô*: ut adeò dies *nefaſti* forent, in quibus Prætor in jus vocare, aut ad lege agendum accerſere neminem potuit; illi econtra *faſti*, in quibus fas erat, Prætorem implorare, ab eóque, vel ut Judicem *daret* liti dirimendæ, vel ut ſententiam ipſe *diceret*; vel ut *addiceret* bona, poſtulare. *TULLIUS.* Eximiè prorſus: quòd ſi verò nihil horum agnoviſſes, quis quæſo apud te lepor elegantiſſimo huic carmini foret? Apolline itaque prorſus irato eſt natus, qui rem antiquam ex aſſe veſtigare faſtidit. Sapere in his velle cuique liberum eſt: ſed eruditum ſe arbitrari, immò jactare, cùm nihil ſapiat horum, verè inſolens eſt.



DIA-

DIALOGUS XIII.

De Numis C. Clovii, & Lentuli Marcellini.

PUBLIUS.

QUoties hucusque tam dulci me tuô colloquiô beâsti, Veneran- I.
de Tulli, divitem me rerum variarum non pœnitenda cognitione reddideras: tantúmque abest, àut animum tuum à suggerenda mihi uberrima doctrina, aut meum à maxima discendi contentione refugere, ut potiùs te Pallas in dies singulos disertum magis, me animîs & auribûs præstet attentiorem. Totus, ecce, jam denuò ardeo, ultimos *Tabulæ tuæ III.* Numos pervadere, curiosô non mimùs ac cæteros, ut arbitror, oculô dignos. Semper in Numis novi aliquid oculos pascit, ingenium allicit: ubique Ilias quædam in nuce concluditur, quæ, dum perfracto dexterè cortice evolvitur, multimoda varietate suavissimè animum afficit. *TULLIUS.* Habent hoc Numi præ libris elogium, quòd, dum animum excitant, etiam oculos recreent, quos scripta plerúmque fatigant: tantúmque elegans moneta historiam, quantùm acta præ oculis Comœdia scriptos dialogos, superat. Sapientia, quæ symbolis involvitur, doctè tandem evoluta non secùs, ac matrem multo cum dolore in lucem edita proles, lætificat. Dulce est, aliorum ingeniô frui; ast suô proficere, assequi antiqua, nova eniti longè jucundissimum.

PUBLIUS. Agedum itaque, Numique IX. quem æreum ac me- II.
dium teneo, *Adversam* mihi rursum, ut soles, ubertim expone. Quæ *Tab. III.*
mulier ibi alata, crinibûs eleganter religata se sistit? *TULLIUS.* An *Num. IX.*
necdum ex alis alitem noscis? Si masculum volucrem cernis, Mercurium reputa: dum fæminam, crede Victoriam. *PUBLIUS.* Sic lapsum non parùm me pudet: quo etenim pacto suas consecuta sit alas Victoria, jam mihi *Dialogo III.*, ubi de Numis *Demetrii*, haud obscurè edixeras.

TULLIUS. Crebrò deinde tuis in Numis Victoria alas expandet, ut adeò nullo eam negotiô noscas. Sed nonnè Victorem etiam cupis? consule *Legendam.* *PUBLIUS.* Sic habet, ni lubricum denuò fixerim pedem: CÆSAR. DIC*tator.* TER*tiùm.* *TULLIUS.* Optime singula: quem porrò *Cæsarem* laudari hìc putas? *PUBLIUS.* Divum utique *Julium:* neque enim, quem iste in nomen genúsque suum adoptaverat, *Octavium Cæsarem Augustum* aliquando Dictatorem fuisse abs te hactenus inaudiî. *TULLIUS.* Optimè sapis: mearum verò partium erit, quid rei, quid nominis *Dictator*, hoc apud te loco minimè dissimulare.

III. Quo is tempore cœperit Romæ, tutò edicere Scriptorum non sinit contentio: munere interim ferè regio erat. Ortum eidem Lex Valerii Poblicolæ Consulis dedit, qui plebis in gratiam Magistratibus Secures è Fascibus, atque adeò jus vitæ & necis subduxit, liberúmque omnibus in periculo capitis versantibus fecit, à Consulibus ad Populum provocare, hujusque sententiâ se contra Magistratum tueri. Quoniam proinde jus summum vagari perpetuò non posset, & fluctuare, sed uni tandem competere debebat, natus est *Dictator.* Hunc talem eligere solitum erat, quoties Consules ab Urbe abesse contigerat, ut Comitia interim dirigeret: vel si Consulum alteruter pertinaciùs obniteretur Senatui, ut sua eundem authoritate ad officium redigeret: præterea cùm instantibûs ludîs deficeret Prætor, ut eis præsideret: aut quæstionum exercendarum causâ, cùm de bello vel pace acriùs consultaretur: maximè verò rei gerendæ causâ, cùm belli aleam Consulibus committere tutum non esset, ut apud Exercitus imperium cum virtute & animo gereret. E re certè Quiritum id plurimùm erat, bella Dictatoribûs gerere, non Consulibûs: hi etenim postremi, quia diuturniores fuêre officiô, moram frequenter ex mora, suô utique commodô, nectebant: illi verò, muneris sui brevitate constricti, aleam quàm optimè juxta atque citissimè jacere unicè contenderunt.

Acerr. nov. Philol. à p. 560.

IV. *Dictatorem* porrò, si jure negotium ageretur, Consul *dicebat*, i. e. nominabat, & hoc quidem, *Livio* teste, *certîs*, seu bonîs dextrîsque *auspiciîs*, *nocte silente*, *& clara voce*, ut Romani per omnia superstitiosissimi fuêre: huic deinde & ipse, qui creaverat, ac cæteri omnes Magistratus, Patritii, & Plebes, obaudire ceu Regi debebant. Ne tamen supremo hoc munere abuteretur quisquam, semestrî tantùm illud gerebat: Urbe, vel saltem Italiâ excedere eidem interdictum, ut ne res

Liv. L. IX. c. 38.

Rei-

Reipublicæ noxias moliri posset: equum insuper conscendere, atque Exercitus equestres ducere prohibitus est, quod Magistro Equitum Dictatoris Collegæ decretum. *Sulla* verò, & *Jul. Cæsar* Dictaturâ non è lege, sed arbitrio usi sunt, eo quidem tempore, quo magistratus hic Romæ jam ferè exoleverat: uterque enim perpetuum sibi hoc munus vi summa arrogaverat. Et *Cæsar* quidem *Dictatorem primùm* fieri se voluit An. Urb. DCCIV. more solito semestrem: *iterùm*, & annuus dici debuit An. Urb. DCCV. *tertium*, & in decennium An. Urb. DCC.VII. Ultimò tandem perpetuúsque evasit An. Urb. DCCVIII. quemadmodum annos ejusdem *Goltzius* subduxit. Exinde Nomen, munúsque Dictatoris à Sulla & Cæsare usque adeò præter morem legemque gestum, quotquot amabant Rempublicam, execrabantur.

Goltz. Part. Fast. vit Cæs subnexa.

V.

PUBLIUS. Jam porrò, si libet, *Aversam* intueamur, in qua Palladem mihi videre videor: id enim galea suadet & thorax, & in ægide anguibus horrens Medusa, draco insuper ante pedes Minervæ fastu ingenti se tollens, ac Palladi sacer. *TULLIUS*. Ex tripode loqueris: cur verò arma, quæ humeris gestat, dissimulas? *PUBLIUS*. Ad ea etenim hæreo. *TULLIUS*. Tropæum illa sunt, seu spolia nuper ex hoste relata, ut novæ cujusdam victoriæ, à Cæsare nuper obtentæ, dilucidam vadem Minerva se sistat. Latiùs porrò de Tropæo disserere alterius loci erit: tu *Legendam* recense. *PUBLIUS*. Neque hìc quidem audeo. *TULLIUS*. Sic eam accipito: C*aji*. CLOVI*i*. PRÆF*ecti*. (subaudi Moneta.) Gens *Clovia*, incertum, Plebeiáne fuerit, an Patricia: ejus tamen veteribus in lapidibus frequentem esse memoriam *Ursinus* commemorat. De *C. Clovio* verò hìc laudato id demum constat, *Puteolanum* eum, & *Equitem Romanum ornatissimum* à *Cicerone* appellatum. *Catalogus* præterea *Gothanus* de eo ex *Dione* animadvertit, Cæsari primùm eundem in Gallia operam suam addixisse: postea cùm ille in Hispaniam contra liberos Pompeii procederet, inter sex Urbis Præfectos Romæ constitutos cooptatum esse: qui proinde relatam ab hostibus in Hispania Cæsaris victoriam æternæ posterorum memoriæ, suæque non minùs gloriæ consecrârit.

Ursin. apud Pat. de fam. p. 76.
Cic. Orat. pro Q. ·osc.
Catal Gothan. p. 14.
Dio Cass. L. XLIII.

IV.

PUBLIUS. Eccur non magis libuit *Clovio*, ipsius Cæsaris caput, quàm Victoriæ pingere? Cur tropæum hostile Pallas magis, quàm ipse Victor in humeris gestat? *TULLIUS*. Debuit ambitio religione velari: sed & gloriæ erat multò amplioris, propitias & auspices Deas jactare. Sed lego ex oculis tuis, quid aveas: *Urbis Præfectus* quis fuerit, ex me nunc audire, ut verè antiquæ rei curiosissimus es, totus anhelas.

 PUB-

PUBLIUS. Animum certè apud me ex integro pervides. *TULLIUS.* Primùm itaque *Tacitum* audi dicentem. *Profectis domô Regibûs, ne Urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet: durátque simulacrum, quoties ob ferias Latinas proficiscitur, qui Consulare munus usurpat.* *PUBLIUS.* Obscura sanè sunt ista, &, quid me iis docere velis, haud equidem capio. *TULLIUS.* Plana ea reddamus.

Tacit. Annal. L. VI. c. 11.

VII. Primùm quidem liquet hoc teste, *Præfectum Urbis* jam ipsis sub Regibus cœpisse, ideóque eundem ad tempus electum fuisse, ut Urbis imperium teneret, jus diceret, & Consulis munus perageret. Clarius ista *Livius* edicit, dum infit: *Tarquinius in castra profectus, imperium in Urbe Lucretio, Præfecto Urbis, jam antè à se instituto, reliquit.* Exactis porrò regibûs, Consulis tum imperantis absentiam, velut ante Regis, Urbis Præfectus supplebat, usquequo Prætoris officium ceperat: tum namque hic Imperium exercuit, nullúsque Urbi Præfectus amplius assignatus est, præterquam solo illo quatriduô, quo ferias Latinas Consul omnisque Magistratus in monte Albano actitabat. Hoc Sacrum quotannis mense Januario editum, *Latiare* vel *Latiale* aliàs dictum, *Jovi Latiali* taurô fiebat, tot in frusta secatô, quot fœderis sanciendi causâ aderant Urbium Latinarum Legati: unicuique namque eorum portio sua tributa est, atque hoc pacto, hacque Sacri communione fœdus consecrabant, festumque ipsum abinde *Sacramentum fœderis* audiit. Has porrò ad *Ferias Latinas*, ajebat *Tacitus* suprà, quoties profectus est Consul, & solemni processione Magistratus omnis, *simulacrum* seu Umbra Præfecti durabat, qui tum equestri ex juventute delectus, per quatriduum festi solo nomine claruit, authoritate potestatéque omni in Prætorem translata.

Liv. L. I. c. 59.

Acerr. Philol. P. I. ap. 421.

VIII. Sub *Julio* verò *Cæsare* antiqua *Præfecti Urbis* auctoritas velut è pulvere suscitata est: cùm namque in Pompeium hostiliter moveret, & Consules vel metu, vel odiô Julii Urbe excessissent, compulsus est Lepidum Urbis Præfectum creare, sex eidem, vel ut alii volunt, octo minoribûs Præfectîs eidem adjunctîs, quorum cùm operâ tum consiliô adjuvaretur. Ex horum tu numero fuisse *Clovium* puta. Placuit id munus etiam *Augusto*, sub quo *Urbis Præfecti* perpetui facti, omnem in hoc Magistratu, ni crimine exciderint, vitam insumsêre. At posteris denuò temporibûs in singulos annos alius Urbi Præfectus est datus. Ad curam ejus pertinuit, civiles causas quascunque peragere, ludos ordinare, nimia cam-

biorum

biorum fœnora inhibere, servos cum dominis componere, à curatoribus pupillorum rationes exposcere, Urbis quieti, paci, atque tranquillitati consulere, nocturnas grassationes, & diurnos plebis seditiosæ concursus dispellere: quam omnem ille potestatem summa tantáque authoritate, cui nemo refragari posset, non in Urbe modò, sed & in omni Italia exercebat. Fascibûs quoque, sella curuli, cæterisque supremi magistratus insignibûs usos fuisse *Præfectos Urbis* Illustr. *Spanhemius* animadvertit: qui & idem ex *Ulpiano* asserit, disertâ *Severi* Imp. epistolâ ad eos *omnium* omninò *criminum* tam in Urbe, quàm tota Italia *cognitionem* delatam esse: tandem à *Floriano* Imp. insuper statutum, ut *omnium Potestatum ac Dignitatum provocatio*, sive appellationes ab eis susciperentur. *Spanh. T. II. Diss X. pag. 113. & 19.*

PUBLIUS. Quantæ non artes Reipublicæ ritè constituendæ? quantîs non curis fortuna tentatur? quanta non hominum, rerum, ac temporum vicissitudo? Commonefaciunt horum omnium Numi, in quibus rectè exponendis tempora sanè, ut video, quàm optimè distinguenda sunt. Eant jam Rei Numariæ mastyges, remque omnem, cùm Numi curiosiùs versantur, quisquiliîs agi calumnientur: mihi verò omninò jam exploratum est, duce veteri Quiritum moneta erudite curata, intima Historiæ, Mythologiæ, atque Politicæ adyta reserari, ad quorum conspectum Rerum Antiquarum incuriosi ne eminùs quidem admittuntur. Numi ingenium acuunt, intellectum erudiunt, judicium firmant, memoriam figunt, prudentiam pariunt, utilem sibi, utilem cæteris, sobrium amatorem suum efficiunt. Verumtamen, Venerande Tulli, de X. & ultimo *Tabulæ III.* Numo quid hodie facimus? IX. *Tab. III. Num. X.*

TULLIUS. Breviter eum expedire adhuc hodie licebit. *Adversam* ejus, ut minimè ambigo, per se satis intelliges. *PUBLIUS.* Jovem in ea adstare existimo, quoniam nudus est Vir, laureatus atque barbatus, qui dextrâ extentâ fulmen trisulcum, lævâ Aquilam suam secum deportat. *TULLIUS.* Is demum ipsissimus est. An verò & *Legendam* hinc inde dispersam, literîs insuper nonnullîs contractîs exaratam, colligere poteris? *PUBLIUS.* Valdè equidem vereor. *TULLIUS.* Sic igitur redde: LENT*ulus.* MAR. *Marcellinus.* CONS*ul.* seu *Lentuli Marcellini Consulis.* Integrum illius nomen, ut describit *Ursinus*, fuerat: CN*eus.* LENT*ulus.* CORN*elius.* MARCELLINUS Consulatum gessit cum *Lucio Marcio Philippo* An. Urb. DCXCVII. Ortus erat è *Claudiæ* Gentis Familia, quæ dicta est *Marcellinorum*: deinde in X. *Ursin. apud Patin. de Fam. p. 87.*

Corneliam Gentem multò amplissimam atque celeberrimam adoptatus, *Cornelii* nomen assumsit.

XI. *PUBLIUS.* Quam verò rationem messoriæ falcis juxta Jovem conspicuæ reddis? *TULLIUS.* *Aversæ* ad typum eandem referas velim, in qua medio capiti humano tria conjungi crura animadvertis, cum quibus alterno ordine tres pariter spicæ fœcundæ se jactant. *PUBLIUS.* Lepidissimus sanè ordo struendi, & verè hieroglyphicus, cujus mysterium nullo pacto, etsi maximè cuperem, pervadere potui. *TULLIUS.* Hoc videlicet typo, ut Historiæ Siculæ sedulus conditor *Goltzius* infit, *Sicania* veteri nomine, hujate *Sicilia*, ab antiquis non incongruè depicta est: quæ mari Mediterraneo undique circumfusa, tribus, ut ajunt, Promontoriis, quasi totidem pedibûs, in fluctus excurrit, abinde *Trinacria* Græcis, Latinis olim *Triquetra* appellata. Quemadmodum namque Mediterraneum mare jam Asiæ, jam Africæ, jam Europæ classes ferre consuevit: ita Sicilia in omnes has partes protensa, communis quidam omnium navigantium atque percommodus portus evasit, sua insuper fertilitate aptissima, quæ commodum habitantibus domicilium præbeat.

Goltz. Sicil. magn. p. 1. &c.

XII. *PUBLIUS.* Quam verò tandem ob causam *Lentulus Marcellus*, Vir Consularis, *Siciliam* ære suo signavit? *TULLIUS.* Fecit id more *Claudiæ*, è qua ortus est, Gentis. Syracusas namque, celeberrimam olim *Siciliæ* Urbem, primò omnium è Romanis cepit *Marcus Marcellus* Claudius, quinquies Consul: qui primùm de Gallis Insubribus, & Germanis triumphavit An. Urb. DXXXI. Iterum deinde, & tertiùm de Syracusais An. Urb. DXLII. teste *Livio.* Ita autem expugnavit Syracusas, ut, arduus licèt Victor, & trienniô fermè artibûs Archimedis industriâ suâ frustratus, victis tamen parceret, Urbemque incolumem relinqueret. Quapropter, ut fidem *Cicero* facit, Syracusani *Marcellos* postea *Siciliæ Patronos* passim prædicabant, quin & *Festa Marcella* quotannis eorum honoribus ediderunt. Infit itaque laudatus Orator Romanus, ac si Numi hujus rationem ex condicto reddere vellet: *Scit Cajus Marcellus, & Cneus Lentulus Marcellinus, quorum fide atque præsidio Siculi maximè utuntur, quòd omninò Marcellorum nomini tota illa Provincia adjuncta sit.*

Liv. Lib. XXVI.

Cicerò O. IV. & V. in Verrem.

XIII. *PUBLIUS.* Jam de falce & spicis, quod quæram, non superest: facilè namque hæc symbola de Siciliæ fertilitate, quam supra edixeras, explico. *TULLIUS.* Non sibi solùm, sed & aliis fœcundissima illa Provin-

Provincia fuit, utpote quam *Cato* optimo sanè jure *Plebis Romanæ Nutricem*, *& Reipublicæ Cellam Penariam* prædicavit. *PUBLIUS*. An porrò etiam Jovis in *Adversa* signati ratio quæpiam tibi occurrit? *TULLIUS*. Hunc ut monetæ suæ inferret *Marcellinus*, reor interim, gloria fecit, quam & sibi & genti suæ supralaudatus *Marcus Marcellus* asseruit, & Nepos Familiæ suæ, traduce fama Numorum, omne in ævum apud omnes stabilire contendit. Etenim *Marcellus* primum de barbaris, ut antè audieras, Romæ agens triumphum, *Spolia* insuper *Opima*, quæ phrasis Quiritum, *Jovi Feretrio* dedicavit. *PUBLIUS*. Oro te, rem clariùs mihi edissere. *TULLIUS*. Semper quidem & ab omnibus victoribus hostium spolia maximi habita, & vel in tropæis constructa, vel in triumpho prælata, vel demum domi magnificè suspensa sunt: sola tamen *optima spolia* tanti à Quiritibus habita fuêre, ut ea Triumphator ipse humerìs suis, cùm quadrigîs inveheretur, deferret, & Capitolium subintrans, iisdem Jovem oneraret. Quæ porrò fuerint illa, ex *Livio* percipe scribente: *Ea ritè opima Spolia habentur, quæ Dux Duci detraxit: nec Ducem novimus, nisi cujus auspiciô bellum geritur.* Lex itaque erat eorum, ut Dux Exercitûs princeps & summus, non ab alio missus Imperatore, Ducem pariter summum hostilis exercitus per se ipsum aggrederetur, &, commissâ cum eo pugnâ superato, arma detraheret: quæ fortuna post *Romulum*, qui hac ratione *Acronem*, Cæcinensium Regem, expilavit, florente quidem Republica nemini contigit, præterquam *Cornelio Cosso*, Lartem Tolumnium, seu Volumnium, Vejentium Regem, sic opprimenti, deinde *Marco Marcello* Viridomarum, Gallorum Insubrium tyrannum, deprædanti, ut apud Illustr. *Spanhemium* lego.

Liv. Lib. IV. c. 20.

Spanh. T. II. Diss. X. p. 224.

XIV.

PUBLIUS. Nunc demum disertè me docuisti: verumtamen gratia tua, & summa in disserendo liberalitas prope impudentem me facit. Videsis namque, etsi diuturnus jam hodie sit dialogus noster, adhuc tamen aliquid reliquum est, de quo optimum in me animum tuum cum fiducia implorem. Mentionem nempè suprà ingesseras, *Marcum Marcellum*, cùm Syracusas obsideret, trienniô propè artibûs *Archimedis* industriâ suâ frustratum: quæ, obsecro, hæ artes fuêre? & quis *Archimedes*? cujus nomen percelebre haud infrequenter hîs auribûs hausi. *TULLIUS*. Placet ardor, quem affers discendi, ac sanè meretur, quem ultrò libenterque restinguam. *Archimedes* Civis erat Syracusanus, Mathesi tam insatiabilem operam navans, ut ne potus quidem cibusque ei supra esset, ad quem tandem capiendum ægrè, & vix demum importunô domesticorum imperiô adigi poterat. Machinas admirabiles struxit, ac inter eas globum

aliquan-

aliquando cryſtallinum, intra quem ſiderum cœleſtium annui curſus motusque pulcherrimè comparerent. Quondam balneô uſus, ibidem fabri aurarii fraudem diuturna tandem ſpeculatione aſſecutus, qui regiam coronam aurô minimô fabricârat, tantùm inde gaviſus eſt, ut nudus domum repetens, fora interim omnia perpetuo clamore compleret: *Invêni, invêni.* *Marco Marcello*, Conſule Romano, & Belli Punici Imperatore, Syracuſas maxima cum fortuna adoriente, Urbem ſuam hanc patriam Archimedes tam variis propugnaculîs, machinîsque ita munivit, ut *Marcellus* nihil omninò tormentis miſſilibûs, catapultisque proficere valens, victum ſe ejusdem ingeniô candidè profiteri minimè erubeſceret: ceſſans proinde hoſtili ab oppugnatione, arctiſſima duntaxat navium obſidione Urbem in littore incingeret. Sed & tum *Archimedes* prætoriam navim illius machinarum hidraulicarum ope ſupra fluctus levavit, reliquam claſſem Romanam cauſticîs vitrîs, quæ ſolem refringere ſolent, ſuccendit. Urbe tandem nihiloſecius capta, in tuguriolo ſuo quietiſſimus ad tabulas ſedit *Archimedes*, id unum militem obſecrans, qui ſtricto in eum gladiô irruerat, quisque eſſet cum furore quæſierat, ne lineas ſuas turbare vellet. Amuſum verò barbarúmque animal ad Minervam obſurduit, brutóque furore tantum artis prodigium in fruſta concidit, artifice ipſô per medium ſecto. Immanè quantum mors adeò indigna doluit *Marcello* Victori Romano, qui diſertè aliàs mandaverat militibus, ut *Archimedem* ſervarent: palàm proinde teſtatus eſt, plus ſe de jactura illius, ac de captis gaudere Syracuſis, triſtari. *PUBLIUS.* Non te pœniteat, Venerande Tulli, quam mihi in percenſendo *Archimede* locaveras, operæ: acria ille ſtudiis meis calcaria ſubdet. Verumtamen iniquiſſimum tanti artificis fatum nec deteſtari, neque lugere deſiſtam.

Goltz. Sicil. Magnæ p. 52.



DIA-

DIALOGUS XIV.

De Numis M. Herennii, L. Hostilii, & D. Silani.

TULLIUS.

TAndem ad *Quartam* gradum facimus *Tabellam*, cujus apud te plures sunt Numi, quàm Typi. *PUBLIUS.* I. eorum minutus argenteum quidem simulat: sed rupta hinc inde tenuis argenti lamina, aut folium potiùs, æs latitans subtus perspicuè prodit. *TULLIUS.* Hujusmodi Numos vulgò *subæratos* dicunt, suntque occulti cujusdam nefastique percussoris sacrilegus quidam abortus, turpis lucri gratiâ, in fraudem dolumque Reipublicæ, ad ideam veræ probatæque monetæ conficti. Velim tamen, Doctiss. credas *Joberto*, asserenti, *Subæratos* Numos præ cæteris integris magis indubitatæ esse Antiquitatis, cùm operæ pretium minimè fuisset, adulterare monetas tum non currentes: immò & raritatis, siquidem decretô Senatûs, cumprimùm fraus æris animadversa est, spurii hi Numi usu plebis interdicti, atque ad ærarium postulati, moduli verò consimiles currentium quoque monetarum publicis in officinis in frusta contriti sunt, ut amplior impostoribus fallendi occasio deinceps præcluderetur. I.

Tab. IV. Num. I.

Jobert Instruct. II p. 29. & VII. p. 2;8.

PUBLIUS. An Dea apud Quirites PIETAS fuit, quod Nomen in *Adversa* penès caput fœmineum lego? Ego verò semper hactenus mihi persuaseram, ipsum potiùs cultum, qui DEO Sanctisque impenditur, *pietatem* appellari. *TULLIUS.* Romani in Græci vocabuli ευσέβεια locum *Pietas* dixerunt, hocque nomine, æquè ac Græci, teste Illustr. *Spanhemio*, promiscuè usi sunt, sive cultum hominis in DEUM, sive erga Parentes, Majores, Cognatos Agnatosque observantiam innuere vellent. Quemadmodum verò cæteris Virtutibus, ita & *Pietati* aras ac templa struxerunt, multisque sive de Diis, sive de homine peculiariter sibi conjuncto benè merentibus, *Piorum* nomen indiderunt: quinimmò II.

Spanh. T II. Diss XII. p. 434.

Dio Caff. L. XLVIII. disertè id referente *Dione*, *Lucius Antonius*, qui *Marci Antonii Triumviri* frater erat germanus, passim & undique non *Pius*, sed *Pietas* dicebatur, propterea, quòd perturbatissimam fratris causam strenuè, ut poterat, vindicare adniteretur. In hac porrò moneta *Æneæ Pietas* in scenam prodit.

III. *PUBLIUS.* *Æneæ* ain? jam etiam Numi *Aversam* nullô negotiô assequor. Nunquid non illa eundem sistit Teucrum heroem, ut patrem *Anchisen*, humeris suis impositum, Trojæ incendio subducit? Liv. L. I. c. 2. *TULLIUS.* Apprimè, Publi, hoc est: *Patrem Deum Indigetem* hic vides, etenim *Livius* ait. *Situs est Æneas, quemcunque eum dici jus fasque est, super Numicum flumen: illum Jovem Indigetem appellant.* Tibull. L. II. 5. Cecinit insuper *Tibullus*:

Illic sanctus eris, quum te veneranda Numidi
Unda DEUM cœlo miserit Indigetem.

Fest. apud Pitisc. voce: Æneas. Sed & Templum Æneæ à Julo filio constructum esse *Festus* enarrat, cujus hæc erat *Inscriptio*: PATRI. DEO. INDIGETI. QUI. NUMICI. AMNIS. UNDAS. TEMPERAT. *PUBLIUS.* Quæso te, quid nominis Indiges? propriúmne, an commune? *TULLIUS.* Audi denuò *Festum*. *Dii Indigetes*, inquit, *sunt, quorum nomina vocare non licet. Nec enim efferebantur in vulgum eorum nomina*, subjungit *Pitiscus*, *quorum in tutela Urbs Roma esse credebatur, ne ab hostibus possent evocari.* *PUBLIUS.* Cæca superstitio: quasi verò non antè audiret DEUS, ac nomine suo, hominum more, invocetur.

IV. *TULLIUS.* Cupis verò & causam, qua de *Marcus.* HERENNIUS. (sic enim *Legendam* accipito) Pietatem Æneæ Virúmque ipsum argentô suô signârit? *PUBLIUS.* Omninò. *TULLIUS.* Haud alia superest modò, præterquam, quòd Gens *Herennia* Plebeia, *Balborum*, Ursin. apud Patin. p. 110. Gallorumque familiis juxta *Ursinum* distincta, ambitu multis Gentibus Romanis communi, originem quoque suam ad Æneam referre contenderit. Hoc namque parente Urbs ipsa gloriabatur, & præcipuè *Gens Julia*, Spanh. T. II. Diss. X. p. 15. cujus posteri peculiariter *Æneidæ* dicti, teste Illustr. *Spanhemio*: unde & Auson de XII. Cæsar. Carm. VI. *Ausonius* Poëta *Neronem*, in quo Gens *Julia* seu *Cæsarum* turpiter defecit, *ultimum Æneidum* fuisse infit, dum cecinit:

Æneidum generis qui sextus & ultimus hæres.

Hic

Hic porrò *M. Herennius*, cujus versamur monetam, Consul fuisse creditur *Ursino* An. Urb. DCCXX. cætera ipsius ferè ignorantur. Eruditiss. *Liebe* in *Thesauro Fridericiano* Numum exhibet Æreum medium, in quo *C. Urmius*, & *M. Herennius IIViri Quinquennales* notantur, cujusmodi, animadvertente Illustr. *Spanhemio* mox laudato, cùm Romæ, tum in Italia, cæterisque Coloniis ac Municipiis, quinto quoque anno ad Censum in populo agendum sunt delecti, permagna immò & Curuli muneris Auctoritate. An autem hæc pariter Dignitas tuum hunc ad *Herennium* attinuerit, minimè liquet. *Goth. Num. Cap. XII. p. 404.* *Spanh. T. II. Diss X. p. 101.*

PUBLIUS. Duo iterum Typici, qui sequuntur, Numi, mirabilibûs planè sunt formîs: quale namque in Numo II. caput est Viri, ut apparet, extremè consternati, paventisque, capillîs stantibûs præ timore? An fortè fulmen propinuqum, quod in scuto expressum, usque adeò terribiliter intonuit? Deinde in Numo III. quæ fœmina crinibûs passîs adeò sollicitè, mærentique, fortè & flenti simillima, prospicit? quodnam ei insectum à tergo adsignatum? *TULLIUS.* Utrumque hunc Numum, vix à typis tuis in aliquo dissimilem *Ursinus* quoque apud Patinum depingit, aitque, amicorum suorum quopiam conjectore, lepida hìc Numina prodire, & in priore quidem Numo *Pavorem*, *Pallorem* in posteriori depictum sibi vîderi: ut hoc pacto *Lucius* HOSTILIUS SASERNA, quem *Legenda* utrobique describit, generi suo gloriam à *Tullo Hostilio*, tertio Romanorum Rege, accerseret. Hic etenim Rex bello natus, & inter Quirites suos militarem omnem disciplinam constituens, superatîs primùm *Albanîs*, deinde cum *Vejentibus* & *Fidenatibus* pugnans ancipiti Marte, socios quidem ex fœdere *Albanos* habuit, ast infideles, quippe qui cùm pugnare in *Fidenates* debuerant, Romanîs *Vejentes* adorientibûs, in partem secessêre. Non poterant non sic deserti, fugámque ab Albanis fieri rati, pavere & pallere Romani: quare *Tullus* iniquam sortem majori animô eludens, & metum intra se cogens, ut etiam militibus eum eximeret, alta voce exclamavit: Ego jussi, ut abscederent Albani. Interea verò, teste *Livio*, in re trepida, ut plenus superstitionibûs aliàs fuit, *Pavori* atque *Pallori* quasi diis, Templa, & Salios, qui festa ludosque agerent, subitò vovit, Victórque deinceps instituit. Quam lepidam Religionem ita irridet *Lactantius*, inquiens: *Pavorem, Pallorémque Tullus Hostilius figuravit, & coluit. Quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper deos suos, sicut optari solet, præsentes haberet*, i. e. semper nimirum paveret atque palleret. Aliter hunc Tyrannum exsibilat Divus *Augustinus* alicubi arguens: *Hostilius certè Rex deos & ipse novos, Pavo-*

V. Tab. IV. Num. II. & III.
Ursin apud Patin. p. 125.
Liv. L. I. c. 27.
Lactant. L. I. c. 20.
S August. de Civit DEI apud Pitisc.

Pavorem atque Pallorem, propitiandos non introduceret, si Felicitatem deam nosceret, & coleret.

VI. Insectum quod dixeras post Caput *Palloris* depictum, figuram nempe smilaci propè similem, insectum non est, sed *Lituus militaris*, monente Eruditiss. *Liebe*, adeóque Tubarum militarium ex genere. Canit namque *Horatius* :

Goth. Num. C. II. n. 40.
Horat. L. I. Od. I. v. 23.

Multos castra juvant, & Lituo Tubæ
Permistus sonitus.

Acro in eund. Quæ in verba *Acro* Scholiastes sic commentatur : *Litui acutus est sonus, Tubæ gravis, hocque distare inter utrumque cognovi, quod Lituus Equitum sit, atque incurvus, Tuba verò Peditum & directa.* Parma quoque penès caput *Pavoris*, in qua fulmen depictum, militaris est: ut adeò gemina hæc symbola commodùm innuant, in re trepida belli utrúmque ridiculum Numen *Tullo* Rege parente in lucem editum esse. *PUBLIUS.* Amabò te, Tulli Venerande, hæc talia suspicari quis posset, quem veteris cura Eruditionis non fatigat? *TULLIUS.* Tantùm videlicet distant doctus & Amusus : qui quærit, invenit. Quàm verò jucundum, quàm pulchrum id est, subsecivâ industriâ tot ænigmatum Oedipum fieri!

VII. *PUBLIUS.* Restant *Aversæ* utriusque Numi nunc partes. Bigas video incitatas in Numo II. geminámque figuram, unam, quæ currûm agit unacum flagello, ut puto, fœmineam: virilem alteram galeatam cum clypeo, quæ telum intorquet. *TULLIUS.* Pugnâ feliciter actâ triumphatur: quod etsi de *Tullo Hostilio* non legam, credi tamen potest, bigas certe in victoriæ signum adstare, cùm *Ursinus* apud *Patinum* alium quoque *L. Hostilii* Numum depingat, qui in *Adversa* caput victoriæ, in *Aversa* eam ipsam iterum refert alatam, cumque Tropæo & Spoliis incedentem referendam ad triumphos, ut ait, quos *Tullus Hostilius*, Vejentibûs ac Fidenatibûs superatîs, Albâ dirutâ egit. Quamquam ipsum *Pavorem* recentem tum deum nudum stare in curru tenere pariter possis, qui cùm retrò, nimirum ad hostes, conversus sit, eisdem intortô telô terrorem incutiat: aurigam supplet forsitan *Pallor*, fœmineo capite in altero Numo expressus, qui certè in fœminis crebrior est, earúmque præstantiori cæteroquin in forma citiùs atque in viris notatur.

PUB-

PUBLIUS. Commodè ſatis arguere mihi videris: aſt verò III. in Numi *Averſa* quod idolum mirabile? *TULLIUS.* *Dianam* eſſe *Epheſiam* mammæ multæ, ac *Cervus*, quem cornu prehendit, dubitare non ſinunt: cauſam deæ hujus ſignatæ putat *Urſinus* ſæpè multúmque laudatus, quòd *C. Hoſtilius* Provinciam forſitan Aſiæ, in qua tantoperè hæc colebatur *Diana*, ut Prætor regendam obtinuerit. Multîs de *Diana* diſſerendum hìc foret: ſed alibi rectiùs fiet. Supereſt, ut de *Gente Hoſtilia* tria faciam verba. Eam ab *Hoſto* quopiam *Hoſtilio* Medullino cœpiſſe credi interim ait denuò *Urſinus*, qui, regnante Romulo, civitate donatus, ſeu Civis Romanus effectus ſit. Familias habuit *Tullorum* ac *Mancinorum* juxta *Tabulas Capitolinas*: juxta *Livium* porrò *Tubulorum* pariter & *Catonum*: *Varro* autem etiam *Saſernas*, patrem ac filium commemorat, aſſeritque ambos de Agricultura ſcripſiſſe. *L. Hoſtilium* in Numis hiſcè ſignatum illum demum fuiſſe iterum *Urſinus* exiſtimat, de quo *Hirtius* ſcribit, eum à Cæſare Lepti cum præſidio relictum. Plura de eo haud conſtant.

VIII. *Liv. Lib. XXVII.* *Varro de Re Ruſt.* *Hirt. de Bell. Afric. L. V.*

PUBLIUS. Rurſum SALUS dea (hanc enim in Numo IV. Typico *Adverſæ* laudat *Legenda*) ſpectandam nobis ſe offert, eleganti cuidam & præcipuo cum labore conſtructæ coronæ incluſa. *Averſa* porrò Triumphô mihi illuſtris videtur: ſiquidem in biga ſtantem cerno Victoriam, quæ laurum juxta ac palmam jucunda præſefert. Sin ita, de Victore ſive Triumphatore nonnihil ambiguus hæreo: in *Legenda* namque ROMA primùm deſcribitur, deinde D. (*TULLIUS.* *Decius* aut *Decimus* lege.) *PUBLIUS.* *Decimus*, inquam, SILANUS. *Lucii. Filius.* *TULLIUS.* *Roma* additur, ut vel locus, in quo Numus ſignatus, aut ubi triumphatum, innoteſcat. *Lucius* autem *Silanus* ex illuſtriſſima *Gente Junia* erat, quam ſupra jam monui ita amplam latámque fuiſſe, ut poſteri ejus, omiſſo nomine Gentili, ſuîs duntaxat cognominibûs uterentur. Attamen *Gentis Juniæ* ſanguinem non traxit, ſed in eandem duntaxat adoptatus fuit à *E. Junio*, cujus filium eum dicit moneta, cùm aliàs *Titum Torquatum* patrem habuiſſet. Prætor erat Provinciæ cujuſdam Macedonicæ (*Goltzius* eum *Proprætorem* vocat, putans & de Luſitanis triumphâſſe) fatô tamen ſatis miſerò fuit: etenim de eo *Livius* refert. *Cùm Macedonum Legati conqueſtûm veniſſent de Junio Sicano Prætore, quòd acceptîs pecuniîs Provinciam ſpoliâſſet, & Senatus de querelis eorum vellet cognoſcere, T. Manlius Torquatus, Silani pater, petiit impetravitque, ut ſibi hujuſmodi cognitio mandaretur. Domi deinde causâ cognitâ* (mirô utique Æquitatis exemplô, quod tantopere extollit *Cicero*) *filium condemnavit, abdicavit.*

IX. *Tab. IV. Num. IV.* *Goltz. Conſul. Tab. CLIX.* *Liv. L. LIV.* *Cicero L. I. de Finib.*

dicavitque, ac ne funeri quidem ejus, cùm suspendiô vitam finisset, interfuit, sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit.

X. *PUBLIUS.* Splendida sanè *Silani* hujus fortuna, quæ cùm prius Romam triumphantem ei ad obsequium stitisset, in apice gloriæ tandem patibulum statuit. Sic illa pullos suos tollit in altum, ut lapsu graviore ruant. *TULLIUS.* Nunc porrò de *Salutis* imagine, & de Corona, qua illa incingitur, mihi erudiendus es breviter. Caput *Salutis*, monet *Ursinus*, esse à *Silano* expressum ob memoriam *C. Junii Bubulci Bruti*, qui ejus Deæ Ædem, quam voverat, Censor postea factus, locavit, & cùm esset Dictator, consecravit. *Corona* ex Torque illo conflata est, à quo *Manliis* cognomen *Torquatorum* adhæsit. Cùm námque An. Urb. CCCXCII. Galli se Romanis opponerent, utrîsque ad pontem Anienis castra jam metantibûs, miles quidam Gallus corporis & roboris immensi in ponte consistens, quempiam Romanorum singulare *certamen depoposcit. Pugnam, cæteris non audentibûs, ipso in ponte suscepit Titus Manlius Lucii. Filius*, vicitque, prostrato demum hosti in gloriæ tesseram Torquem detrahens, quem collo suo circumdans ad suos reversus est. *Tum* (*Livius* inquit) *Romani alacres ab statione obviam militi suo progressi, laudantes gratulantésque ad Dictatorem perducunt. Inter carmina propemodum incondita quædam militariter joculantes, Torquati cognomen auditum, celebratum deinde posteris etiam, familiæque honori fuit: Dictator coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibûs extulit.*

Ursin. apud Patin p. 141.

Liv. L VII. p. m. 196.

XI. *PUBLIUS.* Erudîsti me sanè eleganter, jamque mihi plus nimiô liquidum est, quàm nihil unquam dissimulârint Quirites, quod ad Gloriam Gentis suæ pertinuit. Id verò demum quàm lepidè, quàm miserè & indignè, *Silani* patibulum probat. Melius utique sapuit Poëta, qui cecinit:

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Haud ea nostra puto.



DIA-

DIALOGUS XV.

De

Numis L. Æmilii Bucæ, C Licinii Macri: L. Livinei Reguli: L. Lucretii Trionis: P. Lurii Agrippæ: & M. Mæcilii Tulli.

TULLIUS.

SEx hodie tecum Numos, adeóque omnem *Tabulam IV.* expedire constitui, quoniam, quæ in eis spectanda occurrunt, partim ex prioribus tibi jam nota, partim hujus fori non sunt, partim mysteriis carent. *PUBLIUS.* Numi V. *Adversa* dubiô caret, *Cæsarem* námque *Julium* laureatum ibi sisti satis innuit *Legenda:* Cajo. CÆSARi. DICTatori. PERPETUO. Supra námque, quid rei Dictator, & quomodo supremam hanc dignitatem perpetuam sibi, seu per omnem vitam concedi vi summa effecerit *Julius,* liquidò docuisti. Verumtamen *Aversa* tantò mihi difficilior est, in qua & symbola multa, & pleráque mihi ignota densantur. *TULLIUS.* Unum omnia *Cæsarem* spectant: etenim L*ucius*. BUCA. hic descriptus, cujus alii Numi nomen quoque Gentile ÆMILIUS, & Officium, IIIVIR. i. e. *Quarumvir* Monetalis adjiciunt, *Julio*, cùm adeptâ Dictaturâ perpetuâ summum jam apicem teneret, Imperium felix faustúmque his symbolis acclamavit, simúlque ea omnia innuit, quæ *Cæsar* Oratione ad Senatum, ut *Dio* refert, Reipublicæ se præstiturum tam largè adpromiserat. I. *Tab. IV. Num. V.* *Dio Cass. L. XLIV.*

Sphæra itaque, seu Globus, quem hodie *Pomum* dicimus, supremô locô se librans, symbolum est Monarchiæ à *Julio* fundatæ, & Imperium Orbis Terrarum designat. Decussatim, seu crucis in modum sibi impositi *Fasces*, atque *Caduceus*, Mercurii aliàs sceptrum, *Justitiam* spondent, & *Pacem:* ideò namque Fascibus addita erat Securis, ut jus vitæ necisque sanctè populis dandum innueret: Caduceus verò commune fuit Legatorum, Pacis componendæ causâ submissorum, symbolum ac sceptrum, II.

ptrum, cujus alibi causas latiùs tibi exponam. *Manus conjunctæ* à dextris *Concordiam* augurantur, unicè ferè in Republica consectandam: omne etenim Regnum in se divisum desolabitur. *Securis* tandem infimô locô cubans, & Sacerdotii index (hac namque Pontifices victimam cædebant) sanctam *Religionis* curam pollicetur, qua sine nec Dii propitii forent, nec virtus, jus, fasque à civibus curaretur. Ita equidem de hoc Numo sentio, atque consentio cum Eruditiss. *Ursino*.

Ursin. apud Patin. de famil. p. 128.

III. *PUBLIUS*. Cùm *Cæsarem Julium* hæc moneta, cujus ego duntaxat typum à te habeo, facie sua anteriori referat, cur eandem Consularibus Numis accenses? *TULLIUS*. Commodùm sciscitaris: animadvertere porrò te velim, ejusmodi monetas, in quibus diversi laudantur, diversimodè collocari posse in gazophylaciis veteribus: unde præsens quoque Numus, si *Julii* caput suprà posueris, rectè in *Julia* gente statuetur; sin verò partem *Aversam* oculis primò objicias, ritè quoque in Gente *Æmilia*, è qua erat *L. Buca*, jacebit. Gens porrò *Æmilia* Patricia clarissima fuit, teste *Anton. Augustino*, jam inde ab ipsis initiis Libertatis Reipublicæ Romanæ ad usque Augusti tempora, multisque Viris domi militiæque illustrissimis oppidò floruit: toties namque Pontificatu Maximo, Dictatura, Triumpho, Principatu Senatûs, Censoria, Consulari, Tribunitia Potestate, Magisterio Equitum, Triumviratu Reipublicæ constituendæ, & nullis non horum subselliis claruit, ut paucas alias gentes Romanas sibi suppares haberet. Plurimas numerabat Familias, *Mamercinorum*, *Barbularum*, *Paullorum*, *Paporum*, *Lepidorum*, *Regillorum*, *Scaurorum*, *Bucarum*, aliorúmque quamplurium. De *L. Buca*, Numi præsentis editore, hoc demum liquet, Monetæ curandæ eum præfectum fuisse, primùm quidem cum Collegis duobus, ut esset Triumvir, more Reipublicæ consueto. At verò *Jul. Cæsar*, ut omnibus tantò ampliùs liqueret, undique se rerum potiri, perhibente *Suetonio*, & *Senatum supplevit*, *Patricios adlegit*, *Prætorum*, *Ædilium*, *Quæstorum*, *minorum etiam Magistratuum* (in quibus Monetarii quoque fuêre) *numerum ampliavit:* ut adeò tum temporis *C. Flaminius*, *L. Æmilius Buca*, *L. Mussidius Longus*, & *C. Vibius Varus*, uno eodemque tempore simul Quartumviri Monetales exstiterint. *Augustus* verò rursum Triumviros constituit.

Anton. Augustin. apud Patin de famil in Append. p. 317.

Sueton. in Jul. c. 41.

IV. *Tab. IV. Num. VI.* *PUBLIUS*. Quis, obsecro, juvenis Deus in Num VI. apud me argentei atque minuti *Adversa* fulmen, ut reor, trisulcum emittit? *TULLIUS*. Rectiùs videre te velim: sagittas namque, non fulmen intorquet,

torquet. Nomen ei VEJOVIS: lis tamen inter veteres, an *Jovis*, an *Apollinis* fuerit simulacrum. *Ovidius* equidem juvenem eum & imberbum, parvúmque veluti *Jovem* depingit, dum cantat: *Ovid Fastor. L. III v. 455.*

Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra coloni,
Qua malè creverunt, vescáque parva putant.
Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem
Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Vescum itaque idem innuere ait, ac parvum, atque abinde *vegrandia* dici, quæ malè, i. e. haud satis, creverunt: arguit deinde, *Vejovem* pariter esse non magnum, seu parvum Jovem. Sed in aliam prorsus sententiam abit veterum rerum curiosus indagator A. seu *Aulus Gellius*, quem alii *Agellium* dicunt. Ait enim: *Simulacrum Dei Vejovis* — — — *sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum, quapropter eum plerique Apollinem dixerunt: immolatur illi ritu humano caprâ, ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat.* *Aul. Gell. Noct. Attic. L. V. c. 12.*

PUBLIUS. Cur verò dubium hoc Numen L*ucius*. LICINIUS. *Lucii. Filius*. MACER. quem in *Aversa Legenda* laudari video, argentô suô signavit? *TULLIUS*. *Ursinus* hunc Numum pingens causam omninò dissimulat, eo quidem in loco: verumtamen alibi multos incertos redhibens Numos, in quibus Dii Deæque variè comparent, certum asserit, ejusmodi monetas, ni ratio altera certa certi constet idoli, credi debere excusas, vel cùm templa dedicata, aut Ludi Deorum exhibiti fuêre. *PUBLIUS.* In *Aversa* nunquid Pallas agit quadrigas, galeata cum clypeo, & telum intorquens? & quo demum id pacto? *TULLIUS.* Incerta mihi omnia: existimo tamen, & hoc typo Ludos Apollinis notari: quamquam & Vejovis ira & Palladis in hostes esse potuerit à *Licinio* provocata, quemadmodum *Horatius* legitur obsecrâsse, ut sagittas suas, ob interfectum Pythium Draconem venenô tabidas, Apollo in barbaras gentes converteret, dum cecinit: V. *Ursin. apud Patin. p. 152. & 303.* *Horat. L. I. Od. 21.*

Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestémque à populo, & Principe Cæsare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

Plutarch. in Ciceron. Certe *Licinius* iste, si rectè conjecerit *Ursinus*, nec potestate caruit, nec hostibûs: ad eum namque pertinere non dubitat, quod *Plutarchus* commemorat hîs verbîs. *Licinius Macer, pater Licinii Calvi Poëtæ, & Prætor, cùm de pecuniis repetundîs accusaretur apud Ciceronem, sub ipsam Judicum sententiam, suâ fretus potentiâ, & amicorum præsidiô, domum abiît, caput totondit, sumtâque veste pura tanquam victor in forum revertit. Cùm verò ex Crasso, qui ei in vestibulo domus occurrerat, intellexisset, damnatum se esse, domi statim accubuit, ac præ tristitia, vel fortean & ira, subito decessit.* Sive ergò ad Ludos Apollinis referre libeat hunc Numum, sive ad vindictam, suffragabitur *Plutarchus*: Ludos namque curavit forsitan *Licinius*, cùm *Prætorum* in numero ponatur, ad quos Ludorum curam, Ædilibus exemtam, Augustum transtulisse jam supra te monueram. Ast opinari hic solum licet, non item tutò quidpiam statuere. Gens porrò *Licinia* & Antiquitate Generis, & rebûs gestîs plebeiarum omnium facilè princeps fuisse ab *Anton. Augustino* perhibetur: cujus quatuor erant præcipuæ ac Consulares familiæ *Calvorum*, *Crassorum*, *Lucullorum*, & *Murænarum*: clarûere tamen in ea etiam *Vari*, *Getæ*, *Nervæ*, *Stolones*, & *Macri*.

Ant. August. apud Patin. p. 385.

VI. Tab. VI. Num. VII. *PUBLIUS.* Caput *Adversæ* in Numo VII., apud me typico, omni omninò caret notâ, qua illud, cujusnam tandem sit, discernere liceat. *Aversa* verò non planè mihi incognita est, cùm *Sellam Curulem*, illustrem majorum Magistratuum indicem, redhibeat: sex porrò hastæ, quæ eam utrinque circumstant, tantò mihi obscuriores sunt. *TULLIUS. Fasces*, non hastas, arbitrari debueras, qui Magistratibus certô præferri numerô solebant. *PUBLIUS. Fasces* utique ex vi nominis pluribus è virgis, seu bacillis colligatis constabant: ast verò in moneta simplices duntaxat hastæ, quasi globulis sectæ, comparent. *TULLIUS.* Angusta Numuli tam parvi ora non permiserat, ut cælator tot fascibus densam suam adderet molem: quare signum pro re tandem sustinuit; aliis econtra in Numis, ubi fasces crassiores, bini tantùm pro senis, aut etiam bissenis appositi sunt, animadvertente Eruditiss. *Liebe*.

Goth. Num. Cap. VI. p. 231.

VII. In *Adversa* porrò Lucius. LIVINEIUS. REGULUS, ut habet *Legenda*, non suum, quod minimè licuisset, sed Patris jam demortui caput expressit, fidem faciente iterum *Ursino*. Ipse verò, teste *Dione*, Triumvir erat monetæ cudendæ cum Silenna & Pulchro, imperante Augusto: verumtamen ab eodem motus munere, *in ipsa Curia veste lacerata corpus denudavit, enumeratîsque militiîs suîs cicatrices ostendit*. Postea

Ursin. apud Pat. p. 156. Dio Cass. L. III.

vel

vel Ædilis, vel Prætor factus, Ludos fecit gladiatorios, sub quibus ipsis cùm atrox seditio ac cædes Nucerinos inter Pompejanosque colonos exorta esset, ipse *Livineius* harum turbarum reus, cum cæteris illius mali auctoribus exiliô mulctatus esse à *Tacito* describitur. *Tacit. L. XIV.*

PUBLIUS. An fallor? an Numi VIII. apud me argentei atque minuti *Adversa* Neptuni caput præ se fert? Tridentem namque, quem penè conspicio, ei Sceptrum fuisse, & maritimi symbolum imperii haud ignoro. *TULLIUS.* Egregiè sententiam dicis: ast verò de Numeris suprà appositis, nimirum XXXI. quid hariolaris? *PUBLIUS.* Davus hìc sum, non Oedipus, Tulli Venerande. *TULLIUS.* Et me ferè Apollo destituit. Lego námque in *Gotha Numaria*, cùm in Numis Consularibus admodùm frequenter occurrant ejusmodi literæ numerales, plures Antiquariorum, præcipuè verò Clarissimum *Vaillant*, mira ingenii sollicitudine adlaborâsse, ut earum penetrarent mysteria, easque vel annorum certorum notas Chronologicas, vel rerum indices statuerent. Peculiariter quoque de hoc Numo tuo asseruisse Virum celeberrimum mox laudatum, notas numerales XXXI. numerum navium Carthaginensium denotare, quas Æmilius Bellô Punico II., cùm Rege Antiocho gesto, ad Lilybæum Promontorium Siciliæ, oppresserit. Quòd si hæc *Vaillantii* perstaret sententia, consequi videretur, vel ipsum Æmilium è Gente *Lucretia* fuisse, vel quempiam *Lucretiorum* huic pugnæ navali Quiritum strenuè interfuisse: in cujus proinde Rei memoriam *Lucius.* LUCRETIUS. TIRO. qui hoc in Numo signatur, caput Neptuni una, altera parte Delphinum expresserit. Quoniam verò *Vaillantium* ipsum inspicere mihi non licuit, nullúmque in Gente *Lucretia* Æmilium reperio, quod certò tibi edicam, hactenus non habeo. Præterea *Livius* hanc pugnam navalem ad Lilybæum describens, septem duntaxat naves ait ab Æmilio circumventas, non unam & triginta, reliquam verò classem Pœnorum fugatam. VIII. *Tab. IV. Num. VIII.* *Goth. Num. C. VI. p. 231.* *Liv. Lib. XXI. p. m. 316.*

Libentiùs proinde in sententiam Eruditiss. *Liebe* concederem, affirmantis, ejusmodi in Numis Consularibus literas numerales, notas potiùs & calculos esse matricum, seu modulorum, aut typiariorum, quas Monetarii apposuêre, ut inter tam multos modulos, quemcunque demum vellent, faciliùs arriperent, aut scirent, quot demum ejusdem moduli Numos percussissent. Cui ut fidem faciat, unum eundemque Calpurniæ Gentis Numum quater depingit: in quorum primo XVII. in altero XX. in tertio XXXXVII. in quarto tandem & postremo CXX. clarissimè legas. Hanc si opinionem accipere libeat de numero XXXI. tuo in Numulo, IX.

Ursin. apud Patin p.160. amplecti quoque licebit id, quod de capite *Neptuni*, ac præcipuè de *Delphino*, cui insidet *Cupido*, conjecerat *Ursinus*; hîs nimirum imaginibûs vix alia de causâ usum esse *Lucretium*, quàm ut *Cæsari* adularetur, Gentisque *Juliæ* originem à *Venere*, matre *Æneæ*, quam è spuma maris natam Hygin. in Delph. comminiscuntur, demonstraret. *Delphinus* námque, *civis æquoreus*, teste *Hygino*, *Neptuno gratissimus*, perpetuum ferè maris est symbolum: cui si Genius insideat, unum è Diis marinis, vel *Melicertam*, vel *Palæ-* Jobert Instruct IX. pag. 28. *monem*, vel *Portunum* intelligi vult Doctiss. *Jobertus*. An verò æquorea hæc Numina alas gestârint, nullibi comperi: hìc reor, Delphino Cupidinem insidere cum sæpe laudato *Ursino*, qui eundem omninò typum etiam sistit in Numi *Cordii Rufi*, aitque insuper, & in aliis reperiri.

X. *PUBLIUS*. Ausimné hìc pariter ex te sciscitari, an de hac Gente illa etiam *Lucretia* fuerit, quam tanta castimoniæ laude jactârunt Quirites? *TULLIUS*. Utique fuit, cui Sextus Tarquinius, filius Tarquinii Superbi, ultimi Romanorum Regis, vim intulit, nec strictô quidem Liv. L. II. p. m. 35. pugione ad scelus adigendæ, nisi Sextus præter mortem æternam quoque infamiam eidem intentâsset, comminatus, positurum se illam unacum mancipio pariter occiso eodem in lecto, ut omnes adulteram eam reperirent ac crederent. Hoc metu oppressa, convocatîs deinde patre, marito, & propinquis, vindictam poposcit, ac præter omnium opinionem subitò fatalem cultrum intra viscera sua adegit, laudanda castimoniæ amore, sed nece, quam ultrò sibi conscivit, damnanda. Hoc interim Regii Principis flagitium *L. Junio Bruto* ansam suppeditavit, Regem ipsum Tarquinium urbe expellendi, ac diu jam concupitam Reipublicæ libertatem adserendi. Hac deinde florente Gens *Lucretia* summîs muneribûs atque magistratibûs perpetuò inclita fuit.

XI. Tab. IV. Num. IX. & X. *PUBLIUS*. In multis hactenus, quæ rem Numariam concernunt, liberaliter à te institutus, sin per te staret, postremis in Numis *Tabulæ* tuæ IV. perlubenter diligentiæ meæ periculum facerem: ac plurimùm sanè gratularer mihi, si solus eos assequerer, quoniam cæterîs faciliores mihi videntur. *TULLIUS*. Agedum fac: facies autem voluptate mea multò maxima. *PUBLIUS*. *Adversa* utriusque monetæ Capite eodem Cæsaris Augusti decora est, quemadmodum docet par in ambabus *Legenda*: CÆSAR. AUGUST*us*. PONT*ifex* MAX*imus*. TRIBUNIC*ia*. POT*estate*. in Numo IX. victoria parva retrò adstans Capiti Augusti, quod in X. nudum est, laurum circumdat, ut recentibûs eum palmîs, fortè Actiacîs, de hoste relatîs illustrem designet. *Aversa* ubique medias habet literas trabales S. C. unde liqueat, has monetas *Senatûs Consultô*

&

& autoritate excusas. *Legenda* duos Triumviros Monetales sub Augusto constitutos describunt: lego namque in Numo IX. ni mea me vehementer fallat opinio; *Publius.* LURIUS. AGRIPPA. IIIVIR. *Auro. Argento. Aere. Flandô. Feriundô.* In Numo deinde X. solum variat nomen: *Marcus.* MÆCILIUS. TULLUS. cætera monetæ priori per omnia consonant.

TULLIUS. Egregiè sanè, Optime Publi, ad unguem singula: proinde industriæ tuæ vadem certissimum tûte ipse subiisti. *PUBLIUS.* Haud tamen etsi rectè legerim, exponere omnia nôssem: fugit me hactenus Pontificis Maximi dignitas, ac præterea Tribunitia Potestas tota me latet. *TULLIUS.* Utramque sequenti in Exercitatione, ubi Laconicam Quiritum Sapientiam in Titulis Imperatorum vestigabimus, plenius addisces. Ambos porrò hos Numos etiam *Ursinus* apud *Patinum* depingit, sed neque de *P. Lurio* quidquam, neque de *M. Mæcilio* in medium affert: nisi quòd *Marcum* aliquem *Lurium* referat ex *Tacito, Dione, Vellejo,* fuisse Sardiniæ Præfectum, cui in pugna Actiaca dextrum cornu navium Julianarum fuerit commissum: Item: *Maciliam* Gentem origine *Albanam* fuisse, sed per *Tullum Hostilium* Regem civitate Romana cum cæteris Albanensibus donatam, atque in Patricium Ordinem relatam. XII.

Ursin. apud Patin. pag. 161. & 162.



DIALOGUS XVI.

De Numis C. Marii Capitonis: & C. Memmii.

TULLIUS.

I. TAntò equidem deinceps in te erudiendo breviori mihi esse licebit, quantò plures Monetas versabimus: neque enim omnia in omnibus Numis tam nova sunt semper atque peregrina, ut non eadem sæpenumerò, aut non valdè dissimilia occurrant. Fore non longè pòst reor, ut ego tibi de his differenti auscultem magis, quàm tu mihi: siquidem animô in rem Numariam optimè comparatô, & desideriô amplissimô es. Verumtamen quoties poposcerit res, ut uberior apud te sim, neque te, puto, neque me quantælibet moræ pœniteat. Tu sic de me statuas velim, & esse, ac fore me tibi, qualem se Lucilio suo Romanus Sapiens adpromisit. *Cupio* nimirum (ut plenè mihi verba Viri summi assumam) *omnia in te transfundere, & in hoc gaudeo aliquid discere, ut te doceam: nec me ulla res delectabit, licèt eximia sit & salutaris, quam mihi uni sciturus sim. Si cum hac exceptione mihi detur Sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam. Nullius boni sine socio jucunda possessio est: immò nullum est bonum, quod commune non sit.*

Seneca Epist. VI. ad Lucil.

II. *PUBLIUS.* Venerande Tulli, quàm sors non læva me tibi discipulum tradidit: pronum est mihi decernere, quàm oppidò mei causâ Cleanthis ad lampadem sedeas, ut tot mihi lumina in tantis Numorum tenebris cottidie accendas: Mihi porrò olei parum est domi: omne verò quod est, affluet certè, ut meâ industriâ diligentiam tuam enutriam. Tabula tua V. ad quam hodie accedimus, Numîs sane curiosissimîs constat: quorum licèt plerósque vel argenteos vel æreos teneam, vitiô tamen ætatis propè singuli non modicùm scatent, ut ægrè profectò eosdem ita demum, quemadmodùm tu, discernere valuissem. *TULLIUS.* Nimirum hoc pacto quærenda est veterum in Numis Sapientia, ut, cùm obsoleta sunt æra,

ac majori sui parte exesa, quemadmodum sæpissimè solet, celebres adeas Scriptores, quibus integra ea versandi sors propitia obtigit. Fortunæ est certè, probas integrásque monetás indipisci, & hoc beatum est: eximiæ verò industriæ, exesas multa vestigatione in integrum denuò restituere, quod acto sanè labore jucundissimum est.

PUBLIUS. Numus I. Tabulæ hujus insolitum planè marginem habet, undique incisum, ac veluti perpetuis dentibus rigentem: quæ isthæc apud veteres fingendi ratio fuerat? *TULLIUS.* Nimirum *Serratus* est hic Numus argenteus atque minutus, cui undique incidendo monetæ spuriæ ac *Subarata* ansam dedêre. Supra te docuisse jam memini, scelesta falsariorum fraude quamplurimos Numos prodiisse, superficie argenteos, corpore æreos, immò & ferreos: consilium itaque cœperunt Quirites, monetas publicas non amplius margine integro, sed undique per serram inciso, excudendi, ut adeò per ipsa hæc vulnera Numi totius integritas prospiceret. Ast ne sic quidem dolus omnis abscessit: fuêre namque, qui, majoribus præsertim in Numis, massam æream non modò laminâ velarent argenteâ, sed argenteô circulô includerent, quem deinde pariter omni ex parte incidêrunt, ut nemini tandem, nisi monetâ prorsus confractâ, fraus iniqua pateret.

III. *Tab. V. Num. I.*

Jobert. Instruct. VII p. 238.

Hæc itaque tanta malitia, cui nunquam cavere satis poterant Quirites, cæteros populos & præcipuè Germanos, Sæculô potissimùm VII. atque deinceps adegit, ut crassitie omni seclusâ monetas suas quàm subtilissimas efficerent, in latum solummodo extensas, literis & imaginibus plenissimis, quos Numos à bractea *Bracteatos* dicere placuit. Verumtamen folium argenti aurive tam tenue par minimè fuit usui quotidiano, temporique ferendo, cùm nimis quàm citò tot inter & manus, & loculos attereretur. Quare rursum crassiores monetæ sunt cœptæ, *Grossique* appellatæ à crassitie, mediocri tamen: *Grossus* námque à *crassus* deductum est. Redeamus in viam, è qua, *Numo Serrato* abducente, nonnihil excessimus.

IV.

Joan. Christ. Olearius Isag. ad Gazophylac. Bracteator. pag. 22. Hoffm. Clavi Monet. German. cap. III. pag. 122.

PUBLIUS. Si risum tenueris, cùm forsitan halluciner, caput fœmineum Numi hujus in *Adversa*, eleganter revinctum, laurôque decorum, *Junonis* dicerem: avem namque, quæ adstat, pavonem interpretor. *TULLIUS.* Rectè ais: quamquam enim Clariss. *Patinus* hunc Numum depingens, quod, nescio, volucris collum, aut aliud signum incurvum incertum ac rude Deæ affinxerit, tuus attamen Numulus pavonem clarissimè sistit. Quoniam porrò *Junonis* nomine veteribus Luna est culta, quam

V.

Patin. de Fam. p. 171.

veluti

veluti Reginam integer stellarum exercitus stipat: simulacro Deæ hujus pavonem addidêre, quòd caudâ explicatâ tot speculîs suîs totidem sidera redhibere sit visus. *Varro* de hac volucre ait: *Huic natura formæ è volucribus palmam dedit, cœlúmque coloribûs, & speculîs astra æmulari.* Sed Principem hanc unacum pulcherrimo satellite suo pleniùs contemplabimur, ubi proprium de Deabus sermonem condixerimus.

Varro de Re Rust. L. III. c. 6.

VI. *PUBLIUS.* In *Aversa* deinde vir iste boves suos quò agit? *PUBLIUS.* Nimirum in Coloniam: at verò in quam demum, incertum. Nulla re Populus Romanus, exigua primùm pastorum manus, adeò in- increvit, quàm Coloniis, Municipiis, Præfecturis, ac postremò Provinciîs suîs. Romulus namque, ac cæteri Reges, deinde & Respublica, cùm populum vicerunt, vix unquam funditùs eundem exscindebant: sed cùm arma jam posuissent, partem ejusdem Romam traduxerunt, partem alteram patriis in agris relinquebant, tot novîs colonîs ex Urbe submissîs, quot demùm terræ frugali colendæ sufficere poterant. His porrò locis ita institutis libertas permissa, & *Coloniæ* nomen impositum à *colendo*, vel *incolendo*. Quoniam verò dum agri exercentur, bobûs maximè utimur, Colonia in Numis boum imagine frequenter expressa est, tum maximè, cùm Coloni è plebe Romana selecti sunt: sin verò è militibus veteranis atque emeritis, Monetarii eam in rem indicandam signîs militaribûs æra signârunt. Quamquam & alia boum in Numis Coloniarum sit ratio: sive etenim Coloni cives essent, aut milites, cùm factâ jam turmâ consisterent mox abituri, lustrari priùs debebant antiquâ Quiritum superstitione, ut Deos propitios haberent: quod ut fieret, boves plerúmque circùm agmen semel iterúmque sunt ducti, Jovi postea, aut alteri idolo immolati. Mox verò ut Colonorum exercitus cum ducibus suis & signis ad locum ipsum, in quem destinati erant, pertigêre, per omnia rursus Coloniæ futuræ jugera boves aratrum trahere in gyrum debebant: neque obvii quilibet, sed album duntaxat bovem vaccæ pariter albæ jungi oportuit, quemadmodum cecinit *Ovidius:*

Acerra nov. Phil. P. II. pag. 202. &c.

Ovid. Fastor. IV. v. 824.

Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

Hæc interim obiter de Coloniis dicta tibi sufficiant: quoniam namque in Numis tuis aliquot etiam Coloniarum monetas contuitus sum, cogito eas post Numos Imperatorum Appendicis locò peculiari tecum Dissertatione expendere, ubi & de Municipiis, Præfecturis, atque Provinciis, nonnulla tibi suggerere licebit.

PUB-

PUBLIUS. Legendam Numi hujus quomodo colligam? *TULLIUS.* *Aversa* Prænomen, Noménque ejus, cujus est moneta, recenset, dum legis: C*aji*. MARI*i*. Caji. F*ilii*. *Adversa* Cognomen quoque CAPIT*onis*, superaddit. Litteræ CXXX. utraque in Numi facie numerales sunt, & indices moduli utriusque, si Erudit. Liebe sententiæ, superiori *Dialogo* relatæ, insistamus. Qua in opinione vehementer me confirmat Clar. *Morellus*, qui apud laudatum *Liebe* in *Gotha Num.* animadvertit, sæpè aliàs errâsse Monetarios, *Adversa* per incuriam indebitam *Aversam* jungentes, ut adeò Nummi occurrant, utraque sui facie genuini, qui tamen falsò diversas familias referant. Hujusmodi specimen exhibet *Gotha Numaria*, dum monetam depingit, quæ in *Adversa* Caput Apollinis sistit laureatum, cum titulo: C. Egnatulejus: in *Aversa* porrò Deam Salutem cum Angue, ínque columna reclinem cum *Legenda: Manius Acilius.* Quod verò operis monetalibus publicis, id etiam falsariis accidit. Quare credibile est, providisse Triumviros Monetales, ut matrices seu moduli utriusque partis æqualibûs numeris signarentur, quibus conspectis citra operosam literarum & imaginum contemplationem, quos jungi oportuit, moduli promtè tutóque arriperentur. Sic de numeris interea tibi statuere licebit, esto, hæc etiam sententia omni difficultate non careat. VII. *Liebe in Goth. Num. C.VI.p.229.*

PUBLIUS. At *C. Marius* demùm quis fuit? *TULLIUS.* Liquet ferè ex omnibus cæteris ejusdem Numis, *Protriumvirum* eum sub Augusto fuisse, existimante *Ursino*, & quidem, ut addit *Patinus*, *Protriumvirum Coloniæ deducendæ.* Priusquam námque Quirites emitterent Coloniam, tres Viros, in hoc munus jam antea delectos, eum in locum submisêre, qui & situm ejus terrámque explorarent, & spatia agrorum Colonis venturis tribuenda dimetirentur: horum Triumvirorum quempiam si mori, aut quavis denique de causa abesse contigerit, aut impediri, *Protriumvir* substitutus est, qui nempe pro *Triumviro* absente id muneris perficeret. Hoc pacto *Pro-Consul* quoque, *Pro-quæstor*, *Pro-prætor* appellatus est. Id verò minimè pronunciat *Ursinus*, an *C. Marius* per boves in Numo vel novam quampiam Coloniam emissam ab Augusto designârit, an verô vetustam illam in *Vagiennis*, quam *Eporadiam* dixêre, & quam *Vellejus* deductam dicit An. Urb. DCLIII. cùm sextùm Consul esset *C. Marius*, ejusdem *Marii*, quem Numus notat, aut *Proavus*, aut Abavus. VIII. *Ursin. apud Patin. p. 171.*

PUBLIUS. Ad Numum jam II. si libet, accedamus, & ipsum argenteum ac minimum, sed prope omnium, quos teneo, pulcherrimum & integerrimum. Capite ornatur in *Adversa* non parum venerando, in cujus barba cincinni promissi pulcro ordine dependent, & quod venusta laurea exornat. At, quodnam sit illud, minime intelligo. *TULLIUS.* Appositum IX. *Tab. V. Num. II.*

ad dextram nomen : QUIREINUS: quod idem, ac *Quirinus*, an *Romulum* te ignorare sinit ? *Florum* de Rege hoc ausculta. *Hîs ita ordinatis* (inquit) *repentè cùm concionem haberet, ante Urbem apud Capræ paludem è conspectu ablatus est. Discerptum aliqui à senatu putant ob asperius ingenium: sed oborta tempestas, solísque defectio consecrationis speciem præbuit. Cui mox Julius Proculus fidem fecit, visum à se Romulum affirmans augustiore forma, quàm fuisset: mandare præterea, ut se pro Numine acciperent. Quirinum in cœlo vocari placitum Diis, ut Gentium imperiô Roma potiretur.*

Florus L. I. c. I.

X. Nomen hoc è diphtera Jovis indubiè extractum est, qui jam olim, mentiente *Virgilio*, Veneri de filio Ænea sollicitæ inter cætera Viri fata hoc etiam prædixerat : *Remo cum fratre QVIRINVS Jura dabunt.* Nihiloseciùs tamen nominis hujus Etymologiam ab hominibus quærit, atque *Quirinum* vel à *quiri.* i. e. hasta seu telo, vel à *Quiritibus*, vel à *Curibus* devictis profectum esse comminiscitur *Ovidius*, dum cantat.

Virg. Æn. I. 295.

Proxima lux vacua est: at tertia dicta *QUIRINO*:
Qui tenet hoc nomen, *Romulus* ante fuit.
Sive quòd hasta *Quiris* priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit, in astra Deus:
Sive suum Regi nomen posuêre *Quirites*:
Seu quia Romanis junxerat ille *Cures*.

Ovid. Fast. II, 475.

Ad lævamcapitis legis : *Caji.* MEMMI*i.* *Caji.* F*ilii.* Erat is ex gente *Memmia*, quæ cùm ortam se jactaret à comite Æneæ *Mnesteo* (canit namque Virgilius:

Mox Italus Mnestêus, genus à quo nomine *MEMMI*:)

Virg. Æn. V. 117.

idcircò *Quirinum*, ipsius ab Æneæ stirpe progenitum, in Numo suo signavit, ut sibi & Generi suo vetustissimæ originis gloriam æternùm assereret.

XI. *PUBLIUS.* Non minus peregrinus & hospes sum in *Adversa:* latet me sanè omninò, quam videam sedere matronam velatam, cum face, & spicis, serpentibus, ni fallor, invectam. *TVLLIVS.* Ne te longiùs differam, *Cererem* vides, quo nomine *Terram* coluêre, illam nimirum Deam, de qua prædicat *Ovidius:*

Prima *CERES* uncô glebam dimovit aratrô:
Prima dedit fruges, alimentáque mitia terris;
Prima dedit leges.

Ovid. Metam. V. v. 341.

PVB-

PUBLIUS. Jam de *ſpicis* nihil ampliùs dubito, ſymbolis utique frugalitatis, quæ Matrem ſegetum liquidò demonſtrent: ſed & de *face* occurrit, eam Deæ huic *Cereri* ideò fortaſsè additam, quòd eâ accensâ, cùm filiam *Proſerpinam*, ſibi à *Plutone* raptam, undique quæreret, uteretur. *Serpentum* porrò cauſam adhuc ignoro. *TULLIUS.* Monendus mihi hìc es, aliter Numum tuum à Clar. *Patino* depingi: levior námque apud eum fœmina ſellæ ſimplici inſidet, quæ dextrâ colum, ſiniſtrâ ſpicas duas cum papavere geſtat. Tuo verò, ut vides, in Numulo, Matrona aſſidet velata, & gravis, in curru, ſpicas duas dextrâ, ſiniſtra *facem* elatam clariſſimè præ ſe ferens. *Patinum* porrò etiam Clar. *Vaillantium* fermè ſecutum eſſe, lego in *Goth. Numaria*: non tamen *Morellium*, qui *facem* pariter, non *colum* in manu *Cereris* agnoſcit. Parva nimirum in Numis Symbola majori ſui parte atteruntur facilè, & Viros doctos certos eſſe tutósque Oedipos non ſemper ſinunt.

Patin. de fam. p. 172.

Goth. Num. C. II. p. 42.

Nunc de ſerpentibus ne ultra ambigas, *Ovidium* iterum audi. Canit ille de *Cerere*, filiam quærente: XII.

- - - - - - frænatos curribus *angues*
Junxit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.

Ovid. Faſt. IV. 495.

Unde facem habeat, *Cicero* certiorem te reddit, inquiens: *Proſerpinam quum inveſtigare & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammâſſe tædas iis ignibûs, qui ex Ætnæ vertice erumpunt: quas cùm ſibi ipſi præferret, orbem continuò, peragrâſſe terrarum.* Sed amplius aliquid mentiri rurſum audet *Ovidius*, ſubdens:

Cicer. in Verr. IV. 48.

- - - - immenſum eſt erratas dicere terras,
Præteritus Cereri nullus in orbe locus.
Errat & in cœlo.

Ovid. Faſt. IV. 573.

PUBLIUS. Facile jam etiam animus mihi præſagit, quamobrem *C. Memmius* hanc Deam argentô ſuô radiare voluerit: Ludos nempè eundem Cereri feciſſe diſco ex *Legenda*: *Cajus* MEMMIUS. ÆD*ilis*. CERIALIA. PREIMUS. FECIT. *TULLIUS.* Gnaviter legiſti, placétque, nec ad ÆDilis, neque ad CERIALIA, nec tandem ad PREIMUS. te hæſiſſe. *Ædilium* fuiſſe, ut Ludos ederent, jam dudum dixi: deinde *Cerialia* Quirites per compendium ajebant, ſubaudientes Ludicra, aut Feſta, vel Sacra: *Preimus* pro Primus dicere mos erat veterum, quemadmodum & in *Adverſa* legiſti *Quireinus*, non Quirinus. Verumtamen in hoc te decipis, quòd C. hunc *Memmium Ædilem* hìc deſcriptum eundem putes, cum eo, quem laudat *Adverſa*, quique hunc Numum cudit. *Triumvir* erat, XIII.

Ursin apud Pat. p. 73. qui hanc signavit Monetam, ut perhibet *Ursinus*, & gloriæ duntaxat, Genti suæ sibíque adstruendæ causâ, Majorum Avorúmque quempiam laudare voluit à Ludis Cereris, quos *primus* fecerat. Cùm námque tanta esset Quiritum vanitas, & arrogantia, ut nullam honoris umbram ac gloriæ dissimulare vellent, quin eam publicè jactarent, id planè ab iis prætereundum nunquam fuit, si quis Majorum quidquam Fastis dignum *Primus* vel edidit, vel fecit: quod plurimîs exemplîs Ill. Spanhemius pro more suo diffusè adstruit. Spanh. T. II. Diss X. p. 97.

XIV. Nolim attamen credas, hunc *C. Memmium Ædilem*, quicunque fuerit, Ludos Cereris Romæ ita *Primum* fecisse, quasi antea acti non fuerint. Restituit potiùs Ludos aliquamdiu intermissos, quàm instituit: etenim teste *Ludovico Vive*, doctissimo Commentatore Librorum *S. August. de Civitate DEI*, longè profectò ante *Memmium* hæc Cereri festa fiebant. *Livius* námque disertè refert, cùm *Terentius* cladem L. Æmilii ab Hannibale acceptam Romam ad Senatum perscripsisset, *sacrum anniversarium Cereris intermissum esse: quia nec lugentibus id facere est fas, nec ulla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat.* Idem porrò scriptor denuò percenset Anno decimo sexto Belli Punici II. *Dictatorem* (Servilium Geminum) & *Magistrum Equitum* (Ælium Pætum) *Cereales ludos ex senatus consulto fecisse.*

Vives in L. VII de Civit. DEI c. 20. Liv. L XXII p m. 349. Id. L. XXX. p. m. 563.

XV. Ipsos ad Ludos quod attinet, celebrabant eos Matronæ vestibûs albis indutæ, luctum Cereris ob raptam Proserpinam, ejusque cum face peregrinationem repræsentantes, ut filiam inveniret. Romani Sacra eadem vestibûs pariter togîsque candidîs induti inspectabant, siquidem iis observatum, ut tunc Diis gratum esse censerent, si à lætis, nec funere pollutis celebrarentur. Sed & in sacris hisce ante noctem epulatus est nemo, à vino & Venere omnes abstinuêre: intérque præcipua fuerat, ut Sacris initiatos calidâ abluerent primum, quod castitati prodesse sibi persuasêre. Polluti & immundi à Cereris templo arcebantur voce præconis: si porrò impurum quemquam accessisse patuit, capite mulctabatur. In Circo factos esse hos Ludos prodit *Ovidius*, canit enim:

Alexand. ab Alexandro Genial. Dier. L. VI. c. 8.

Ovid. Fastor. IV. 391.

Circus erat pompâ celeber, numerôque Deorum,
 Primáque ventosîs palma petetur equîs.
Hic Cereris Ludi.

Animadvertit tamen *Scaliger*, alios fuisse *Circenses* Ludos, alios *Cereales*: hi námque postremi, ut ex *Kalendario Romano* edisci ait, pridie Id. April. initium habebant, octiduô durantes, ita quidem, *ut primus Cerealium dies mox pompæ Circensi succederet.*

Scalig. Post. L. I. 32.

Cæte-

Cæterùm hæc Sacra Romani à Græcis petebant, ut notat *Gravius* inquiens: *A Cerere, raptam Proserpinam accensis in Ætna facibûs quærente, Ethnici deduxerunt rationem instituti, quo in supplicationibus accensis facibûs longâ pompâ Deorum ad templa adierunt. Ritus ille magna pars sacrorum Eleusiniorum* (en! Græcorum) *fuit: quæ licèt omnium mysteriorum occultissima summô obtegerentur silentiô, id tamen inter cætera emanavit, in iis & gestatas præcipuè, & jactatas faces fuisse.* Psyche enim Cererem sic propitiat apud *Apulejum*: *Per ego te frugiferam tuam dextram istam deprecor: per currum rapacem, & terram tenacem: & illuminarum Proserpinæ nuptiarum demeacula* (quia nimirum in supplicatione faces sine lumine erant) *& luminosarum filiæ inventionum remeacula* (quod à sacris redeuntes ob gaudia filiæ per matrem inventæ exarserint faculæ, XVI. Græv. Thes. Antiquit. Rom. T. XII. p. 997. Apulej. Metam. VI. p. 174.

PUBLIUS. Miror ego tuam hodie de Cerere facundiam: ast, ne quid verum dissimulem, vereor valdè, ne multis haud dignæ videantur hæ fabulæ, in quibus ingenium nostrum teramus. *TULLIUS.* Profectò indignæ sunt, si nil præter fabulas quæramus: cùm verò plenè sapere volueris, multa ex his petere, quæ disciplinæ sint tibi, licebit. Frange nucem, abjice corticem mendaciorum, nucleum mythologicum gusta: Cereris Sacra ad Mensam, in qua jugiter sedes, Dominicam traduc. Nonnè tunc te vestium candor, faces ardentes, suppliciô capitis statuta castitas, prævia sobrietas, arcana Sacrorum Cerealium mysteria erudient probè, quinimò confundent? Neque dubio vacat sacrosanctam Ecclesiam nostram quamplurimos ritus, rejecta superstitione, atque sacrilegîs ethnicorum deliriis, veram ad Religionem, atque Divinum in cultum transtulisse. Nonnè & nos Cererem nostram Divinam, Panem Angelorum, solemni cum supplicatione, albis cum vestibus, ardentia inter lumina deferimus? nonne cum gaudio & tripudio, cum cymbalis & tubis benesonantibus? Nôsse itaque rerum origines, & longiùs subinde vestigare Viri cordati, quibus ratio & prudentia domi sunt, minimè absonum jactant. At quibus, Simiæ more, sua ruditas & ignorantia placent, illi strepunt, illi furunt, illi oleum & operam perdi rerum antiquarum vestigatione plenîs buccîs, totîsque animis vociferantur. XVII.

PUBLIUS. Parce, Tulli venerande, ego hanc bilem si tibi. Hanc opportunam reor discendi rationem, si tirones subinde à Magistris in speciem diffideant, quo uberiùs doceantur. Hoc etenim pacto discunt & ipsi, cùm fortè occasio tulerit, mastigibus artium salubri subinde helleborô medicari. Unum proinde ut adhuc des mihi, neque succenseas, etiam atque etiam te & vehementissimè oro. Erunt fortasse nonnulli, qui dicant, lepidam esse, XVIII.

quàm è fabulis petimus, esto ad id valeant, morum disciplinam: domi nobis, qui lumine fidei illustramur, eandem multò luculentiùs, uberiùs, atque præstantiùs esse, qui Codices sacros, qui Patres, qui Vitæ sanctioris Magistros affatim habemus: Soli facem accendi, aquam mari affundi, cùm à ridiculis Pœnis, & deliris Quiritibus Religionis præcepta repetimus.

XIX. *TULLIUS.* Non ego tibi indignor, sed contra hostes Antiquitatis te munio. Cùm in Musæo tuo sedulus consides, & mortuis auscultas, Libris puto, qui sine temporis furto, sine ambitu, sine mollitie, sine scurrilitate, levitatéque, quam recondunt, sapientiam eloquuntur tibi: dolet hosti antiquo Generis humani, quòd eruditæ intentum lectioni, surdum reperiat suas ad incantationes, neque videat cum sociis intemperantem, discolum, ridiculum, lascivum, detrahentem, aut somnô fœtidô computrescentem. Idcircò doctorum in te concitat senatum, qui terribilibûs te argumentîs profanum, incurium religionis, delirum cum veteribus incusent. Sed sine ista, Publi optime: quid nisi larvæ sunt, prætereáque nihil? Profanum, crede mihi, non lectio reddit, sed finis & actio: ut adeò non malè Grynæus olim ad Lectorem perscripserit: *Bonorum sacra omnia studia sunt: Æquè enim commodis & incommodis, ut vita, sic & vitæ imago historia constat, cujus magna pars fabula. In usu porrò vitæ sita vitæ prudentia est.* Si deinde religionis incuria sit, post ea, quæ DEI sunt, fideliter acta horas reliquas doctô fallere otiô, quæ, obsecro, eorum religio, qui subseciva & benè multa tempora jucundè levitérque cum sociis transigunt?

Grynæus Epist. ad Lector. de utilit. legendæ Hist.

XX. Delirum postremò minimè est, si is, qui cum Apostolo *sapientibus & insipientibus debitorem* se scit, *nox* fiat, ut ad mentem Regii vatis *nocti indicet scientiam.* Quanti hodie sunt, qui *Moysen*, qui *Prophetas non audiunt?* qui *non obediant Evangelio?* Horum noctem obscuram ut penetres, nox certè fias, necessè est. Viros Ninivitas cum eis in judicio statuas; dic, inquam, & doce, & apud Ægyptios, & apud Græcos, & apud Romanos religionem fuisse perpetuam: omnes, cùm bonîs egerent, supplicâsse diis suis, cùm flagella malorum plagásque dolerent, cœlum placâsse. Sic armabis remordentem conscientiam, sic ejus flagella apud duros & incredulos tandem cum sensu sævire efficies. Dixerunt etenim impii: *Non est DEUS:* & quando demum apud hujusmodi verbô DEI proficies? Hi, cùm spiritui resistant, quomodò Ecclesiam audient? quomodo scholarum placita, & dogmata concedent? sanè apud hos tales Timori Domini via per fabulas & historias commodiùs sternenda videtur, nisi talis sis, ut per signa & prodigia possis. Parum aliqui reputant, se DEO, quem non vident, non obsequi: ast contra torrentem hominum, quos vident, eosdem ire cùm docueris, & videbunt stultitiam suam, & palpabunt.

Psalm. 18.

Esto

Esto autem, cum talibus tibi agendum non esse, inspice, obsecro, nobilem hac nostra ætate juventutem: Vide Viros, qui ad clavum Reipublicæ sedent: lustra eorundem, quas splendidè instruunt, Bibliothecas. Quid demum reperies, nisi insatiabilem pruritum vetera pernoscendi? Quàm itaque ille non desipit, qui hos inter Medicum aget prudentem, & graviter morbidis, amara & invisa per se pharmaca, iis ipsis in cibis, quos unicè appetunt, propinat. Doctores hodie rerum antiquarum sunt multi: sed non omnes Patres: ut quisque ipsemet sapit, eloquitur. Cui venenum regnat in venis, quid nisi toxica cæteris afflat? O utinam multi, qui sancta sunt charitate, religione pura, ea scriberent cum charitate non ficta & sancta, quæ nisi exhibueris hodie mundo, à veritate quidem aversabitur, ad fabulas verò, aliorum illitas venenô, convertetur. XXI.

PUBLIUS. Copiosè, me hercle, gravitérque, atque religiosissimè dissèris: nec quod reponam tibi, opportunius habeo, nisi ut candidè profitear, nunc demum me assequi, quod in Religiosissimo Scriptore *Jac. Pontano* è S. J. non parva cum admiratione nuper admodùm legeram. Cùm enim studium suum, quod ad literas elegantiores, & procurandam in adolescentibus latinæ dictionis puritatem adpulerat, tueretur, sic quoque inter alia infit. *Atque ut eò libentiùs huic oneri succederem, fecit perpetua mea in hanc nobilissimam partem studiorum inclinatio, quam florere ac celebrari etiam atque etiam, vehementérque cupio: Cùm & ad usus vitæ plurimos, & ad res difficillimas atque gravissimas, ad Ecclesiam denique Catholicam cohonestandam, contráque vesanos hæreticorum furores tutandam, non leve in ea momentum inesse nulla ratione dubitandum sit.* Quòd si tantùm valeat puritas dictionis, quæ minimæ pars est antiquitatis, quid ipsa veterum poterit Mythologia è pulveribus vindicata, quæ multò ampliùs à quamplurimis flagitatur? Ego proinde dictis tuis, Auspice DEO, quàm qui maximè, quàm qui diligentissimè, obaudiam. XXII.

Pontan. Progymn. Latinit. Volum. I. in Præfat.



DIA-

DIALOGUS XVII.

De Numis T. Minutii Augurini, Q. Minutii, & L. Mussidii Longi.

TULLIUS.

I. *Tab. V. Num. III.* FLuctuans propè de studii nostri æquitate animus tuus, optime Publi, cum fine superioris Dialogi ad ea tecum disserenda me transtulit, quorum causâ hos nostros sermones mutuò conferre non cœpimus. Nunc itaque Numos cæteros, quos habes, familiarum alacriùs jam persequamur. *PUBLIUS.* Argenteus hic Numulus III. *Tabulæ* tuæ V. cùm marginem suum suprà potissimùm temporis injuriæ cesserit, talis certè, qualem tu depinxisti, mihi minimè videri poterat. *Adversa* equidem Caput fœmineum in Galea alata, cæsarie decore defluente, margaritis circùm collum lucentibûs, satis integrè sistit cum titulo: ROMA: quam porrò referat Deam, ignoro. *TULLIUS.* Hujusmodi Caput, quale tuis in Numis sæpiùs deinceps intueberis, *Romam* ipsam designat: quæ, quoniam à *Romulo*, *Martis* filio, mediis in Armis instituta est, armata plerúmque in Monetis depingitur, sive capite, sive corpore toto compareat. Galeæ ejusdem perpetua ob bella jugésque triumphos ferè semper *Ala Victoriæ* affingitur. Magnificè de Armorum ejusdem potentia *Ovidius:*

Ovid. Fast. I.

Roma tuum nomen terris fatale regendis.
- - ipsa suas Roma timebat opes.

Idem porrò Matri ac Patriæ suæ, Orbis ac Gentium Dominæ, invidenda sanè cæteris omnibus Urbibus, at non adeò immerita elogia ita alibi tribuit:

Gentibus est aliis tellus data limite certo:
Romanæ spatium est Urbis, & orbis idem.
Juppiter arce sua cùm totum spectet in orbem,
Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.

PUBLIUS. *Aversam* multis sanè imaginibûs refertam, Legendâ penè omni abolitâ, nisi quòd extrema literarum puncta circumstent, colligere mihi

mihi tantùm non impossibile foret. Conspicua quidem superest columna, virique adstantes: imaginis verò super Colossum, hastæ insuper ac parmæ non nisi postrema supersunt vestigia: spicas verò clarissimè cerno. Ast quid portendant hæc omnia, me penitus latet. *TULLIUS.* Omnis Numi hujus cognitio ab historia pendet. Primùm itaque *Legendam* picto ex Numo sic restituas velim: TI*ti.* MINUCI*i.* C*aji.* F*ilii.* AUGURINI. Nunc porrò Gentis *Minuciæ* historiam ex *Livio* potissimùm accipe. Eam initiô *Patritiam* fuisse, sed *C. Minucium* ex eadem omnium primò ad *Plebem* liberè transisse, posita nimirum seu abdicata Patricia dignitate, ut hac ratione Tribunus Plebis, quorum deni solummodò esse debebant, extra ordinem videlicet undecimus fieret, idque An. Urb. CCCXXIIII. equidem *Plinius* narrat: cui attamen *Livius* manifestè refragari videtur. Sequentia tamen de C. *Minucio* testatur. *Plin. L. XXXIV. c. 5. Livius L. IV. p. m. 1 6.*

II. Cùm An. Urb. CCCXIII. ob cariem annonæ Populi seditio oboriretur, & Patres plebem desidem in agris scilicet colendis, contrà Tribuni Plebis Consulum negligentiam in frumento procurando arguerent: instante plebe, ac Senatu non adversante, Præfectus Annonæ constitutus est *C. Minucius. Eo verò in magistratu melior erat ad custodiam libertatis* (infit Livius) *quàm ad curationem ministerii sui: quamquam postremò Annonæ quoque levatæ haud immeritam & gratiam & gloriam tulit.* Libertatis porrò Custos effectus est, cùm *Spurii Melii* affectatam tyrannidem prodidit. Hic námque Equestri ex ordine, & illis temporibus prædives, rem utilem pessimô exemplô, pejore consilio est aggressus: dum ingentem frumentorum copiam, pecuniis suis antea corrogatam, eo fine liberaliter populo largitus est, ut ejus favore Consulatum capesseret: quin immò & de regno adipiscendo consilia agitavit. Delatus verò ob frequentes apud eum Populi conventus per *C. Minucium*, à Dictatore mox in judicium postulatus, cúmque se sistere nollet, à Magistro Equitum interemtus est. Inspectabat hanc populus cædem, eamque ægerrimè ferre nova jamjam seditione cœperat: sed hanc *C. Minucius*, prædicante id denuò *Plinio*, brevi composuit. Quare tam benè merentem *Minucium* Senatus quidem ob proditam *Melii* tyrannidem, non *bove aurato*, ut equidem, sed corrupte, apud *Livium* legitur, verùm *bove & arvo* (quemadmodum locum istum à *Gronovio* corrigi lego in Gotha Numaria) donavit. Populus verò eidem ob levatam Annonam, & quòd tribus in nundinis frumenta à *Melio* relicta ad assem redegerit, stipe in id conlata extra *Portam Trigeminam* statuam posuit: *Plinius* ait columnam. *Goth. Numar. C. VI. p. 233.*

IV. Nunc nullô negotiô tibi Numum expono, quem T. *Minucius Augurinus* eo consilio excudit, ut in eo decora *C. Minucii* memoriæ restitueret,

unáque & ſuam, & gentis omnis *Minuciæ* gloriam vulgaret: monetæ námque cudendæ præfectus erat, teſte *Urſino*. Columna itaque cum impoſita ſtatua, quam *C. Minucio* Populus poſuit, medium tenet: ſpicæ, quas infra exurgere conſpicis, Præfectum Annonæ deſignant: Vir togatus à dextris, manibûs deferens panes à ſe populo diſtributos, lævoque pede elato globum calcans, *Spurium Melium* notat, qui in fraudem Reipublicæ ac libertatis, conciliatô ſibi per largitiones populô, tyrannidem, ſive Regium affectavit imperium, cujus ſymbolum eſt globus. Virum ad lævam *Urſinus* exiſtimat *Marcum Minucium Feſtum*, qui primus è plebe Augur hac è gente effectus eſt An. Urb. CDLIII. *Livio* iterum perhibente: cujus rei indicium vides lituum, ſeu baculum recurvum, quo Augures uſi. Niſi fortè alius adhuc fuerit è gente *Minucia*, Auguratûs officiô tam dexterè functus, ut exinde cognomen *Augurini* eidem totique familiæ ſuæ adhæſerit: quemadmodum *Marcius* à Cenſura egregiè geſta *Cenſorinus* in Faſtis eſt compellatus. Nomen: ROMA, quod ſupra penès ſtatuam legis, eandem inibi, non alibi *C. Minucio* poſitam teſtatur.

Urſin. apud Patin. p. 179.

V. *PUBLIUS.* Pulcherrimè hunc Numum ex hiſtoria enarrâſti, quæ multam mihi voluptatem attulerat. Aſt, quem nunc teneo, quartum hujus *Tabulæ* Numum ſubæratum, atque minutum, in fabula potiùs mihi requirendus videtur: ad eandem tamen gentem *Minuciam* eum referre deberi *Legenda* me ignorare non ſinit, quæ habet: *Q.uinti.* MINVcii. *TULLIUS.* Pertinet omninò: dubitat tamen ſæpè laudatus *Urſinus*, an *Q.uinto Minucio Caii filio Caii Nepotî, Rufo* cognomine, tribuendus ſit, qui Ædilis plebis fuit An. Urb. DLIII & Conſul cum *Cornelio Cethego* An. DLVI. atque de Liguribus & Bojis in Monte Albano triumphum egit: an verò *Quinto Minucio Q. F. Rufo*, qui Dux in Aſia fuit contra Mithridatem An. Urb. DCLIII. teſte *Appiano*. Nos ad imagines transeamus. *Adverſa Romæ* caput galeatum alatúmque ſiſtit, quale moneta anterior. *PUBLIUS.* Sed Crux ad lævam appoſita ſibi quid velit? *TULLIUS.* Non Crucem, ſed literam X. numeralem exiſtima, Denarii notam, unde diſcas, hanc monetam ſubæratam, quæ argenteam mentiebatur, denos æris, ſeu aſſes valuiſſe.

Tab. V. Num. IV.

Urſin. apud Patin. p. 180.

VI. *PUBLIUS.* Equites nudos, juvenes, pileatosque *Averſæ* quos credam? *TULLIUS.* Par nobile vides Deorum, quibus *Caſtoris & Pollucis* ſunt nomina: atque hi frequenter admodum in Numis Familiarum occurrunt. Eorum Geneſin alia & alia fabula ridiculam reddit. Cum namque vatum omnium mendaciis aſſeratur, *Jovem* in cygnum transformatum, *Ledam*, *Tyndari* Regis Spartani uxorem adamâſſe: alii volunt, eam, ſimul è marito gravidam, uno partu hos gemellos enixam eſſe, &

Caſto-

Castorem quidem immortalem, cùm e *Jove* natus esset, mortalem verò *Pollucem*, utpote *Tyndari* filium. *Tertullianus* econtra asserit, creditum fuisse, eos ovô olorinô exclusos, dum infit: *Ova honori Castoris & Pollucis adscribunt, qui illos ovô editos de Cygno Jove credendô non erubescunt.* Utcunque vero prodierint, tam summa inter eos fuisse animorum conjunctio fingebatur, ut *Castor* immortalitatem suam fratri *Polluci* communem faceret, atque adeo alternis vel annis, vel diebûs, apud Superos alter, alter apud Inferos moraretur; quam in rem canit *Virgilius*: *Tertull. de spectac. c. VIII.*

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties.

VII. In terris cùm essent, equîs unus domandîs, alter cæstibûs, seu Pugilum luctâ delectabatur; qua in exercitatione cùm more patriæ, *Laconum* nempè, pileis uterentur, cum iisdem quoque pinguntur, idcircò *Fratres pileati à Catullo* appellati. Summam porrò ob concordiam alteri mendacio ansam præbuêre, Zodiaco nimirum eosdem insertos, ibidem signum *Geminorum* constituere, quemadmodum nugatur *Horatius*:

Hinc clara Gemini Signa Tyndaridæ micant.

Quod ut innuant, duæ in Numulo tuo stellæ amborum suprà capita micant: quæ si, fervente maris tempestate comparerent, ac veluti carbasis insiderent, bono omine à navigantibus acceptæ sunt, qui se tunc, *Castoris & Pollucis* Numine præsenti pereundi, periculo jactabant exemtos. Author est *Catullus* his versibus:

Ac velut in nigro jactatis turbine nautis *Catull. L. XVIII. 63.*
Lenius adspirans aura secunda venit;
Jam prece Pollucis jam Castoris implorata.

VIII. Romanis Tutelaria fuêre Numina, *Soteres* dicti, i. e. *Servatores*: quo id meritô suô, sic *Florus* enarrat. Latinis Regum Româ expulsorum caussam suscipientibus, utroque à Populo Romano videlicet atque Latino, *ad Regillum lacum diu vario atque ancipiti Marte pugnatum est, tantaque atrocitas fuit prælii, ut interfuisse spectatores Deos fama tradiderit duos in equis candidis: Castorem & Pollucem nemo dubitavit. Itaque & Imperator (Posthumius videlicet Dictator) eos veneratus est, nactusque victoriam templa promisit, & reddidit sane quasi commilitonibus Diis stipendium.* Hoc totum verò excogitatum esse à Posthumio, ut exercitum suum tantò ampliùs ad pugnam animaret, è *Cicerone* animadvertit *Flor. L. I. c. 11.*

T 2 *Fronti-*

Joan. Camert. ad Flor. b. l. Dionys. Halic. L. VI. p. 352. Lexic. Pitisc. voce: Castor.

Frontinus, quemadmodum ad hunc *Flori* locum annotat *Joan. Camertes*. Sed impudentius aliquid insuper comminiscitur *Dionysius*: eâdem videlicet pugnæ vesperâ visos Romæ duos juvenes, qui equos sudore diffluentes in lacu Juturnæ juxta Vestæ templum abluerint, & ante omnes milites urbi nuncium victoriæ tulerint. Quare *Castoris & Pollucis* templum è vestigio Romæ exstructum est; quod sequiori ævô primùm L. *Metellus*, iterum deinde Tiberius Imp. restituit, ac dedicavit. Veteribus porrò in lapidibus *Castor & Pollux* non rarò *Dii magni* appellantur: quoniam implorati à parentibus pro salute liberorum ægrotantium, vitæ gratiam eisdem fecisse iterum iterúmque credebantur.

IX. *PUBLIUS.* Quid mirum, tam felices tot Numinibus Quirites fuisse? Sed si dextra mihi sonuerit tibia, cùm Numi V. typum arripio, fœtidam quàm nescio Deam tantùm non naribus præsentio. *Adversa* quidem speciosa est, caputque fœminæ, Cynthiæ adinstar, radiis undique pandit illustre: *Aversa* porrò, cùm cætera omnia nullus intelligam solo nomine haud integro; CLOACIN. olidum aliquid mihi præsagit. *TULLIUS.* Adverte sis animô: venustissimam siquidem audies ex *Lactantio* fabellam; *Cloacina* (scribit ille) *simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit, & quia, cujus esset effigies, ignorabat, ex loco illi nomen imposuit.* *PUBLIUS.* Belle cum Diis agitur, è cloaca ad aram. *Cloacinæ* itaque nomen, nec aliud, speciosæ huic Deæ? *TULLIUS.* Immò aliud; *Veneris* insuper. *PUBLIUS.* Probè cubat dea tam munda in loco mundissimo. *TULLIUS.* Tu tamen jam patere, ut lumen affundam. Simulacrum audisti *in cloaca maxima* repertum, idolum fortean venustum scitè & affabrè fictum: huic, non quia *Venerem* sisteret (cujus námque effigies foret, ignoratum) sed quia pulchrum erat, Veneris nomen, & quidem *Cloacinæ* adhæsit. Nonnè & nos rei perbellæ atque amœnæ multas inesse veneres jactamus? *PUBLIUS.* Probè te capio.

Tab. V. Num V.

Lactant. Institut. L. I. c. 20.

X. *TULLIUS.* Cloacæ deinde nomen abhorruisse Quirites tantum abest, ut potiùs inter magnifica omnia amplissimæ urbis & ditissima loca cloacas primo propemodum locô connumerarent. Herculem sanè ad Augiæ stabulum sordibus suis mundanda urbs tanta poposcit, de qua fari non addubitavit *Isidorus*: *Roma sola urbs, cætera oppida.* Montibus illa undique incincta, in tanta populorum frequentia, tot plateis viisque amplissimis trita, immensam quotidie colluviem subiit. *Dionysium*, obsecro, audi. *Mihi sanè* (inquit) *tria magnificentissima videntur, ex quibus maximè apparet amplitudo Romani Imperii, aquæductus videlicet, viæ stratæ, & hæ Cloacæ, reputanti non solum utilitatem operum, verùm etiam impensarum magnitudinem: quam vel hinc licet conjicere, quòd,*

Isidor. L. VIII. c. 6.

Dionys. L. III. p. 100.

ut

ut affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando cloacas, quæ aquas non transmitterent, censores mille talentis, (hoc est, sexcentis aureorum millibus) *purgandas locaverint.* Cui ampliorem ut fidem adhibeas, ex *Vitruvio*, quænam fuerint cloacæ, ac cui demum usui, quàm brevissimè, te instituam. Fossæ erant subterraneæ, sive pontes, fornicesque concamerati, ingentis latitudinis & longitudinis, deducti subter medias urbis vias, & universas earum moles, ac pondera domuum, palatiorum, templorum, circuum, amphitheatrorum sustinentes, præterea verò, quidquid demum in iisdem sordium, sive humorum erat, siccantes subitò atque purgantes. Has super cloacas ac fornices earum urbe tota viæ publicæ quodammodo pensiles erant, eæque septem veluti amnes, torrentium instar rapidorum, subter urbem undique decurrentes, quidquid immunda redderet fora, momentô in Tiberim intulêre. Præbuerunt præterea ignibûs subinde furentibûs & grassante incendio, aquarum vim maximam, & si terram moveri contigerit, quod Romæ certè non infrequens est, furenti in terræ visceribus solo fornices isti sub urbe perpetui maxima sui firmitate plurimo urbis ac civium bono obnitebantur.

Vitruv. ap. Pitisc. Lex. antiq. Rom. voce: Cloaca.

XI. *PUBLIUS.* Miranda admodùm dicis, ac propè in eo est, ut *Veneri Cloacinæ* radios suos non tantum opinione mea non demam, sed augeam. *TULLIUS.* Nihil quidem Cloacarum præstantia ad *Venerem*, quæ inde solùm *Cloacinæ* meruit nomen, quòd in Cloaca maxima, ut audisti, inventa sit: quamquam non desint, qui *Cluacinam*, non *Cloacinam* dici debere contendant, *Plinium* sequentes, apud quem legunt: *Ita traditur, myrtheâ verbenâ* (i. e. fronde) *Romanos, Sabinosque, cùm propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco, qui nunc signa VENERIS CLVACINÆ habet. Cluêre enim antiqui purgare dicebant.* Quam certè sententiam multùm confirmat, sustinetque Chronologiæ ratio: neque etenim *Titus Tatius*, Sabinorum Rex, sub quo Virginum raptarum causa bellum Sabinos inter Romanósque jam proximè ardens subitâ concordiâ restinctum est, idolum incertum in Cloaca maxima reperire potuerit, quod suprà *Lactantius* ajebat, quoniam Cloacæ primùm sub *Tarquinio Prisco*, lóngè itaque post *Tatium*, Romæ fieri cœpisse vel ex *Livio* constat. Præstantissimus proinde *Ursinus* mediam reperit viam, cui videtur, gemina Romæ *Veneris Cloacinæ* signa fuisse, *Cluacinæ* à cluendo, seu purgatione Romanorum & Sabinorum dictæ, solus meminit *Plinius:* at *Cloacinam* à Cloaca appellatam, præter supra allatum D. *Lactantium*, SS. quoque *Cyprianus & Augustinus*, *Varro* item atque *Arnobius* diserte adstruunt.

Plin. L. XV. c. 29.

Ursin. apud Pat. p. 184.

XII. Appositè porrò omninò in hanc rem quadrat locus ille, & jocus *Plauti* Comici perantiqui, dum infit:

Plaut. in Curcul. Act. IV. Scen. I. v. 10.

Qui perjurum hominem vult convenire, mitto in Comitium:
Qui mendacem & gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.

Tertull. de Pall. c. IV. p. 50.

Quibus postremis *Plauti* verbis insignem fœneratur lucem *Tertullianus* alicubi inquiens: *Quòd si jam tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cœnulentis pedibûs (ut tori Platonici sciunt) sed omninò totum Empedoclem in adyta Cloacinarum detulisset: ut qui se cælitem delirârat, sorores priùs suas, dehinc homines Deus salutaret.* PUBLIUS. Non minùs ego obscurum reor *Tertullianum*, quàm *Plautum*. TULLIUS. Haud diffiteor; attamen cum Ill. *Spanhemio* incomparabilem tibi Commentatorem doctiss. *Salmasium* adduco, qui obscuris *Tertulliani* scriptis *de Pallio* notas peregregias adjecit, atque hunc locum, ejusdem, non parva alias caligine scatentem, ita ferè exponit.

Spanhem. T. II. Diss. X. p. 191.

XIII. *Diogenes* olim, cum *Platonis* fastum retundere vellet, stratum, seu torum ejusdem cœnulentis pedibûs suis calcavit cum dicto: *Calco fastum Platonis.* Quòd si verò *Empedoclis* etiam ætate vixisset, ejusque fastum, quo se deum à civibus suis Agrigentinis haberi voluit, è dolio suo, quod inhabitabat *Diogenes*, vidisset; profectò, inquit *Tertullianus*, totum *Empedoclem in cloacinarum adyta*, h. e. in cloacas præcipitem dedisset; quamobrem? ut nimirum, quoniam se *cælitem* esse delirârat, *sorores* priùs suas, *Cloacinas deas* seu *Veneres*, putribus undique sordibus fœtidas tabidasque, pari cœno immersus salutaret, deinde sic undique comtus ornatúsque primùm ad homines procederet, colendus ab iis ut deus, quibus liberet stercora adorare. Homine nimirum semetipsum laudante atque extollente nihil undique putidius est: talis porrò cùm esset *Empedocles*, idcircò eidem *Tertullianus Cloacinas* deas veluti sorores attribuit. Pari sensu etiam *Plautus* suprà, mendacem & gloriosum hominem non alibi, quam apud *Cloacinæ sacrum*, seu statuam *Veneris Cloacinæ* conveniri volebat.

Salmas. in Not. ad Tertull. L. de Pall. c. IV.

XIV. Benè tamen ipsi quoque *Salmasio* cessit, viro doctarum Crisium, Philologiæ, Linguæque Græcæ utique peritissimo, se à *Diogene* conspectum non esse, tum præsertim, cùm in regia aliquando Bibliotheca Parisiensi cum summis viris *Gaulminio*, *Mausacóque* versaretur. Illis enim fiducia studiorum suorum dicentibûs, confitere se, quòd si docta omnis Europa eruditione contendere vellet, triadem suam palmæ securam fore: *Et vos*, inquiebat non sine fastu *Salmasius*, *cæteris accedite*, *solus ego omnibus vobis*

Lexic. Erudit. Lipsiens.

vobis suffecero. Erat nimirum Crisi in omnes asperrima, quósque reprehenderat aliorum errores, eosdem inhumanissime atque inclementissimè habuit, certò certius à *Plauto* ad Cloacinæ sacrum conveniendus. Cæterùm ut puer decennis jam græcîs ac latinîs versibûs egregie valuît: annô ætatis XV. *Florum* edidit: quamplurima præstantissima orbi erudito scripta reliquit: à *Christina*, Seciæ Regina, tanti habitus, ut ei aliquando frigenti focum ipsamet succenderit. Conjugem ejus admodùm ambitiosam docti illius temporis per jocum *Junonem Salmasianam* suis in epistolis appellavêre.

PUBLIUS. Quò te hodie vertit Calliope, Tulli venerande? Egregiè à te adducta hæc singula: ast eccur L.*ucius.* MUSSIDIUS LONGUS, qui in Numo describitur, *Venerem* signârit *Cloacinam*, necdum hactenus edixisti, neque cæteras imagines exposuisti. *TULLIUS.* *Ursini* Celeberrima sententia est, hunc *Mussidium* gentis suæ vetustissimam originem à Sabinis hoc pacto prædicare voluisse: *Venerem* námque istam *Tatius* Sabinorum Rex reperit atque dedicavit. Et quoniam hoc simulacrum in Foro *Comitiorum* colebatur: idcircò in *Aversa* expressit *cancellos*, quibus locus *Comitiorum* incinctus erat, adjectâ à dextris scalâ, portâque, per quam ad *Comitia* vocati sunt intromissi. Ibidem namque convocatis seu Tribubus, seu Curiis, sive Centuriis Populi, eligebantur Magistratus, vel Plebiscita edebantur, sive de Bello aut de Pace consilia agitabantur, hoc pacto, ut, quorum id fuerat, suffragia sua in urnas immitterent: id quod in Numo geminas personas togatas actu agere vides. *Cloacin.* infra adscribitur, quoniam hoc forum *Comitiale* propè *Cloacas* erat, ubi & *Venus Cloacina* colebatur. *PUBLIUS.* Nullus profectò in his eram: navem namque hic demum me intueri arbitrabar. Nunc porrò mihi superest nihil, quàm ut abs te interrogem, quis fuerit iste *L. Mussidius* Longus? *TULLIUS.* Nihil præterea de eo mihi liquet, quàm quòd *Ursino* Præfectus monetæ cudendæ sub Augusto fuisse videatur. XV.



DIA-

DIALOGUS XVIII.

De Numis L. Papii Celsi, & P. Petronii Turpiliani.

PUBLIUS.

I. EN tibi *Serratum* denuò Numum minutum argenteum, atque attritum, singulas tamen imaginum species, quas in *Tabula* tua V. sextô locô pinxisti, commodum adhuc referentem. Quid porrò lepidum magis capite humano-caprino *Adversæ* ? fortean divinum sit, nomine ejus in tabella pone descripto: PAPI. TULLIUS. Deam, non Deum, crede, nempe *Junonem Sospitam*, quam alii *Sispitam* dicendam contendunt, *Festum* sequentes, dum infit: *Sispitem Junonem, quam vulgò Sospitam appellant, antiqui usurpabant, cùm ea vox ex græco videatur sumta, quod est σώζειν.* Idolum hoc primô coluit locô *Lanuvium* sive *Lanivium* Jtaliæ urbs in agro *Laurente:* quocirca *Ovidius* ipsam Junonem sic loquentem inducit:

Tab. V. Num. V.

Fest. in Lex. Pitisc.

Ovid. Fast. VI.

Et populus Laurens, Laniviumque meum.

Ursin. apud Pat. p. 197. Notat verò hoc de *Lanivio* præstantissimus *Ursinus* hunc Numulum tuum pingens, atque exponens, sæpe apud scriptores *Lavinium* pro *Lanivium* legi, insigni errore scribarum, ac utriusque urbis historiam & fata ineptissimè confundi.

II. Porrò sacra *Junonis Sospitæ*, ut *Pighius* recenset, à Numa Pompilio Rege Romæ instituta fuêre ritu Aboriginum antiquissimo, quo Lanuvii superstitiosissime colebatur: Consules præterea imperium suum ab ejus sacris benè beatéque inchoare consueverunt, quemadmodum liquet è verbis *Ciceronis*, ita pro Muræna declamantis: *Nolite à sacris patriis Junonis Sospitæ, cui omnes Consules facere necesse est, domesticum & suum consulem potissimum avellere.* Idem Consularis Orator formam quoque idoli alibi hoc pacto enuntiat. *Fingebatur cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis.* Caprâ eidem immolabatur, ut, cùm *Sospita* esset, i. e. fausta cuncta & felicia redderet, animalis fœdissimi.

Pigh. Annal. Rom. L. XI. p. 197.

Cic. pro muræna c. 41.

Idem de Nat. Deor. L. I. c. 29.

diſſimi, ſi qua eſſent omina ſiniſtra, averteret: Capram namque fœto-
ris, ac laſciviæ, morbique item comitialis cauſa, cui hoc pecus frequenter
obnoxium, nec comedere ſ, neque tangere, immò ne nominare quidem *Plutarch.*
veteres aliàs voluêre, teſte *Plutarcho*. *Quæſt. Roman.* 109.

III. Cùm verò Bellô Punicô II. ante cladem C. Flaminii Cos. per Hanni-
balem eidem illatam, crebra portenta triſtia præcederent, ſcribit *Livius*, *Liv. L.*
Decemvirorum monitu multa Diis ſacra decreta fuiſſe, atque inter hæc, *XXIII. p.*
ut Junoni etiam Sospitæ Lanuvii majoribûs hoſtiîs ſacrificaretur. Idem *m.* 323.
deinde ſcriptor alibi recenſet, cùm Cl. Marcellus Conſul fieret, eo- *Idem L.*
dem anno præter alia prodigia *ſigna quoque Lanuvii ad Junonis So-* *XXIII. p.*
ſpitæ (ſupple: ædem) *cruore manâſſe, lapidibusque circa id templum* *m.* 369.
pluiſſe, eúmque ob imbrem novendiale, ut aſſolet, ſacrum fuiſſe. Sa- *Acerr. nov.*
cra autem *Junonis Soſpitæ* primâ Februarii fiebant, quo menſe, quo- *Phil. P. II.*
niam ultimus erat anni, Quiritum ſuperſtitio contentioſiſſima fuit in ſui à *p.* 891.
delictis expiatione: quam in rem ſic *Ovidius* cecinit: *Ovid. Faſt.* *III.* 135.

Februa Romani dixêre Piamina patres.

IV. *PUBLIUS.* At cujus rei demum gratiâ argentum *Lucii.* PAPI*i*,
quemadmodum lego in *Averſa*, propitiam hanc Deam caprigeram refert?
TULLIUS. Ut videlicet gentem ſuam *Papiam* oriundam fuiſſe *Lanuviô* *Spanb. T. II.*
prædicaret, adeóque antiquiſſimam: cui proinde, animadvertente Ill. *Diſſ. X.*
Spanhemio, omninò quadraret, quod de Milone cecinerat *Silius*: *p.* 14.

Lanuvio generate, inquit, quem Siſpita Juno *Sil. L. XIII.*
Dat nobis. *v.* 364.

PUBLIUS. Invitâ itaque Minervâ ſupra conjeceram, nomen PAPI.
poſt caput *Junonis* parvula in tabella expreſſum, quale hoc foret idolum,
forſitan eloqui. *TULLIUS.* Totô profectò cœlo aberrâſti, cùm Dei
nomen non ſit, ſed *Legem* innuat *Papiam*, quam *C. Papius* Tribunus ple-
bis An. Urb. DCLXXXVIII. L. Cotta, & L. Torquato Coſs. tulerat,
ne quis Peregrinus in urbe eſſet: quam æquam haud fuiſſe teſtimoniô li-
quet *Ciceronis* inquientis: *Malè etiam* (ab his videlicet ſtatutum) *qui* *Cic. de Offic.*
peregrinos Urbibûs probibent, eóſque exterminant, ut Pennus apud Pa- *L. III.*
tres noſter, PAPIUS nuper. Laconicè interim hìc *Papius*, ſolam tabu-
lam, cui Lex inſcripta, pingens, Tribunitiam Avi ſui poteſtatem innuit,
ſimúlque ab eo & ſibi & genti ſuæ gloriam conſcivit: ſummo etenim apud
veteres honori datum eſt, Legem proprio nomine inſcriptam promulgâſſe.
Optimè id tibi conjicere licet è verbis illis Oratoris aurei Antiocheni, di-
centis in ſimili argumento: *Habebunt nepotes, ac nepotum filii, quod* *S. Chryſoſt.*
ſciſcitantibus referant, quòd ille ſcilicet præclaram illam legem primus tu- *Hom. XLIX.*

 lerit.

Dio Caſſ. L. XXXVII & XXXVIII. *lerit.* Inde erat, quòd Cato in odium *Cæſaris* legum ab eo latarum cognomen, videlicet *Juliarum*, juxta quas tum judicia fiebant, in Prætura ſuppreſſerit, referente *Dione*; qui jam ante quoque narraverat, *Metello* infeſtos Senatores legi ab eo latæ nomen *Metelliæ* detrahere molitos eſſe.

V. *PUBLIUS.* Quæ porrò *Averſam* beſtia occupat alata, roſtrôque & unguibûs minax? *TULLIUS.* Gryphem exiſtima, Græcorum præſertim in Numis identidem obvium; quod quidem monſtrum, ut apud diligentiſſimum omnis rei Numariæ veſtigatorem, Ill. *Spanhemium* lego, *Plinius* fabulæ tribuit, inquiens: *Pegaſas equino capite volucres, & Gryphas aurita aduncitate roſtri, fabuloſos reor, illos in* Scythia, *hos in Æthiopia.* *Cteſias* econtra cum pluribus aliis, qui ad Euphraten Gryphos à ſe inſpectos tradunt, veras hujusmodi beſtias omninò agnoſcit, atque, *Aves* eas eſſe *quadrupedes, lupi magnitudine, cruribûs & unguibus leoninis, pennis in pectore rubris, reliquo corpore nigris.* Adſtipulari eidem & *Servius* videtur, ad illud *Virgilii*: *Jungentur jam Gryphes equis:* ſubſcribens: *Gryphes Hyperboreis naſcuntur in montibus, omni parte leones, alis verò & facie aquilis ſimiles, equis vehementer infeſti, Apollini autem conſecrati.* Mediam hic inire viam videntur, qui cum *Benjamino* Rabbino *magnas Aquilas Gryphes dictas* exiſtimant, minimè tamen *quadricrures*, ſive quadrupedes. Quare & *Æſchylus* Poëta Tragicus, qui aliàs Aquilas *veloces Jovis canes*, ſemper nimirum eidem adſtantes appellitat, *aduncis* quoque *roſtrîs præditos mutos Jovis canes Gryphas cavere pariter* præcepit.

Spanh. T. I. Diſſ. V. p. 270. Plin. L. X. c. 49. Ctes. in Indic. c. XII. Serv. ad Virg. Eclog. VIII. v. 27. Rabbi Benjamin. in Deuter. c. XIV. Æſchyl. in Prometh. Act. V. v. 802.

VI. Utcunque ſe res cum Gryphibus habeat, doctiſſimè è Numis *Spanhemius* interim adſtruit, Gryphas quadricrures & *Jovi*, & *Apollini* & *Nemeſi* tribui ſolere. Eccur autem ſuo in Numo *L. Papius* Gryphem expreſſerit, nec laudatus Ill. Vir, neque *Urſinus*, Patinúsve, neque *Liebe* in *Gotha Numaria* edicit, qui tamen omnes hanc monetam depingunt: poſtremus id ſolùm animadvertit, hunc Numulum à præſtantiſſimo *Morellio* in opere ſuo MS. de familiis Romanis, quod in Theſauro Fridericiano ſervatur, quinquagies quater in aliquo ſaltem à ſe ipſo diverſum depingi. Sententiâ quidem Clar. *Vaillantii* Gryphs in hoc Numo *Ludos Apollinares* deſignare putatur: id tamen haud probat Ill. *Spanhemius*, eò quòd *Junoni Siſpitæ* nihil prorſus cum Ludîs iſtis commune videatur. Noli ergò, ut, tacente tanto Eruditorum ſenatu, improvidam ego aleam intempeſtivus conjector coram te jaciam; omnibus ſiquidem convenit Eruditis, profundos veteris ſapientiæ receſſus quibusvis doctorum vigiliis magna tamen, immò maxima ſui parte inacceſſos manere. Sub Gryphe quod vaſculum tripes impoſitô globulô aſſiſtat, non minus reconditum: fortè tripodem liceat arbitrari Apollini ſacrum, ſi tamen beſtia ipſa alata hoc Numen portenderet.

Goth. Num. C. II. p. 34. Spanh. T. II. Diſſ. X. p. 13.

PUB-

PUBLIUS. Quis verò Numi VII. tuo munere apud me typici sensus, ab eodem, ut lego, *Lucio* PAPI*o*. CELSO excusi? In *Adversa* petasus alatus, atque Caduceus *Mercurium* palam eloquuntur: *Aversa*, ni fallor, lyram *Apollinis* reddit, aut vaccæ, aut tauri è cornibus fictam. *TULLIUS.* Non te fallit *Mercurius*: eidem tamen ut lyram, non verò Apollini, tribuas, postulat *Ursinus*. Quò verò utrúmque pertineat in hoc Numo, eodem fatente, *in tanta Antiquitatis ignoratione ne suspicari quidem licet. Lyram* interim *Mercurii*, & *Apollinis Citharam* distingui oportere monet *Pitiscus*, qui de lyra ex Homero sequentia adducit. *Mercurius sectos calamos per oras testæ supinæ trajicit, quibus tergum bubulum tanquam operculum adglutinavit, ita ut calami ipsi corio pro fulcro essent.* Brevibûs hîs verbîs erudiare oportetet, ut lyram, quæ villas bubulas præfert, *Mercurii*, non *Apollinis*, dicas. De cornibus porrò fila stipantibus Pollux tibi audiendus, cùm infit: *Arundinem hypolyrium nominârunt, quòd olim lyris cornuum locò apposita sit. PUBLIUS.* Paucîs multa hoc de Numo me docuisti, quamquam de *Mercurio* nihil: quem, ut opinor, ad Deos cæteros differs. *TULLIUS.* Iterum deorum hic nuncius iterúmque cæteris in Exercitationibus nostris occurret. VII. Tab. V. Num. VII. Ursin. apud Patin p. 199. Homer. in Mercur. apud Pitisc. voce: Lyra. Pollux in Onomast. L. IV. c. 9.

PUBLIUS. Typum itaque Numi VIII. arripio, cujus *Adversa* vultu & nomine prædicat *Augustum*: At verò *Aversa* alata, & monstro simillima Tibicen unde domo? *TULLIUS.* Ipsa quoque *Augusti* præconem se sistit. Cùm námque *Publius*. PETRONIUS. TURPILIANUS in Numo descriptus Triumvir fuerit sub *Augusto*, existimat *Ursinus*, eundem *Neapolim*, ab eodem Monarcha instauratam, innuere atque memoriæ prodere voluisse, & ideò *Parthenopen*, unam *Sirenum* ac fortè præcipuam, æri suo intulisse: quoniam Cumani in illo propemodum litore, ùbi nunc *Neapolis* sita est, coloniâ à se emissâ Urbem exstruentes, & *Parthenopes* corpus ibidem condentes, Civitatem ipsam *Parthenopen* appellâvere. Ut verò, testo *Goltzio*, filia matrem colonorum frequentiâ ob nimiam agri fertilitatem superare occœperat, Cumani veriti, sedes suas hoc pacto omnino deserendas, *Parthenopen* iterum diruerunt. Vix tamen jacuit Urbs, terribilis lues Cumanos invasit: contra quam ab Apolline opem flagitantes, jussi sunt ab eodem, dirutam civitatem condere denuo. Ergò iterum Urbem erexêre, eidem *à novitate Neapolis* nomen indentes, priori verò *Parthenopis* appellatione solis Poëtis relicta: qua inter cæteros usus est similiter *Virgilius*, dum *Georgica* sua ita concluderet: VIII. Tab. V. Nu. VIII. Ursin apud Patin. p. 105. Goltz. Sicil. Mag. p. 209.

Illo Vergilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiîs florentem ignobilis ocî, Virgil Georgic. IV. in fine.

Carmina qui lusi Pastorum, audáxque juventâ
Tytire, te patulæ cecini sub tegmine fagi.

Spanh. T. I. Diss. V. p. 251. *Neapolim* porrò per *Sirenen* à *Petronio* hoc suo in Numo indicari pariter Ill. *Spanhemius* consentit; ex quo de *Sirenibus* nonnulla bono tuo excerpo.

IX. Dixit illas *Euripides* in Comicis suis *Alas ferentes juvenes virgines*: & *Ovidius* easdem veluti allocutus, ita infit:

Eurip. in Helen. Act. V. v. 166. Ovid Metam. V. 553.

Pluma pedésque Avium, cùm Virginis ora geratis.

Aldrovandus quoque in *Ornithologia* fusè de *Sirenibus* agit, reprehensus tamen à *Spanhemio*, quòd easdem superiori corpore aves, inferiori Virgines à Grammaticis Græcis describi perperam omninò asseveret: immò ne fabulosis quidem accenseat, sed earum vestigia superioribûs annîs Neapolitanis in oris deprehensa confingat, faciliori, ac par erat, fide nescio quibus adhibita. Sunt autem *Sirenes* citra dubium solius fabulæ partus, quæ comminiscitur, easdem Junonis hortatu dulcedine cantùs cum Musis contendere ausas: quemadmodum eleganter *Ausonius* cecinit:

Auson. Eidyll. XI. v. 21.

Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ
Ter tribus ad palmam jussæ certare Camænis
Ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.

Vicêre in palæstra Musæ, ac proinde Æmulas suas *Sirenes* in Semi-volucres converterunt: vel, ut *Pausanias* somniat, iratæ jam ante volucribus pennas suas evulserunt, è quibus triumphales sibi coronas texuêre. *Stephanus* econtra *Byzantius*, atque *Suidas* malunt (quando enim mendacia ritè sibi constarent?) *Sirenes* ipsas, cùm Camænis succumberent, præ dolore pennas suas sibi extraxisse, séque in mare ultrò præcipites dedisse. Quamquàm denuò alii non Musarum, sed Ulyssis causâ, sic in se ipsas desæviisse *Sirenes* mentiantur: cum namque Ulysses cum sociis Græciæ, patriam suam repetere volens, immensîs in mari periculis agitaretur, ad Siculum quoque fretum delatus, ne à *Sirenum* doloso cantu ad eos pertraheretur scopulos, in quibus pereundum foret, sociis quidem suis aures cerâ obturâsse scribitur, se ipsum verò ad malum navis arctissimè alligari præcepit.

Pausan. L. IX. Steph. Byz. & Suid. voce: Ἄπτερα

X. Non minùs verò, ac *Aldrovandus*, Pictores nostri à vero aberrare dicuntur Ill. *Spanhemio*, qui *Sirenes* ceu semi-pisces depingunt, cùm semi-volucres à veteribus omnes scribantur; quemadmodùm & Numus tuus *Parthenopen* Sirenum principem cum aquilæ pedibus expressit. Virgines porrò, quæ in pisces desinunt, *Nereides* sunt Deæ marinæ, minimè verò *Sirenes*. Meritò præterea mirandum eidem celeberrimo Viro videtur cum *Bochar-*

to,

to, cur LXX. Interpretes varia Testamenti Veteris loca, ubi legitur de animalibus, quæ in desertis procúlque à mari dissitis locis, silvis tesquísque commorantur, atque Hebræo idiomate *Dracones* sonant, ac *Struthiones*, per Græcam nihilominus vocem Σειρῆνας, i. e. *Sirenes* reddere voluerim: cujus equidem rei causa fòrsitan esse potuerit, quòd, cùm *Sirenes* ab Hebræa vel *Phœnicia* voce *Sir*, i. e. *Canticum* eis dictæ viderentur, lugubrem earum cantum esse existimârint, cujusmodi *Draconum* etiam est, & *Struthionum*, quos proinde *Sirenes*, quasi *lugubrè canentes* appellârint. Verumtamen vatum omnium ore *Sirenum* cantus suavissimus dicitur: qui, si quando *lugubris*, *luctuosus*, *perniciosus* dicatur, mærorem vocis non indicat, sed luctum & perniciem eorum, qui suavibûs *Sirenum* vocibûs malè illecti ad interitum ducebantur. Liquidum omninò id reddit hoc unum Claudiani epigramma sanè venustissimum heroïcis versibûs exaratum hunc ferè in modum:

Dulce malum pelago Siren, volucrésque puellæ
Scylleos inter fremitus, avidámque Charybdim
Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra, *Claudian. in Epigram.*
Blanda perîcla maris, terror quoque gratus in undis.
Delatîs licèt huc incumberet aura carinis,
Implessentque sinus venti, de puppe furentes,
Figebat vox una ratem, nec tendere certum
Delectabat iter reditus, odiúmque juvabat,
Nec dolor ullus erat, mortem dabat ipsa voluptas.

XI. Ut porrò Mythologi his tantis è fabulis *utile* illud, quod *cum Dulci miscere* Poëtæ sibi solemne jactabant, eruerent, quidam eorum dixêre, per *Sirenes* intelligendos fore scopulos quosdam, in quos, ubi mare angustissimum erat, illisi fluctus cum suavitate quadam resonuerint, soníque peregrini curiositate illectos navitas ad se pertraxerint: quò cum pertingerent, procellarum impetu quantocyus sunt absorpti. Meliùs tamen mihi *Servius* conjicere videtur, dum inquit: *Sirenes secundùm fabulam tres in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis & Calliopes Musæ filiæ: harum una voce, altera tibiis, alia lyrâ canebat. Secundùm veritatem fuêre meretrices, quæ quoniam transeuntes ad egestatem traduxêre, iisdem naufragia inferre sunt fictæ.* Suffragatur eidem egregiè *Fulgentius* subscribens: *Sirenes volatiles, & inde ostentant gallinaceos pedes, quia libidinis adfectus omnia, quæ habet, dispergit.* *PUBLIUS.* *Sirenum*, obsecro, quæ nomina fuêre? *TULLIUS.* Qui tres solummodo *Sirenes* fatentur, *Parthenopen* unam,

Serv. ad Virgil. Aeneid. V. v. 864.

Fulgent. Mythol. L. I.

unam, alteram *Lisiam*, *Leucasiam* tertiam appellant. Notante tamen Ill. *Spanhemio*, non defuêre ex veteribus, quod *Procli* authoritate edicit, qui octo *Sirenes* fuisse contenderunt. Verumtamen mittamus jam tandem has fabulas, & ad residuos duos *Familiarum*, ac V. hujus *Tabulæ* Numos convertamur.



DIALOGUS XIX.

De Numis L. Surdini, & L. Valerii Flacci.

PUBLIUS.

I. *Tab. V. Num. IX.* NUmus IX. apud me Æreus medius haud multùm nos morabitur: in *Aversa* námque grande intra sertum laureum hanc duntaxat habet Legendam: AUGUSTUS. TRIBUNITia. POTESTate. *Aversa* circa literas trabales S. C. Triumvirum Monetalem ita describit: *Lucius.* SUDINUS IIIVIR. *Auro. Argentô. Aere. Flando. Feriundo.* *TULLIUS.* Rectè equidem singula: verumtamen in *Jobert. Instr. VI, p. 155.* *Adversa* dicere *Legendam* non debueras, sed *Inscriptionem*, ad mentem Doctiss. *Joberti.* Ea etenim verba, quæ circùm extimam Numi oram sunt posita, *Legenda* appellitantur: ast, quæ omisso capite, aliîsque imaginibûs mediam Monetæ aream implent, *Inscriptio* audiunt inter Eruditos. *Laureum* porrò *sertum* otiosum haud credas: recentem námque *Augusti* Victoriam tum, cùm excuderetur moneta, relatam indigitat. *Tribunitiam Potestatem*, quæ jam in *Tab. III. Num. III.* occurrerat, tunc equidem ad proximam nostram *de Numis Impp.um* Exercitationem distuli: sed quoniam facilè animus meus mihi præsagit, quantum jam nunc eandem pernoscere cupias, pauca saltem de eadem quàm mox tibi suggeram. *PUBLIUS.* Immensùm de hac tua in me benevolentia gaudeo: nôsti nimirum: *Bis dat, qui citò dat.*

II. *Flor. L. III. c. 13.* *TULLIUS.* De tribunitia Potestate omnium primum audias *Florum* ita conquerentem. *Seditionum omnium causam Tribunitia Potestas excitavit, quæ specie quidem Plebis juvandæ, cujus in auxilium comparata est, re tamen Dominationem sibi aquirens, studium populi & favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus species*

Æqui-

Æquitatis. - - - - *Sed hæc ipsa in perniciem redibant, & misera Respublica in exitium suum marcesserat &c.* Nomen porrò *Tribunorum* à *Tribubus* ortum, quarum principes, cùm domi versarentur, Tribuni citra additum audiebant, cùm Populus ad bella procederet, Tribuni militum sunt compellati. Et Romulus quidem principiò populum suum in Patres, & Plebem discrevit: Patribûs verò authoritate sua variè abusîs Plebs tandem commota, cùm contra Æquos arma verti debuerant, Consules cum Patriciis deserens, superato fluvio *Aniene*, montem obsedit: nec antè ad obsequium redigi poterat, quàm à Patribus obtineret, ut sua è sorte Magistratus quospiam eligere posset. Hac sibi facultate pertinaciùs vindicata, tres, quæ tum erant, Populi Tribus, duos sibi *Tribunos*, quos *Plebis* dixêre, elegerunt. Fidem horum tibi *Cicero* faciat. *Tanta igitur* (inquit) *in illis virtus fuit, ut anno XVII. post Reges exactos propter nimiam dominationem potentium leges Sacras sibi constituerent, duos Tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie Mons sacer nominatur, in quo armati consederant, æterna memoria causâ consecrarent.* Cicer. L. I. in Acer. nova Philol. P. II p. 159.

III. Posteaquam verò Populus quinque in Curias tributus fuit, totidem sibi Tribunos Plebis creabant: donec eorum numerus ad denos usque excrevit. Hos tamen è plebe semper quidem esse oportebat: nihilo seciùs verò Senatus variis artibûs non adeò longè pôst effecit, ut Plebs Consulares duos adoptaret. Deinde plures è Patriciis ea solummodò de causâ ad plebem transiêre, ut hoc Magistratu potiri possent: ultimò tandem lege etiam lata *Tribunus Plebis* esse nemo ampliùs poterat, nisi qui senatoria priùs dignitate claruerit. Litem veterum, an *Tribuni Plebis* veri Magistratus nomine venire debeant, hìc minimè dirimo: veriùs interim id negare alii, quàm alii affirmare Eruditiss. Prosecutori *Acerræ novæ Philologicæ* videntur.

Præcipuum eorum munus fuerat, ut *intercederent*, sive contradicerent Senatus Consultis, quibûs jura utilitatésque plebejorum violari viderentur. Quod equidem ab iis fieri non debebat, nisi Senatus Reipublicæ bono liquidò contraiisset: ast boni *Tribuni* affectibûs suis, aut muneribûs in diversa variè acti, jus fásque tantò securiùs audaciúsque prætergressi sunt, quantò certiùs noverant, Plebis se contensiosissimô studiô crebrîsque seditionibûs oppidò sustentandos. Cui parum etiam oberat, *Intercessionem* fieri haud potuisse, usquequo illa, quæ agitabatur, quæstio, pluribus à privatis, expensîs libratisque utriusque causæ momentîs, exploraretur. Qui *intercesserat Tribunus*, id unum dicebat: *Veto*; quod cùm factum esset, vim suam omnem omnia Senatus Consulta citra dubium perdidêre. Satis insuper erat, vel unum e Tribunis *vetâsse*, etsi novem cæteri à parte Senatûs unanimi sententiâ stetissent. Rursum eapropter ad *Ciceronem* provoco,

co, ut rem tantò penitiùs inspicias: hic de eo Senatus Consulto, quo ipse ab exilio revocandus erat, ita ad Quirites præter cætera inquiebat: *Atque eo die confecta res esset* (ut videlicet ego revocarer) *nisi is Trib. pleb.* (Atilius Gavianus) *quem ego maximis beneficiis Quæstorem Consul ornaveram, cùm & cunctus Ordo* (Senatorius nimirum) *& multi eum summi Viri orarent, & Cneus Oppius socer optimus Vir ad pedes ejus flens jaceret, noctem sibi ad deliberandum postulâsset.*

Cicer. Orat. ad Quirit. post redit. C. V.

V. Cùm proinde tam summa esset *Tribunorum* potestas, nocte nulla, immò ne diem integrum eisdem licuit ab Urbe abesse: non raro vel portâ Civitatis egredi non audebant. Fores verò eorum patere omnibus jugiter debuêre, à quibus ne miserrimos quidem aut vilissimos arcere licebat. Ipsi *Tribuni Sacrosancti* erant, quos verbô factôve offendere neque Consulibus, neque Pontifici Maximo, minùs cæteris omnibus indultum. Munus eorum annuum erat, quod interea dum gererent, nisi omninò à justitia recesserint, plebis favoribûs, cujus commoda à *Tribunis* tantopere pendebant, haud difficulter nitebantur, fruebantúrque: ac tanta erat apud omnes eorundem opinio, & metus, ut nemo nullus cum eis contendere auderet. Unde mox, ut captivorum quispiam *Tribunum* imploravit, aut ei traditus, aut liber dimissus est: immò cùm Consules aliquando denos militum custodiâ eximere nollent, ipsi in Custodiam plebis importunitate sunt detrusi.

VI. Convocare populum semper eisdem licebat, coram quo sibi invisos ita detulêre, ut spe omni populari exciderent: nonnunquam Senatum quoque ciere non verebantur. Rogationes eorum, Plebiscita, ac Leges, quantum Populo favebant, tantùm plerúmque Patribus ac Senatui derogabant. Tandem *Sulla* Dictator, cùm jam res eò devenisset, teste *Livio*, ut *datus sub jugum Tribunitiæ Potestatis Consulatus fuerit*, eorum auctoritatem plurimùm imminuit, legúmque ferendarum facultatem eisdem ademit. Illo autem decedente Consules novi M. Crassus, atque Cn. Pompejus, ut Plebi faverent, *Tribunos* ejus in integrum ferè restituerunt: usquequo tandem sub Augustis nomine propè solo duntaxat gauderent, muneris porrò rationem haud aliter quàm è voto Principum, Rempublicam omnem convellentium, exigere deberent. Dicendum jam foret, quo pacto ipsi Augusti *Tribunitiam* gesserint *Potestatem*, quantúmque à *Tribunis* ipsis differrent: sed hoc demum alteri loco reservo.

Liv. L. IV. c. 26.

VII. *PUBLIUS.* Jucundissima mihi narrâsti, & tantò quidem gratiora, quantò fabulis historia præstat. *TULLIUS.* Eruditus ut sis, & fabulam, & historiam sedulò discas oportet: quarum quælibet utrámque in re Numaria paginam implet. *PUBLIUS.* De *Lucio* verò *Sudino* nihil, quod commemores, celebre restat? *TULLIUS.* Nullus eorum, quos mihi consulere

ſulere licuit, *Sudinum* aliquem prodit, & ne apud Clar. quidem *Patinum* Numum hunc tuum offendi; qui tamen in Gente *Nævia* duos redhibet æreos Numos, unum cum capite Auguſti, alterum cum corona non laurea, ſed quernea, ac verbis: *Auguſtus Tribunic. Poteſt.* In *Averſa* verò unius circà S. C. legitur: L. *Surdinus* &c. in altero deinde Numo: L. *Nævius Surdinus* IIIVir A. A. A. F. F. Haud immeritò itaque ſuſpicor, Numum tuum adulterum, in quo fraudulentus cælator per ignaviam ſuam, lauream coronam pro quernea, & Sudinus locò Surdinus æri ficto inſculpſerit. Rudior certè eſt Moneta & omnis ejuſdem forma, quàm ut elegantiſſimæ arti Quiritum ſub *Auguſto* florentiſſimæ congruere poſſit. Genti autem *Næviæ* non minimam gloriam addidit, ex eadem unum primorum *Tribunorum Plebis* An. Urb. CCLX. aſſumtum fuiſſe, cùm primum hanc Plebs poteſtatem à Patribus extorſit, quemadmodum præſtantiſſimus *Urſinus* ex *Livio* aſſeverat. *Patin. de Fam. p. 186.* *Liv. L. XIX.*

PUBLIUS. Reſtat itaque, ut cum X. Numi apud me minuti & ſubærati expoſitione & *Tabulam* tuam V. & omnem apud me Conſularium, ut ajunt, monetarum numerum exiguum abſolvas. In *Adverſa Victoriæ* Caput nitere ex ala conjicio: Stellæ tamen appoſitæ cauſam ignoro. Nudum autem in *Averſa* Virum, cum haſta transverſa, atque tropæo, galeatum, *Martem* ni credam, quem dicam, non habeo: ſpica ad lævam excreſcens Ædilem fortè, curámque Annonæ deſignat: ad dextram quid pinxeris, omninò me fugit, in meo ſiquidem Numo rupta argenti lamina nihil conjicere ſinit. L*ucii.* VALER*ii.* FLACCI. *TULLIUS.* Satis hæc commodè aſſequeris; Stellæ cauſa penès caput *Victoriæ* me pariter latet, niſi veriùs Denarii nota quàm ſtella eſſe debuerat. XIII. Tab. V. Num. X.

Dextrum *Martis* pedem Celeberrimus *Urſinus* armatum ſive tectum obſervat, alterum nudum, quamquam id in imagine *Patini* non pateat, tuò verò in Numo rupta lamina colligere vetet. More pictum id putat Pelaſgo, *Ætoli* ſiquidem ſoliti erant, quemadmodum *Macrobius* ex *Euripide* aſſerit, ut uno tantum pede calceato, altero nudo in bella procederent: quod pariter *Hernicos Agnanos* à Pelaſgis oriundos feciſſe fidem *Virgilius* facere conabatur, dum inter cætera caneret: IX. *Urſin. apud Patin. p. 284.* *Macrob. L. V. Saturnal. c. 18.*

- - - - - non illis omnibus arma,
Non clypei, curruſve ſonant: pars ſpicula geſtat
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti: veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituêre pedis, crudus tegit altera pero.

Virgil. Æneid. VII. v. 686.

X Ut

Ut proinde L. *Valer. Flaccus* gentem suam *Valeriam à Sabinis* oriundam innueret, quorum majores pariter *Pelasgi* fuêre, *Martem*, ait *Ursinus*, nudo quidem uno, pede altero tecto depinxit. Ipsius verò *Martis* ab eo signati ratio fuerat, quòd *Flamen* esset *Martialis*, quemadmodum de eo *Cicero* in *Philippicis* prodidit. *PUBLIUS*. Quærerem te de officio *Flaminis*, nisi id jam *Dial. IX.* in *Num. M. Anton. Triumv.* edixisses. *TULLIUS*. Ad ea si reflectis, pictum utique etiam à me signum ponè dextrum pedem ignorare non debueras: Pileus enim est, sive *Tutulus*, aut *Apex*, quo *Flamines* tegebantur. *Spicam* rectè de Ædilitio *Flacci* munere exposuisti; quoniam rursus *Ciceronis* testimoniò discere licet, eundem *Ædilem* fuisse. Cæterùm idem hic L. Val. *Flaccus* in Consulatu quoque An. Urb. DCXXIII. P. Crassi collega fuisse in *Fastis* describitur. *PUBLIUS* Multorum jam Consulum Numos inspeximus, nunquam tamen supremi hujus, ut arbitror, in Republica libera muneris vel tenuem ex te notitiam prælibavi: oro itaque te atque obsecro, ut vel hodie de *Consulibus* nonnulla quoque mihi pro more tuo breviter atque eruditè aperias.

Cic. in Philipp. — *Cic. Orat. pro L. Flac.*

X. *TULLIUS*. Ordinem quidem dicendorum, quem apud memet statueram, precibus tuis antevertis: sed quoniam ferrum, dum calet, cudendum, & cùm quis maximè cupit, liberalissimè docendus est, æquissimis tuis his vobis libentissimè deferam. Optime porrò de *Consulibus* rursum ex *Floro* præfabor, referente: *Igitur Bruto, Collatinoque ducibûs & authoribus, quibus ultionem sui moriens Matrona* (nimirum Lucretia à Sexto, Regis Tarquini Superbi filio, vitiata) *mandaverat, Pop. Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus, quodam quasi instinctu deorum incitatus, Regem* (Tarquinium) *repentè destituit, bona diripit, agrumque Marti suo consecrat* (Rege jam fugâ elapso An. Urb. 244. veterum quidem calculô, recentiorum verò computo forsan meliore An. Urb. 261.) *Imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, mutato tamen judice & nomine. Quippe ex perpetuo* (regimine) *annuum placuit, ex singulari duplex* (duo etenim Consules creati) *ne potestas solitudine vel mora corrumperetur: Consulésque appellavit pro Regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent.* Habes hìc & occasionem Consulum, & originem, ac nominis rationem, & munus, & tempus, quique illud primùm gessêre.

Flor. L. I. c. 9.

Nihil Bruto Collatinóque deerat regiæ Excellentiæ, præterquam Toga regia picta, perpetuitas, nepotúmque successio. Veruntamen Collatinus gradu suo tam sublimi subitò exciderat, nullâ aliâ culpâ suâ, quàm quòd genere, nominéque regio esset: qui verò eidem suffectus fuit Vale-

rius

rius Publicola, edita à se gemina lege Consulum potestati mox plurimùm obfuit, per quem soli Populo eosdem eligendi fiebat facultas, útque contra Consulùm decreta atque Senatus Consulta unusquisque Populum implorare citra ullum fortunæ capitisque periculum posset. Hac lege Consules nullum jam civem Romanum supplicio capitis, aut corporis, mulctâque pecuniæ citra Populi consensum afficere poterant, atque adeò *jus vitæ & necis* domi perdiderant: quare idem Publicola pariter prohibuit, ne fasces Consulibus intra urbem prælati prominentibûs aliquando securibûs, ceu gladiis justitiæ vindicantis, horrerent. Cùm deinde, ut suprà audiêras, Tribuni Plebis quoque constituerentur, Consulibus etiam Jus belli & pacis ademtum, aut plurimùm saltem imminutum est: quoties námque Tribunis assentiri non libuit, quidquid foret decretum, *vetabant*. Postea quam An. Urb. CCCII. *Decemviri* legibus ferendis assumti essent, omni ad illos potestate delata, cum cæteris omnibus Magistratibus etiam Consules aliquot annis esse omninò cessârunt. Tandem Populo iterum rebelli, & An. Urb. CCCCLXVII. in Janiculum secedente, Dictator Quint. Hortensius Legum etiam potestatem, quæ penès Consules erat, haud parùm infregerat, dum Plebiscitis, seu Populi ordinationibus, parem cum Consulum legibus authoritatem firmitatémque decrevit.

Dionys. L. V p. 291. Liv. L. II. c. 8.

Acerr. nov. Phil. P. II. p. 835.

Liv. L. III. c. 33.

Pompon. L. 2. §. 8. ff. de Orig. jur.

XII.

Nequaquam tamen propterea existimes velim, parvam Consulum dignitatem auctoritatémque fuisse: Capita nihilominus erant Reipublicæ, quibus subditus fuerat omnis Magistratus solos præter Tribunos plebis. Cùm populo assentiente decrevisset Senatus: *Dent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti capiat:* tum illi liberam obtinebant, potestatem, exercitum parandi, bellum gerendi, omnibûs modis coërcendi socios atque cives, domi militiæque summè imperandi: quarum tamen omnium rerum sine populi jussu nullum Consulibus jus erat, teste *Sallustio*. Invigilabant provinciis omnibus, poterantque postulare in judicium, inhibere, plectere: litteras omnes exterorum ad eos dirigi oportuit: decreta Senatus & Populi ipsi exequebantur: convocabant Senatum, in eóque referebant primùm, qua de re foret agendum: rogabant deinde sententias præcipuorum, quæ si diversæ forent, cæteros in eam, in quam vellent, ire sententiam, seu secum sentienti accedere jubebant: unde facile, cujusnam opinionis potiora essent suffragia, apparuit. Hoc comperto edebant Senatus Consulta, quæ, nisi refragaretur Tribunus Plebis, omninò inviolabilia fuêre: postremò Senatum dimiserunt. Præterea cives in comitia vocabant: Ludos Circenses incredibili sumtu instruebant: intendebant viis publicis, & aquæductibus. Imperium alternis mensibûs gerebant, & quo quisque imperabat tempore, Fasces duodecim sibi præferri videbat:

Sallust. in Bello Catilinæ.

mense altero accensus eum præcessit, lictores sequebantur. Utebantur Sella Curuli, Togâ prætextâ, quæ nimirum purpureis esset fimbriis, immò & pictâ, quæ tota filis purpureis intexebatur: Sceptrô quoque eburnô, cui aquila insederat: pedes etiam calceis aurô micantibûs induerunt.

XIII. Designari porrò Consules solebant, die tamen auspicato, quinto mense, priusquam Magistratum hunc suum inire debebant: quod saltem ab An. Urb. DXCVIII. Calend. Jan. fiebat. Tum magistratus omnes, cognati, necessarii, atque clientes gratulationis officium novo Consuli impendebant, eúmque solemni processione per principes Urbis vias in Capitolium deduxere, ipso pecunias in populum per famulos spargente. Ante Jovem Capitolinum gemini boves felices victimæ cadebant, Urbique ac Consuli omina felicia lætis vocibûs edebantur: Deinde Palatinas in ædes Consul se contulit, Senatu coram adsidente, ad quem & gratias & monita dixit. His à solemniis Calendis Jan. ea celebritas, quam & apud nos obtinent, accessit.

XIV. Id porrò, dum de Consulibus nobis sermo, præcipuè ferè tibi animadvertendum, Jul. Cæsarem, ut omnium sibi animos ampliùs conciliaret, multò pluribus adipiscendæ consularis dignitatis copiam aperuisse, dum statueret, ut, qui cum mense tantum imperium gererent, non annô, ut priùs, integrô: quibus munere suo defunctis, secundos, immò & tertios eodem anno subrogari fecit. Qui porrò primi erant, *ordinarii*, qui secundi, aut tertii, *suffecti* apellitati sunt. Quoniam verò anni per Consulatus computari solebant, non poterat non pluribus Chronologiæ erroribus viam insternere, eodem anno plures esse Consules suffectos: quibus ut caverent Quirites, aliquo quidem tempore soli Consules ordinarii in Fastis descripti sunt: paulò post verò & suffecti quoque eundem sibi honorem vendicaverunt. Constantinus M. tandem annuum denuò Consulatum restituit: cæteros verò, quibus favere voluerat, *Consulares* esse decrevit: quemadmodum & ordinarii Consulatus munere annô integro functi, jam ante Consulares audiebant, ut peculiari eosdem hoc nomine à cæteris Senatorii ordinis præcipuâ quadam eminentiâ discretos, unusquisque revereretur.

XV. *PUBLIUS.* Ipsum me tibi, Tulli venerande, iterum iterúmque debeo, pro tam diffusa XXX. Numorum Consularium illustratione, in qua sanè innumera mihi Laconicæ Quiritum sapientiæ mysteria liquidò aperuisti: ingentem mihi profectò spem facis eximiæ cujusdam eruditionis, si & deinceps quoque pari Dialogorum ubertate, quæ proposueras, omnia peramanter exequaris.

DIA-

DIALOGUS XX.

De Numis, Ratito, Victoriato, aliisque Urbis æternæ originem referentibus.

TULLIUS.

EXpositis hactenus Familiarum peculiarium Numîs fidem meam integrè apud te liberaturus, eos etiam tecum expendere debes, qui communes ac pervulgati omni propemodum tempore inter Quirites fuêre. En itaque tibi, lectissime Publi, *Tabulam VI.* denis iterum Numîs conspicuam: quorum tu quinos hactenus possides, alios totidem ego tibi typicos confero. Repete porrò memoriâ, quæ *Dial. VII.* tibi monita prævia de monetæ æreæ, argenteæ, aureæ apud Quirites originê, pondere, pretio & forma uberius ingessi. *PUBLIUS.* Memini omnino, optime Tulli, spopondisse te mihi ibidem, fore, ut *Numi Ratiti* & nomen, & formam hac *Tabula VI.* percenseas. Sed & teneo adhuc, Regem *Servium Tullum* æs omnium primò Romæ signâsse formâ pecorum impressâ, unde creditur nomen *pecuniæ* fluxisse: *Asses* deinde primò *librales* fuisse, donec *Semisses*, *Trientes*, *Quadrantes*, *Sextantes* successerint, his notîs discreti: *Assis. Semissis.* OO. *Sextans.* OOO. *quadriens.* OOOO. *triens.* *TULLIUS.* Bellè reminisceris: mitte cætera, ut nova, quæ hodie meditor, apud te paulò uberius pandam. I.

Et *Servium* quidem *Tullum* Romæ æs primò signâsse nemo facilè diffitebitur: veruntamen ante eum quis alibi fuerit peculii auctor, innumeri ad ravim usque contendunt. Docet certè Illustr. *Spanhemius*, non deesse, qui velint, jam ante diluvii tempora vel *Cainum*, vel *Tubalcain* monetas reperîsse: alios verò à diluvio sive *Magogum*, sive *Tharam*, aut filium ejusdem *Abramum* æris signati auspicem statuere. Pars Græcis faventes, nunc *Itono* Thessalo, Deucalionis filio, nunc *Erichtonio* Atheniensi, nunc *Theseo*, nunc *Demodicæ* Cumææ hanc laudem vindicant: pars Lydiis obsequentes, aut *Xenophanem*, aut *Phidonem* Argivum parentem monetæ tuentur. Nonnulli porrò pluribûs ante Phidonem seculis æris jam signati apud *Phœnices* usum defendunt, cùm alii econtra post Palame- II.

Spanhem. T. I. Diss. I. p. 9.

lamedis primùm tempora eundem invaluisse perhibeant. In tanta certè sententiarum varietate tantùm non impossibile sit, certò aliquid tutóque statuere: sed neque ad Numorum cognitionem, & Laconicam præprimis veterum sapientiam pernoscendam ullum in hac controversia momentum esse positum arbitror. Demus itaque interea *Athenæo*, in Italia saltem æs primum ab *Jano* signatum, dum *Draconis* Corcyræi verba, in quæ & ipse jurare videtur, ita perscribit. *Janum fama est bifrontem fuisse, altera facie posteriori, anteriori altera: Janum flumen, Janúmque montem ab eo fuisse denominatum, quòd in eo monte habitaverit. Coronas illum reperisse, navigia, rates, numum æneum ab illo signatum: qua de causa civitates in Græcia multæ, in Italia item & Sicilia monetam cudunt, impressa bicipiti facie, & ex altera parte vel navigio, vel corona.*

Athenæus L. XV. p. 692.

III. Tab. VI. Num. I. *PUBLIUS.* Capio, quorsum hæc afferas, nimirum ut Numum hujus Tabulæ tuæ primum illustres, quem ego æreum medium teneo: in cujus proinde *Adversa* Janum bicipitem agnosco, puppim navis in *Aversa*. *TULLIUS.* Ita est: attamen quidam vultum unum duntaxat *Jano*, *Saturno* alterum tribuunt, *Tertulliano* deferentes, qui retulit, Saturnum Deum, olim ab Jano hospitiô receptum, gratitudinis ergò eidem præter alia æris quoque signandi modum usúmque exposuisse. Atque hinc etiam *Ovidius* cecinit:

Tertull. Apologet. c. 10.

Ovid. Fast. I. 217.

At bona posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

PUBLIUS. Est mihi & alius Numus cum puppi consimili in *Aversa*, cujus tamen caput in *Adversa* bifrons non est. *TULLIUS.* Illud tu alterius esse utrius, vel Jani crede, vel Saturni. In hoc verò Numo animadvertas præterea velim nomen: ROMA: quod supra navim adscribitur, ac quaterna illa puncta infra expressa. *PUBLIUS.* Adverto, & non jam te hìc Oedipô egeo: etenim Urbis nomen hunc Numum Romæ, non alibi cusum eloquitur. Puncta hanc monetam *trientem*, sive tertiam Assis partem fuisse mihi liquidum reddunt. Jam quippe à te supra edoctus sum, addita fuisse hæc signa, ut populum de pretiô admonerent: quamobrem nomen *Moneta* enatum esse velut à *monendo* aliqui volunt. *Trientem* porrò punctis quatuor denotari inde sequitur, quoniam Assis duodecim partibûs constabat: quatuor porrò semel ac iterum geminata duodecimum demum numerum pariunt. *TULLIUS.* Ex Asse sapis, Publi lectissime, & nihil jam causæ est, cur diutiùs hunc Numum versemur parùm venustum, nisi ut te moneam, à puppi navis, seu *rati* eundem *Ratiti* nomen olim sortitum. Quamquam & alia de causa hæc appellatio quadrantibus indita sit, post-

postquam nempe, qui rate Tiberim transire petebant, quadrantem, ceu solitum naulum, navarcho pendere debuêre. Scribit etenim *Varro: Merces dicitur à merendo & ære: hinc vecturæ, quas solvebant hi, qui ratibûs transibant, quadrans ratitus.* Jani fabellas alteri de Diis Deabúsque Quiritum Exercitationi reservo: nunc porrò quàm mox ad Numum II. Tabulæ hujus apud te argenteum transeo. Varro de Leg. IV. 7.

PUBLIUS. Nimirum is *Denarius* est, Martiæ *Romæ* ornato, galeatóque, ac alato in *Adversa* capite fulgens: quem denos æris ex primæva saltem institutione valuisse X. litera numeralis apposita me ignorare non sinit. *TULLIUS.* Alio tamen etiam nomine olim hæc erat moneta, ab *Aversæ* imagine desumto; in qua *Victoriam* vides alatam, coronatam laurô, quæ celeri cursu bigas agit, velut ad metam, & dextrâ elatâ palmam præse fert. *Victoria* námque dicebatur, teste *Plinio*, qui infit: *Victoriatus qui nunc appellatur, lege Clodia percussus est. - - - Est autem signatus victoriâ, & inde nomen.* Item porrò jam antè ajebat: *Nota argenti fuêre bigæ atque quadrigæ: atque inde bigati, quadrigatíque.* Quinimo haud infrequenter Romani *argentum bigatum* simpliciter enunciabant, cùm *denarios* innuere vellent, quemadmodum alicubi *Livius* scripsit: *Tulit in triumpho argenti bigati septuaginta novem millia*: i. e. denarios totidem. *PUBLIUS.* Eccur autem Quiritibus denarios suos placuit victoriâ signare? *TULLIUS.* Quia semper in armis stare Roma debebat, & victoriæ de hostibus reportatæ famâ quotidie propè inclaruit. Vult tamen Ill. *Spanhemius*, ejusmodi Numorum typum, maximè, dum nomine omni percutientis, ut sæpè fit, carent, Apollinares ad Ludos referri non incongruè posse. Tum verò bigis aut quadrigis plerumque vir quidam, seu pugil incertus cum flagro, quo incitet equos, insistit, ille nimirum quiscunque, qui in palæstra decurrebat: quòd si nihilominus victoria ibi compareat, eum innuet, qui cæteris Antagonistis palmam præripuit.

IV. Tabula VI. Num. II.

Plin. XXXIII. 3. Id. XXX. 3. Liv. XXV. 12. Spanhem. T. II. D. X. p. 134.

PUBLIUS. Ausimne Ludorum Apollinarium à te originem modúmque reposcere? *TULLIUS.* Dicam brevissimè. Constituti sunt hi Ludi à Senatu An. U. C. DXLII. reperto carmine *Martii* Poëtæ, quo vaticinabatur, Quirites hostibûs suis superiores futuros, si annuos Apollini ludos voverent, Græcóque eidem ritu sacra facerent, prout *Livius* perhibet. Quos cùm facturus esset Prætor in Circo Maximo, *Macrobius* infit, *edixit, ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret: factos deinde populus coronatus spectabat, matronæ supplicaverunt, vulgò apertis januis in propatulo epulati sunt, celebérque dies omni cæremoniarum genere fuit.* Hostiæ tum erant bos auratus, capræque duæ albæ auratæ: cursus equorum fiebat, dum bigas alii, alii quadrigas, nonnulli

V. Liv. XXV. 12. Macrob. Saturn. I. 12.

nulli unicum equum, *Celetem* dictum, velociter ad metam agebant. Quamquam autem non pauci rituum antiquorum vestigatores existimarent, hos Ludos Romæ sæviente aliquando lue pestifera susceptos: omnibus tamen apertè refragatur *Macrobius*, subdens: *Hac est origo Ludorum Apollinarium, Victoriæ, non valetudinis causâ votorum.* PUBLIUS. Sic nempè omni in Numulo mysterii quidpiam latet. Lupa verò, quam oculo præcurrente in sequentibus aliquot Tabulæ hujus tuæ Numis conspicio, neminem puto puerum fugit. TULLIUS. Aliter Eruditi, aliter de Lupa pueri sentiunt.

VI. Tab. VI. Num. III. PUBLIUS. Agedum itaque, venerande Tulli, de III. Numo quid me doceas, edic. TULLIUS. *Adversa* caput armatum quale suspicaris? PUBLIUS. *Romæ* illud esse non suspicor, sed scire me puto, cùm legam: URBS ROMA. TULLIUS. Tecum equidem consentiunt multi: verumtamen Clar. *Patinus* animadvertit, aliquibus etiam videri, *Genium* potiùs *Urbis* æternæ, vel verò *Constantini* M. Imp. hoc capite sisti: ab hoc etenim Monarchæ hujusmodi Numos frequenter ait excusos, ut modò *Romæ*, modò *Constantinopolis* æternam memoriam honorificè consecraret. PUBLIUS. Nunquam igitur, ut vìdeo, tutum est tironi, per sese de Numis conjicere: tutiùs longè stabit Majorum authoritati. TULLIUS. Sic habeas, quoties Numos versaris, perpetuò velim. Lupam etiam priùs contemnere visus es: edíscere ergò, quam ea ob causam toties in Numis excusa sit? PUBLIUS. Ut videlicet primi Urbis conditores suîs jugiter incunabulîs celebrarentur. *Romulus* námque & *Remus*, quos hi populi sub lupa ludentes designant, odio & ambitione *Amulii*, Regis Albani, ab uberibus *Rheæ Sylviæ* matris avulsi, atque morti insuper præsenti in ripa fluminis expositi, periissent, nisi rapax bellua, lupa inquam, vagitu parvulorum excita, hominibûs urbanior juxta ac mitior lacte suo eos pavisset. TULLIUS. Sic equidem hìsce de geminis fama olim pervagata est, cùm adhuc fabulîs omnia passim miscerentur: résque ea illis præcipuè plurimùm arrisit, qui duriores fuêre Quiritibus, háncque dominam orbis gentem acriori subinde stilo lacessere ambiebant. In quibus meritò commemorandum reor *Joannem Sarisberiensem*, Episcopum & Scriptorem Anglicum celeberrimum, qui sic apud *Demsterum* alicubi loquitur. *Lupi efficaciam non negabit, quisquis Romanorum genus lupino lacte non ambigit educatum: unde plerúmque quod in iis dulcius est, adhuc lupinum saporem retinet. Primi profectò eorum fidem, quam à matre lupa didicerant, sibi invicem servaverunt.*

Patin. Impp. p. 2.

Joan. Sarisberiens. apud Demsterum Corp. Artiq. Rom. L. I. c. 1. p. m. 7.

VII. Doctioribus verò jam dudum ferè convênit, lupæ nomine fœminam prostitutam, *Faustuli* Regii pastoris adulteram conjugem, *Larentiam* dictam, accipi

accipi debere, cujus ab uberibus hi parvuli, matris è ſinu abacti, pependerunt. Quirites autem ſua conſecrare volentes primordia, cùm meretricem ære ac marmore effingere puderet, Lupam ſubſtituerunt, quoniam hoc nomine fœminæ proſtitutæ honeſtiùs nonnihil efferebantur. Id quod D. *Lactantio* te credere velim, ita ſcribenti. *Lupa Romuli nutrix honoribus eſt affecta divinis: quod ferrem* (i. e. perſtringerem minùs) *ſi animal ipſum fuiſſet, cujus figuram gerit. Auctor eſt* Livius, *Larentiæ eſſe ſimulacrum, & quidem non corporis ſed mentis & morum. Fuit enim Fauſtuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem lupa inter paſtores, id eſt, meretrix nuncupata eſt. Exemplum ſcilicet Athenienſium in ea figuranda Romani ſecuti ſunt: apud quos meretrix quædam, nomine* Leæna, *cùm tyrannum occidiſſet, quia nefas erat ſimulacrum conſtitui meretricis, in templo animalis illius effigiem poſuerunt, cujus nomen gerebat. Itaque ut illi monimentum ex nomine, ſic iſti ex profeſſione fecerunt.* D. *Lactant.* I. 20.

Hoc porrò Lupæ ſimulacrum gemellos lactantis in Capitolii porticu ſtabat propè aulam, &, ut *Cicero* refert, fulmine aliquando tactum eſt, atque ex parte lædebatur. Sed & *Marlianus* teſtatur, hodie adhuc in Capitolio ſanctiore, ab omni jam veterum impuritate ac ſuperſtitione purgato, adhuc tamen imaginem æneam deauratam hujus parvulorum nutricis ſpectari, fulminis plagâ in cruce lupæ conſpicuâ. Cùm proinde velut Inſignis ſui locò Roma hanc lupam publicè ſtatueret, toties ea in Numis, quæ Romam denotarent, excuſa eſt. PUBLIUS. Admodùm hæc mihi placent: ſed & de ſtella gemina ſupra lupam coruſcante quid ſentiam? TULLIUS. Vel *Caſtorem* illæ & *Pollucem*, tutelaria pariter Romæ deliræ Numina, ſignant: vel, quod veriùs reputo, divinos honores *Romulo* ac *Remo* tributos. PUBLIUS. Literas deinde infra deſcriptas quomodo legam? TULLIUS. Loci te commonent, hæc ubi moneta ſignata eſt, *Siſciæ* nimirum, celebris quondam ſuperioris Pannoniæ Urbis, nunc pagi exigui, *Siſacum* vel *Siſeck* nuncupati, propè Albanum montem, *ubi moneta cudebatur*, teſte *Pancirollo*. Sic igitur leges: *Percuſſa* SISC*iæ*. VIII. *Cicer. in Catilin. III. 8. Marlian. Topograph. Urb. Rom. II. 9. Panciroll. Notit. Dign. Imp. Occid. c. 35.*

PUBLIUS. Ad Numum modo IV. convertamur, in cujus *Adverſa* idem ferè caput, quod priùs, occurrit, ſed legenda illuſtrior, nimirum: INVICTA ROMA. TULLIUS. Planè hìc prædicatur, quod poſtea cecinit vates: IX. Tab. VI. Num. IV.

Orbem jam totum Victor Romanus habebat,
Quà mare, quà terræ, qua ſidus currit utrumque,
Ne ſatiatus erat.

PVBLIVS. *Aversa* geminam aquilam sistit, quas inter arbor excrescit, lauri certè speciem redhibens. *TULLIUS.* Nempe regia volucris simul & Martia, quippe quæ Jovi quoque fulmen ministrat, Populum orbis Dominum docuit, in culmine signorum suorum Legionarium imposita, atque aurea tota. Gemina est, ut Orbis utriusque Orientis pariter & Occidentis imperium innuat. In arbore *Patinus*, qui eundem hunc Numum depingit, non laurum, sed *Ficum Ruminalem* agnoscit. *PUBLIUS.* Hæc verò quid rei, quid nominis est? *TULLIUS.* Arbor erat, seu ficus eo in loco excrescens, ubi *Remus Romulúsque* infantes expositi fuêre juxta *Livium*, sive quo eos *Tiberis* exundans detulerat, si *Varronem* audiamus. *Ruminalis* cur dicta sit, ita *Plinius* docet. *Colitur ficus arbor, in foro ipso ac comitio Romano nata, sacra fulguribus ibi conditis, magísque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris, dicta Ruminalis: quoniam sub ea inventa est lupa infantibus præbens rumen: ita vocabant mammam.* Maximâ sanè reverentiâ hanc arborem coluêre Romani, perinde ac Samii viticem illam, sub qua Junonem editam perhibuêre, quámque proinde in Deæ hujus templo multis sæculis custodierunt. Perhibet certè *Tacitus*, ficum hanc, quæ *super octingentos quadraginta annos Remi Romulíque infantiam* (i. e. simulacrum eorum lactentium subter eam collocatum) *contexerat, tandem mortuis ramalibûs & arescente trunco deminutam, prodigii locô habitam esse.*

Patin. Impp. p. 2. — Liv. l. 4. — Varro apud Pitisc. Lex. Antiq. verbo: Ficus. — Plin. XV. 18. — Tacit. Annal. XIII. 58.

X. *PUBLIUS.* Pulcherrimè me de hac arbore erudiisti. Perge, obsecro, ad Numum etiam V. in cujus *Adversa* parte, ut habet legenda, *Marcus.* AUR*elius.* ANTONINUS. AUG*ustus* PIUS. spectandum se offert, vultu barbato laureatóque in dextram converso. *Aversa* porrò Lupam iterum cum gemellis lactantibus reddit, ast sub fornice quopiam vel arcu, de quo quid portendat, haud satis mihi constat. *TULLIUS.* Nimirum, ut video jam doctus es, nihil in Numis quantumvis exile sine cura præterire: id quod eximiè laudo. Non sanè otiosus est hic fornix: ostium etenim specus illius seu antri designat, quod *ficui Ruminali* vicinum erat, & sub quo Lupa gemellis ubera sua admovisse perhibetur, ac cui nomen *Lupercal* inditum fuit. Hac in spelunca Romani omnium primò simulacrum Lupæ & infantum posuêre, de quo canit *Ovidius*:

Tabula VI. Num. V.

Ovid. Fast. II. 521.

> Illa (*i. e. Lupa*) loco nomen fecit: locus ipse Lupercal:
> Magna dati nutrix præmia lactis habet.

PUBLIUS. Novum rursus mysterium, de quo minimè cogitaveram. Cur porrò *M. Aurelius* hunc typum vultui suo opposuit? *TULL.* Facilè mihi persuadeo, hunc Numum tuum æreum ac medium non à Cæsare, sed Urbe

qua-

quapiam, sive Colonia signatum, ejúsque nomen supra fornicem descriptum fuisse existimo, literis modò omnibûs vetustate exesîs. Neque apud alium quemquam hanc monetam sive pictam, sive descriptam offendi, unde legendam abolitam restituere licuisset. Opportunè tamen hìc tibi suggerere libet monitum præstantiss. *Hardovini*, quod lego apud doctiss. *Jobertum*: Eas nimirum Urbes, in quas Coloniam Quirites immisêre, si *Jus Romanum* consecutæ, ac civitate donatæ fuerint, ita, ut civibus earum licuerit ad subsellia & Magistratus Urbis ipsius æternæ adspirare, frequenter suis in Numis *Lupam* cum geminis expressisse, ceu proprium Civium Romanorum insigne. Cæteris verò id minimè licuit, quæ *Jure Latii* solùm gaudebant, ut omnes Italiæ Urbes: hôc siquidem civibus suis id tantùm consecutæ sunt, ut liberi forent à tributis atque oneribus, posséntque sub Legionibus Romanis stipendia mereri: cives verò Romani habiti non sunt. *Hardovin. apud Jobert. Instruct. XI. p. m. 355.*

PUBLIUS. Porrò Numus apud me argenteus, & notâ *denarii*, ac capite Romæ galeato alatóque in *Adversa* rursum insignitus, *Aversam* reddit cæterîs omnibûs elegantiorem, parem prioribus juxta & imparem. XI. Tab VI. Num. VI.

TULLIUS. Cùm primùm hanc intuerer *Aversam*, videre in ea mihi videbar Romam fœminæ habitu, galeatam, super scuta gemina ficui Ruminali assidentem, quæ quasi hilaris, & exsultans ponè adstantem Lupam cum Gemellis, & supra in aëre utrinque advolantem picam, atque adeò conditorum suorum prodigiosa incunabula contemplaretur. Etenim & picas loquaces fingunt, mirabili obsequiô Romulo Remóque infantibus pastum attulisse. Sic canit *Ovidius*:

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino,
Et picum expositis sæpè tulisse cibum? *Ovid. Fast. III.*

Verumtamen *Ursinus* hunc eundem Numum tuum inter incertos pingens apud *Patinum*, hoc solo discrimine, quòd arborem omittat, Faustulum pastorem regium hìc sedere asserit, qui Remum cum Romulo, Lupæ ubera sugentes in ripa fluminis offendens, misericordiâ motus sustulit, atque Larentiæ uxori suæ educandos extradidit. Hanc ut opinionem stabiliat, probétque, hunc Numulum à *Sexto Pompejo Fostlo* excusum, ad alium ejusdem Numum provocat, jam aliàs *in gente Pompeja p.* 222. à se pictum: ubi Lupa cum gemellis medium occupat, stans aute ficum *Ruminalem*, adstante post eam pastore, non jam fœmina galeata, cum legenda: SEX. POM. FOSTLUS. Ego verò haud parùm sanè miror, quomodo ambo doctissimi Viri *Patinus* æquè ac *Ursinus*, sub Galea, & heroum super umbones ignavum pastorculum quærant? Nequeo autem eorum in sententiam concedere, usquequo gravibûs eam rationibus stabiliant. Velim *Ursin. apud Patin. p. 303.*

 proin-

proinde te interea, lectissime Publi, Romam hic suis de primordiis lætantem securè contemplari: hoc etenim & situ & habitu illa deinceps sæpè tibi occurret, cùm posterioribus in Exercitationibus *Aversas* Numorum Imperatoriorum scrutabimur. *PUBLIUS.* A te, ne dubites, stabo, quem elegisse magistrum hactenus pœnituit nunquam: multa & egregia Dialogi hujus documenta rursum gratissimo animo hausi, calamo fido excepi, memori mente tenebo.



DIALOGUS XXI.

De Numis Deæ Romæ, Sacri Senatus, & Populi.

TULLIUS.

I. Quatuor hodie Numos postremos Tabulæ meæ VI. expediemus, eósque denuò Græcos: quos aliis Atticis suprà junxissem, nisi aut Romæ honores spectarent, aut de iisdem disserendi saltem plurimam copiam facerent. Nullum horum in ære tu possides, typicos ego tibi contuli omnes: quales illos Cl. *Patinus* initiò Numorum suorum Imperialium æreorum medii & infimi moduli pingit. Eorum primus, sed Tabulæ hujus septimus, in *Adversa* Romæ vultum iterum sistit, scapulis tamen veste contectis, capite quoque non jam galeato, sed turres sibi impositas gestante, ad modum *Cybeles* Deæ, sive *Terræ*, quæ ædes omnes sustentat: hoc etenim cultu Urbes ac Provinciæ ferè semper in Numis exhibentur. Tu, optime Publi, ne Grajæ tibi literæ excidant, *legendam* Atticam recense. *PUBLIUS.* Ni fallor, legendum: ΘΕΑ ΡΩΜΗ. *TULLIUS.* Dexterè omninò: idem verò hoc sonat, ac: DEA ROMA. *Aversa* porrò Deam *Isidem* exhibet stantem, bysso tenui velatam, alatam insuper, ut dextrâ elatâ *perpendiculum*, sive regulam plumbeam gestat, qua media Architecti muri cujusdam vel turris rectitudinem explorant: sinistrâ demissâ *sistrum* tenet, consuetum in Deæ hujus sacrificiis veluti cymbalum, quo Popæ illius concrepare solebant. *Legenda* populum prodit, à quo in *Romæ* honorem hæc moneta excusa est. *PUBLIUS.* An rectè lego: ΣΥΝΝΑ-

Tab. VI. Num. VII.

ΔΕΩΝ? *TULLIUS.* Rectè: quasi dicas: SYNNADA. sive *Synnas.* *BUBLIUS.* Quòd si & literæ me fefellissent, in his omnibus peregrinus fuissem & hospes: nihil etenim aliàs hìc imaginum, rerúmque intelligo. *TULLIUS.* Exponam, quæ hujus sunt instituti: ad Deos quæ attinent, alibi exactiùs commemoranda præstolabere.

PUBLIUS. Nisi apud te ferulam merear, sciscitari libet omnium primò, an Numus hic *Deam Romam* disertè prædicans, idolum aliquod cultu divino affectum, cui nomen *Roma* esset, designet, an porrò Quiritum Rempublicam laudet? *TULLIUS.* Hanc postremam ipsissimam. Nunquam audîsti ex *Martiale*: *Terrarum Dea gentiúmque Roma?* Nec animum subeunt tuum illa *Claudiani* de Urbe præconia: *ô Numem amicum! - - - ô Diva potens!* Nimirum, velut ad hunc Numum infit Cl. *Patinus*, Gentîum Deam ille exhibet, *quâ ut nihil potentius*, *sic superbius nihil*. Refert D. Joannes Apostolus suis in Visionibus, bestiam illam terribilem septem capitibus suis inscriptum gessisse *nomen blasphemiæ*: quod SS. Hieronymus & Prosper de nomine *Urbis æternæ* accipiunt, quo se pariter olim Roma superba jactabat. Forsitan autem non incongruè etiam sentit Ill. *Spanhemius*, dum existimat, æquè per *nomem blasphemiæ* nomen *Deæ* Romæ tributum intelligi posse, maximè cùm ipsiùs Evangelistæ temporibus Roma tanquam Dea in omnibus Asiæ Urbibus jactaretur, Urbis autem *æternæ* elogium longè post eum primùm increbuerit. Parùm verò fuisset sacrilegis illis, Romam duntaxat Deam appellâsse, haud alio quàm assentandi studiô: nisi & Templa eidem, & aras struxissent, & publica sacra, decretîs ad hoc Flaminibûs, seu sacerdotibûs fecissent. Apud *Tacitum* quippe lego, *Smyrnæos* aliquando non parùm jactâsse, *quòd primi templum Urbis Romæ statuerint, M. Porcio Consule, magnîs jam quidem Populi Romani rebûs, nondum tamen ad summum elatîs, stante adhuc Punica Urbe* (videlicet Carthagine) *& validîs per Asiam Regibûs.* Sed & *Livius* ait: *Alabandenses templum Urbis Romæ refecisse, ludósque anniversarios ei Divæ instituisse:* prout benè hæc Livii verba allegat Ill. *Spanhemius* ex L. XLIII. *in Epist. III.* ad *Morellium*, quas Eruditiss. *Liebe* in fine *Gothæ* suæ *Numariæ* annexuit: cùm contrà *de Præstant. Numismat. Tom. I. Diss. III. p.* 138. pro *ludos anniversarios* scribatur *laudes anniversarias*, & Liber XLII. Livii notetur.

II. *Martial. XII. Epigr. 8.* *Claudian. Consul. Prob. & Olyb.* *Patin. Impp. p. 3.* *Apoc. XIII.* *Spanh. T. I. Diss. III. p. 138.* *Tacit. Annal. IV. 56.* *Liv. XLIII. 6.* *Spanhem. ubi supra.* *Liebe Goth. Num. p. 524.*

Synnada porrò sive *Synnas* Cl. *Patino* Urbs Phrygiæ Pacatianæ dicitur, & inde nomen, quasi *Synodus*, eidem accepisse videtur, quòd conventus esset quindecim populorum, perhibente *Theodoreto*. Atque hos omnes populos *Romæ assentatos* hunc Numum cudisse idem *Patins* suspicatur, nisi fortè ipsi Romæ templum aliquod dedicaverint, eámque ut Deam sint venerati.

III. *Patin. Impp. p. 3.* *Theodoret. Histor. Eccles. L. IV. c. 8.*

nerati. De *Iside* alibi tecum uberiùs disseram, Publi optime : hìc commemorâsse sufficiat, Ægyptiam fuisse Deam, à Græcis deinde receptam, aliquamdiu etiam à Romanis. Nominibûs pluribûs efferebatur, jam Luna, jam Diana, jam Terra compellata, omniúmque & nutrix & mater credebatur. Hinc *Sistrum* gerebat, seu circulum universitatis indicem, quatuor chordîs transversîs discretum, tanquam notîs totidem elementorum, quibûs omnia corpora constant. Quoniam verò Ægypti omnis propè fœcunditas pendet à Nili exundatione, fraude diaboli factum est, ut statîs temporibûs *sistrum Isidis*, appensîs quibusdam tintinnabulis, ultrò concreparet, Ægyptiis Nili fluxum atque refluxum prænuncians. Inde & *perpendiculum* huic idolo tributum, si *Patinum* audiamus, quòd veluti Deæ hujus tutelaris nutu aquæ fœcundantes ita providè librarentur, ut nec parcè nimis, neque immodicè inundarent. *Servius* tamen sinistræ *Isidis* perpendiculi locò situlam inserit, dum infit : *Isis est genius Ægypti, qui per sistri motum quod gerit in dextra, Nili accessus significat & recessus : per situlam, quam sinistrâ retinet, ostendit fluentiam omnium lacunarum.*

Dempsterus in Corp. antiquit. Roman. Paralipom. ad cap. XXII.

Patin. Impp. p. 16.

Servius ad Virgil. Æneid. VIII. v. 696.

IV. Tab. VI. Num VIII.

PUBLIUS. Diu in hoc Numo versatus es, & digna scitu mihi enuntiasti, venerande Tulli: unde fit, ut tantò avidiùs semper te deinceps disserentem excipere gestiam. *TULLIUS.* Ad octavum itaque Numum pergamus, in cujus *Adversa* viri juvenis caput intueris : ponè apem, aut vespam, quæ in typico visitur Numo, à me tibi tradito, sed à *Patino* omissa est : cujus proinde nullam scio rationem, nisi peculiare Urbis sit signum. Circùm legitur: ΙΕΡΑ CΥΝΚΛΗΤΟC i. e. SACER SENATUS. *Aversa* fœminam redhibet stantem, quam puto Felicitatis: quæ sinistrô quidem brachio geminum gestat Cornucopiæ, ubertatis maximæ signum : dextrâ extensâ gubernaculum seu remum, una cum tribus papaverum capitibus tenet, omnia sive fertilitatis, sive auræ salubris, sive copiæ papaverum ibi excrescentium, quæ in Medica maxime valent. *Legenda* est : ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. HIERAPOLITANORUM (subaudi) moneta. *PUBLIUS.* Ergò ad Senatum pariter Deæ Romæ Augusta (si superis placet) Sanctitas derivata est? *TULLIUS.* Quinimmo : id quod more suo & amplissimè & eruditissimè adstruit Ill. *Spanhemius*, reddita ratione, ob quam nonnihil saltem congruere videbatur amplissimo Ordini *sancti* appellatio, quoniam cieri cogique, præterquam in Templo, & loco per augures consecrato, non potuit. Neque mirandum esse cuiquam ait, si quidquid demum poterant cultûs, *Romano Senatui* Populi, Urbes, immò & Reges detulerint. Eundem enim *Cicero* jam *summum Populi Romani, populorúmque omnium, ac Regum Consilium* appellavit : jam *Regum, Populorum, Nationum portum & refugium* dixit: jam pendere ab eo Imperium disertè professus est, inquiens:

Spanhem. T. I. Diss. III. p. 140.

Cicero pro domo.
Id. de Offic. L. 2.

quiens: *Quæ*, (videlicet Senatus auctoritas) *nisi gravis erit apud socios,* *Id. in Ver-*
& exteras nationes, ubi erit Imperii nomen & dignitas. *rem. IV.*

Hinc est, quòd meliores Imperatores Senatûs auctoritati eximiè semper V.
consuluerint: etenim & de Nerone quoque adseverat *Tacitus*, eum initiô *Tacit. An-*
principatus, qui toto quinquennio primo optimus erat, seriò providisse, *nal. XVI. 4.*
ut teneat antiqua omnia Senatus, Consulum tribunalibus Italia, & publicæ provinciæ adsisterent, illi Patrum aditum præberent. Sed & de Trajano, Hadriano, Antonino Pio, Pertinace, Alexandro Severo, aliisque concorditer tradunt *Plinius*, *Spartianus*, *Capitolinus*, *Lampridius*, vitæ eorundem Scriptores, eosdem Senatui summa omnia detulisse. Maximè
verò de Tacito Imp. testatur *Vopiscus*, ab eodem, cùm ad Imperium ab *Vopiscus in*
amplissimo ordine esset evectus, decretum: *Mitterentur literæ ad omnes* *Tacito c. 12.*
provincias, ut scirent omnes socii, omnésque nationes, in antiquum statum rediisse Rempublicam, & Senatum principes legere, immò ipsum principem factum: leges à Senatu petendas, Senatui supplicaturos, pacem ac bella Senatus auctoritate tractanda.

Cùm itaque gentium propè omnium salus, causæ, commoda à Sena- VI.
tu penderent: idcircò Atticæ Urbes nulli parcebant elogio, ut eundem sibi demererentur.
Legitur in Numis earum non modò, velut in præ- *Polyb. Ex-*
senti, ΙΕΡΑ ΣΙΝΚΛΗΤΟΥ i. e. *Sacri Senatus*, sed & ΘΕΟΥ *cept. Legat.*
ΣΙΝΚΛΗΤΟΥ, sive *Dei Senatus* præconium. Quomodo & Prusias *XCVII. L. XLV. c. 1.*
Rex, perhibente *Polybio*, in limine Curiæ salutabat Senatum *Deos Soteres,* *Themistius*
i. e. Servatores: & *Themistius* ajebat alicubi: *Et Senatus forum Deorum.* *Orat. XIII. p. 138.*
Neque etiam Poëtæ committebant, quin in hoc laudum genere profusissimi essent. Habet námque *Horatius*: *Patrum sancto Concilio.* *Juvenalis*: *Horat. L. I. Od. 5.*
Vel sacri in parte Senatus esse velis. Claudianus: *Et quales memini,* *Juvenal.*
turba verenda, Deos. Quare & ipse quoque *Tertullianus* habet in In- *Satyr. XI.*
scriptione *Apologetici* sui, seu libri pro defensione Christianorum adver- *Claudian.*
sus gentes scripti: *Sacróque Senatui.* Animadvertendum verò hic cum *VI. Consul.*
Ill. *Spanhemio*, Numos Græcorum *Sacro Senatui* inscriptos non omnes *Honor. v. 24.*
continuò, ac passim sine discrimine Romanum ad Magistratum referendos *Spanhem.*
esse. Ad hujus etenim exemplum Atticæ Urbes, maximè Smyrnæi, *ubi supra.*
Bulen etiam suam, i. e. Curiam sive Consilium, *Sacri* appellatione haud infrequenter extulêre.

PUBLIUS. Ingentem mihi per tot elogia de Senatu Romano ingeris VII.
opinionem, modò fastu tam eximio singula ejus populi non niterentur. De *Hierapoli* verò Urbe, quæ Numum percussit, quid mones? *TULLIUS.* Haud alia habeo, quàm quæ Cl. *Patinus* brevissimè commemo- *Patin. Impp.*
rat. *p. 6.*

rat. Multos, ait ille, populos olim Hieropolitanorum nomine elatos: præsentem verò monetam ad eos sibi referendam videri, quos *Ptolomæus* Cyrresticæ Regionis in Phœnicia nuncupat. Putat igitur, *Hierapolin* hìc laudatam illam esse Urbem, quæ hodie *Alep* dicitur, non procul ab Euphrate: quamquam *Tristanus* magis velit alteram innui, quam in Phrygia indicat *Strabo*, forsitan in *Germiano* provinciæ Natoliæ sitam, Turcis à circumjacentibus candidissimis rupibus *Bambouckalle*, vernaculâ nostrâ quasi Baumwoll-Thurn appellatam. Nos nimis incerta in medio relinquentes, certiora consequi sequentibus adhuc duobus in Numis studeamus.

VIII. Tab. VI. Num. IX. *PUBLIUS.* Nonus hujus Tabulæ tuæ Numus quam, obsecro, fœminam, diademate incinctam, passis ferè crinibus sistit? *TULLIUS.* Populi genius esse ab Eruditis existimatur, cùm & adscriptum sit: ΔΗΜΟϹ. seu POPVLVS. Quemadmodum námque Romani cives suos, florente Republica, in Senatum, & Populum divisêre, quorum prior decernebat, posterior verò regebat: ita Attici, maximè Athenienses βȣλὴν καὶ δῆμον, seu *Bulen & Dimon* dixêre. *Aversa* Dianam sistit, Lunâ parvulâ capiti impositâ, cursui quasi venatorio cum cane suo intentam, quæ arcu suo mox exonerato, dextrâ novam rursus sagittam ex pharetra à tergo pendente extrahere incipit. *Legenda* est: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quasi PHILADELPHENSIVM NEOCORORVM. *PUBLIUS.* Sanè hìc iterum undique Davus sum. *TULLIUS.* Ausculta: erit deinde, ut Oedipus fias. A *Dimos* ordiar, quod Populum innuit. Cl. *Patinus* hunc Numum pingens, nihil omninò hæsitans scripsit, voluisse Philadelphios eundem excudentes, Populi Romani potestatem celebrare, quæ tanta erat, velut & nos alias diximus, ut per Tribunos Plebis vetandô, omnia Senatus decreta irritare valeret. Sed Ill. *Spanhemius* singula exactè investigans prolixè demonstrat, in pluribus Urbium Atticarum Numis, earum præcipuè, quarum regimen Democraticum, sive penes populum erat, Populi sui genium forma jam muliebri, jam virili, jam juvene, jam sene, jam diademate, jam laureato, jam velato capite excusum fuisse: atque ejusmodi Numos ad Populum Romanum haud referendos, nisi disertè ibidem legatur: ΔΗΜΟϹ. ΡΩΜΑΙΩΝ. *Populus Romanus.* Porrò Eruditiss. *Liebe* insuper addit, Populum Romanum, absente licet voce ΡΩΜΑΙΩΝ, intelligi tamen etiam posse, si caput ejusmodi capiti Senatus Romani eodem in Numo jungatur, aut cæteræ imagines illius monetæ cultum Romanum vestibûs suîs perspicuè referant. Unde consequitur, typicum hunc Numum tuum, quem equidem *Patinus* ceu specimen reveren-

Patinus l. c.

Spanhem. T. I. Diss. III. p. 135.

Goth. Num. p. 330.

verentiæ illius, qua Atticæ Urbes in Populum Romanum fuêre, exhibuit, multò magis populum Philadelphium laudare.

Philadelphis verò & antiquissima simul & celeberrima fuit Lydiæ civitas Asiæ minoris, & una de septem, ad quarum communitates D. Joannes Apostolus Apocalypsin suam perscripsit. Nunc ad provinciam Carasiæ in Natolia spectans, gemit sub jugo Turcarum, octo tamen incolarum millia numerat, in quibus permulti Christiani 4. Basilicas retinent. Ottomanis olim eam obsidentibus fortissimè restitit, territa tandem, postquam Barbari murum integrum ex ossibus mortuorum, cæmentô colligatis, ante eam erexêre. Vetustis illis temporibûs præcipui Numinis locò Dianam coluerunt, eapropter hìc in *Aversa* depictam. IX.

PUBLIUS. Quid verò in *Legenda* sibi vult vox illa mihi prorsus ignota *Neoçororum*? *TULLIUS.* Rectè sciscitaris, quod omninò te fugere nolim. *Neocoræ* dicebantur Urbes illæ, quibus concessum erat ejusmodi Templa habere, in quibus pro Imperatoribus Principibúsque publica Sacra totius Provinciæ nomine fiebant: Item quibus permissa fuêre Amphitheatra publicis ludis & agonibus celebrata. Hujusmodi sacrorum, ludorumve facultate ut potirentur, enixè sanè apud Augustos, sive Senatum supplicabant, votique semel & iterum, aut sæpiùs damnatæ mirè gestiebant, dissimulare non valentes, quin sortem suam adeò propitiam in Numis quoque Orbi vulgarent, séque ΔΙC. ΤΡΙC. ΤΕΤΡΑΚΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. i. e. *bis*, *tertiùm*, *quartùm Neocoras* jactitarent. Didici hæc ex Doctiss. *Joberto*, qui & alibi monet, perperam eos sensisse, qui rebantur, nullas alias Urbes, præter *Colonias*, *Neocoras* fuisse, cùm *Smyrna & Ephesus* hoc sibi præconium vindicent, quin tamen in easdem Colonos aliquandò à Romanis immissos quisquam commemoret. X.

Jobert. Instruct. V. p. m. 118.

Id. Instr. XI. 338.

PUBLIUS. Multam mihi denuò voluptatem attulisti: aggredere jam decimum & ultimum hujus Tabulæ Numum, *Populi* iterum, ut existimo, præconem. In *Adversa* namque caput elegans Viri juvenis video laureatum cum epigraphe: ΙΕΡΟC, ΔΗΜΟC. SACER POPVLVS. *TULLIUS.* Acu rem tangis: nempè usque adeò larga erat veterum superstitio, ut præconio sanctitatis etiam Populum consecraret. An verò & *Aversam* quoque pari dexteritate recensebis? *PUBLIUS.* Tentare licet. *Æsculapium* reor hunc senem, nudo pectore hìc adstantem: id quod ex baculo, cui anguis implicitus, colligo, quem dextrâ demissâ terræ imponit. Memini namque, quæ de hoc Medicorum Numine, & de serpente ejus *Dial. VIII. n. 2.* cùm de filia ejus *Hygeia* seu *Salute* disserens, mihi ingesseras. Circùm eundem lego: ΑΤΤΑΙΤΩΝ. *TULLIUS.* i. e. XI.

Tabula VI. Num. X.

ATTAITARVM numus: qui populus cum *Laconibus* cæteris, quorum è numero erat, *Æsculapium*, ut rectè omninò vidisti, præcipuè venerabantur.

XII. *PUBLIUS.* Expedivimus itaque, DEO propitio, tuâque eximia in me benevolentiâ, venerande Tulli, quam ut æternùm deprædicem, mille tibi nominibûs debeo, LX. Numos sanè non incuriosos, ac multimodæ penum eruditionis recondentes. Gratias habe immortales, & confide, dum ita me colis, minimè fore, ut litus aliquando te arâsse causeris. *TULLIUS.* Et ingeniô magnoperè vales, & insigni industriâ es, & infinito amore bonas tu Musas laudabilissimè deperis, Publi lectissime: quæ singula si in discipulo commodùm conspirare intelligat, dici vix potest, quanta id animi voluptate unusquisque Magistrorum conspiciat. Tantum itaque abest, sermonum meorum his in Dialogis tecum habitorum hactenus me pœnituisse, ut potiùs mihi quàm qui jucundissimi essent. Quòd si proinde vitam, incolumitatem, vires & otium utrique nostrûm largiatur omnipotens DEUS, telam Laconicæ veterum Sapientiæ in Numis vestigandæ, cui hucusque duntaxat prælusimus, & diligenter ordiemur, & per partes, quas constituimus, ordine suo exsequemur.

XIII. *PUBLIUS.* Vnum porrò adhuc superest, cujus, si per te liceat, hic te peramanter commoneam. Spopondisti nimirum mihi, efflictim te obtestanti, cùm *Dial. X. in Titi Carisii* Numo *Sibyllarum* aliqua nobis occurreret, velle te mihi, appendice veluti Dialogo, *XII. Sibyllarum* imagines, quas penès te esse ajebas, exponere, ac de iisdem, quod suprà omiseras, me plenius nonnihil erudire. Id modò ut facere velis, iterum iterumque vehementer te oro. *TULLIUS.* Siquidem jure tuo à me hoc æquissimè exigis, ad quod me ore meo adstrinxi, votis tuis, ut equidem potero, faciam satis, cum primum deinceps hoc iterum loco jungemur. *PVBLIVS.* Dii te ament, venerande Tulli. Dum verò interea meô tu commodo de *Sibyllis* cogitabis, ego eorum, quæ his in *Dialogis* notatu dignissima sunt, *Indicem* Tabulam non indiligenter conficiam. Fore hoc pacto existimo, ut tu quidem industriam meam tantò amplius pecspicias: ego verò, quæ tam ubertim à te didici, fideliùs teneam: alii postremò, qui fortè in hæc nostra aliquando inciderint, utriusque laboribus non incommodè utantur. *TULLIUS.* Hoc age: & ambobus nobis tantò amplius erunt hi acti labores jucundi.



DIA-

DIALOGUS XXII.

De Fœminis Vatidicis, ſive SIBYLLIS.

PUBLIUS.

ADmodum ſanè gaudeo, rurſum adveniſſe te mihi, ut de *Sibyllis* me erudias, quarum res, tempora, & oracula pernoſcere magnopere dudum avebam. *TULLIUS.* Adſum equidem ex animi tui ſententia, & ecce! *Sibyllarum* XII. tibi imagines mecum allatas libenter exhibeo. Caveſis autem, Numîs easdem genuinîs, vel grandi hac forma, vel altera, aliquando excuſas exiſtimes: quapropter & pingere illas, quibus veri omninò nil ſubſit, meritò ſuperſedi. Neque enim alias aliquando *Sibyllas* ære legitimo in publicum editas novi, præterquam *Cumanam*, quam *Goltzius* pingit in Numis ΚΥΜΑΙΩΝ, ſeu *Cumarum*, deinde *Gergithicam*, quam *Tab. III. n. 6.* exhibui, à *Tito Cariſio* unacum Sphinge ſub Cæſare Auguſto ſignatam, ad imitationem monetæ *Gergithicæ.* Priorem Illuſtr. *Spanhemius* eandem eſſe putat cum *Erythræa*, poſteriorem cum *Phrygia.* Quemadmodum autem hæ imagines nequeunt eſſe exactæ, ita & hiſtoria Sibyllarum immenſis tenebrîs, immò & fabulis involvitur: neque vidimus hominem, qui è graculis Scriptoribus, licèt ſus déque volutis, certi aliquid de vatidicîs hujusmodi fœminis ſtatuere quiverit. *PUBLIUS.* Ut audire abs te mihi videor, mulieres iſtæ non ænigmata tantùm carminibûs ſuîs edidêre, ſed & ipſæ mera ænigmata ſunt: utcunque verò res ea ſe habeat, præſtat tamen, quid Eruditi de *Sibyllis* opinentur ſaltem, quidque communiùs de iis recipiant, nôſſe, ac nominum tam celebrium omninò eſſe ignarum. *TULLIUS.* Neſcio ſanè, an nomen *Sibyllarum* tantoperè aliquando celebratum fuiſſet, ſi clariſſimi hoc noſtro tempore veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum Critici, *Caſimiri Oudini*, ſententia dudum valuiſſet, Libros videlicet VIII. *Sibyllinorum Oraculorum*, qui hodie circumferuntur, antiquiſſimis fœminis iſtis adſcribi nullîs æquis rationibûs poſſe, ſed Chriſtianis quibusdam Authoribûs eſſe conſarcinatos: quod ille, *Davidi Blondello*, & *Joanni Marckio* potiſſimùm adſtipulatus, annîs paulò ſuperioribûs prolixa octo capitum diſſertatione graviter gravitérque tuetur. Quoniam

I.

Goltz. Sicil. & Magn. Græc. Tab. XVII. n. 1. & 2.
Spanhem. Tom. I. Diſſert. V. p. 246.

Oudin Commentar. de Antiq. Scriptor. Eccleſ. Tom. I. p. 141. ſqq.

niam enim tot Seculis Christianis, nemine ferè rem profundius explorante, tam facili assensu creditum fuit, *Sibyllarum* aliquas de Christo luculente vaticinatas esse: contigit, ut plurimos cupido incesserit, earum mulierum res antiquissimas penitius internoscendi. Ego *Oudini* controversiam prorsus hìc in medio relinquo: de Numis enim, non de Scriptis genuinis sive spuriis, aut suppositis, nos inter hìc ambo differimus.

II. *D. Lactant. ex Varrone apud Demsterum p. m. 495.*

PUBLIUS. Agedum ergo, quid nominis, reique *Sibyllæ*, si placet, me primùm edoceas. *TULLIUS.* De nomine audias *Rosinum*, à Clar. *Demstero* recusum, & Paralipomenis auctum: qui *Varronem* apud *D. Lactantium Firmianum* ita differentem in medium affert. *Sibyllini Libri non fuerunt unius Sibyllæ: sed appellantur uno nomine Sibyllini, quòd omnes fœminæ vates* Sibyllæ *sunt à veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel à Consiliis Deorum denunciandis.* Σιοὺς *enim Deos, non* Θεοὺς, *& Consilium* βουλλὴν, *non* βουλὴν *apellabant, Æolico genere sermonis: itaque* Sybilla *dicta est quasi* Σιουβούλλη. Porrò *Servio*, gnavo *Virgilii* commentatori, *Sybilla* dicitur *omnis puella, cujus pectus Numen recepit.* *PUBLIUS.* Cepi Etymologiam: sed circa numerum harum mulierum quid demum sentiunt, & consentiunt docti? *TULLIUS.* Ferè quod capita, tot sententiæ. Quidam siquidem unam tantùm *Sibyllam* agnoscunt, cùm, teste iterum *Varrone*, jam Græcorum aliqui scriptorum de *Sibyllis* facere conati sint, quod de Jovibus, Herculibus, Minervis, ac cæteris Diis: qui cùm plures essent, unum tantùm prodiêre, eique, quidquid factitaverant omnes, ut deitas ejus tantò amplior fieret, tribuêre. Hanc porrò unicam *Sibyllam Erythræam* alii, alii *Siculam*, quidam *Sardinicam*, *Gergethicam* nonnulli: plures aut *Rhodiam*, aut *Lybicam*, aut *Leucanam*, vel postremò *Samiam* appellant. Uni præterea filiæ quamplurimos parentes insolenti mentiendi licentiâ affingunt. *Marcius Capella* duas statuit *Sibyllas*, unam *Erophilen* aut *Eryphilem* Trojanam, Marmesi filiam, quam eandem putat esse cum *Phrygia*, & *Cumæa*: alteram *Symmachiam* Hiporensis filiam, quæ *Erythræ* nata, etiam *Cumis* vaticinata sit. Mox Plinius multis auctor esse credebatur trium *Sibyllarum*, cùm Romæ in foro juxta rostra tres statuas, cæteris minores fuisse commemoret: e quibus unam *Pacuvius Taurus*, Ædilis plebis, instituerit, reliquas *M. Valer. Messala* Augur. Verumtamen *Joan. Markius* apud *Oudinum* laudatum studiosè advertit, *Plinium* nequaquam *de tribus Sibyllis*, sed duntaxat de totidem unius *Sibyllæ* statuis loqui. Sed non immeritò fortè quis miretur, uni fœminæ eodem in loco tres imagines positas, & quidem duas earum ab uno eodémque *Messala* augure. Postremò *Ælianus* quatuor *Sibyllas* enumerat, *Erythræam*, *Samiam*, *Ægyptiam*, *Sardiam*, subjungens: *Quidam*

Servius Æneid. III. *v. 452.*

M. Capella apud Pitisc. voce: Sibylla.

Plin. XXXIV. 5.

Markius apud Oudin. I. 144.

dam dicunt, etiam alias ſex fuiſſe, ut univerſæ ſint decem, in quibus & Cumana, & Judæa. Atque hunc in numerum denarium etiam *Varro* conſentit; unde, ut ſingulis in tota hac decade ſuum tribuerent, diligentiùs de *Sibyllis* ex inſtituto ſcripsêre *David Blondellus*, Vir magni nominis, cujus opuſculum editum eſt Pariſiis An. 1649. 4. *Joannes* itidem *Markius*, cujus duodecim de Sibyllinis Carminibus Diſputationes Franekeræ An. 1682. 8. prodiêre. Quia nihilominus alii *Sibyllarum* uni alterive, tanquam Seniori, juniorem aliquam affingebant, anſam fecêre pictoribus, quibus unacum Poëtis: — *Ælian. Variar. Hiſtor. XII. 35. 35.*

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas,

ut duodecim omninò Sibyllas cerebrô ſuô tandem excluderent. Cui, ut videtur, licentiæ indignatus *Petrus Petitus*, Medicus Franciæ, ex condicto rurſum ſcripſit de *Sibyllis*, multùm adniſus ut unam tantùm fuiſſe orbi erudito ſuaderet, argumentô ab ipſa tam immenſa varietate & contradictione ſcriptorum petitô. Natione Græcam illam vult credi: ſiquidem carmina Sibyllina omnia, quæ octo adhuc libris ſupereſſe putantur, non niſi Græca ſunt, credique non poſſit, fœminam Chaldæam, Phrygiam, Italicam &c. Attici idiomatis ex aſſe fuiſſe peritam. Nomina autem tam multifaria unam eandémque *Sibyllam* variis è locis ſortitam opinatur, non quòd nata ibidem eſſet, ſed quòd ſpiritu actu divino, orbémque peragrata, jam hìc demum, jam alibi, oracula ſua ediderit. Tu, ſi vales, lectiſſime Publi, in hac tanta caligine unus lynceus eſto, & Sphingem iſtam in oculis omnium confice.

PUBLIUS. Per me licet, ſi centum etiam *Sibyllas* attuleris: at quoniam eædem Græca ſunt ova, quomodo Romam allata? *TULLIUS.* III.
Breviter id tibi ex jam ſæpè laudata pererudita *Acerra nova Philologica* ita recenſeo. *Tarquinius Superbus*, ſeptimus & ultimus Regum Romanorum (alii malunt *Tarquinium Priſcum* ordine quintum) inſigni fabella fatuæ plebi impoſuit, dum commentus eſt, ſeniculam aliquam fœminam, ſibi ignotam, quæ tamen *Sibyllam* ſe diceret, clam ad ſe novem cum libris acceſſiſſe: pro quibus Philippeos ſeu Aureos trecentos popoſcit. Irriſit fœminam Rex tanti ob pretii magnitudinem: illa verò, igne quàm mox excitato, inſpectante Rege, tria ſubitò volumina combuſſit, eandem nihilominus pro reſiduis pecuniam poſtulans. Ampliùs *Sibyllam* Rex ſubiratus contempſit, præprimis cùm, tribus iterum libris exuſtis, necdum remittere quidquam de pretio vellet. Tum illa: Conſultum tibi, ô Rex, & populo tuo volebam, nec enim pecuniâ egeo: quòd ſi tanti tibi non eſt Urbis tuæ fortuna, quæ his à voluminibus pendet, ego & iſta ſuccendam: — *Acerra nova Philologica Part. II. n. 472.*

vos verò serò nimis his incendiis lacrymas affundetis. Motum se non immeritò his verbis, ajebat *Tarquinius*, ut libros adhuc superstites redimeret: qui pleni fatorum & vaticiniorum, oraculorum quoque & consiliorum de rebus Romanis reperti sunt. *PUBLIUS.* Fontem mihi jam prodis, unde postea fabulas suas *Virgilius* hausit: in quibus & comminiscitur, ipsum jam *Æneam*, diu multúmque pelagô jactatum, patre quoque *Anchise* fatîs erepto, *Euboicis Camarum orîs*, ventîs sic ferentibûs, allapsum esse: ubi

- - - - Arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ
Antrum immane petit, magnam cui mentem, animúmq;
Delius inspirat vates, aperítque futura.

Virgil. Æneid. VI.

Hanc mulierem deinde, Deô plenam, ac bacchantis in morem circumcursitantem, fata Latinorum futura Heroi Trojano ordine fingit exposuisse, ac subdit:

Talibus ex adyto dictis *Cumæa Sibylla*
Horrendas canit ambages, antróque remugit
Obscuris vera involvens.

IV. *TULLIUS.* Eruditè hæc interseris, lectissime Publi: legisse verò ibidem utique etiam debebas vota illa, quæ idem Poëta *Æneam Sybillæ* edidisse pro oraculis edixit, ita canens, & ore Herois promittens:

Te quoque magna manent Regnîs penetralia nostrîs.
Hìc ego námque tuas sortes, arcanáque fata,
Dicta meæ Genti, ponam, lectósque sacrabo,
Alma, Viros.

Futurum cecinit Vates, quod factum dudum jam erat. Etenim *Tarquinius*, tribus illis *Sibyllæ* voluminibus auro tam grandi coëmtîs (quod equidem in populo creditum est) quam mox secretum aptavit, noluítque omnino vulgaria fieri, quæ arcano Numinis illapsu uni fœminæ credita sunt. Quare duobus tantummodo Viris, quos Duumviros vocabant, hæc volumina, arcæ inclusa, &i n Capitolium illata, servanda commisit, solis illis potestate facta, ut ea inspicerent, & quid factu in singula tempora opus esset, Senatui indicarent. Sed enim fides duorum duntaxat Virorum certè periculo non vacabat, ac facile erat iisdem, cùm sine arbitris aliis essent, falsa pro veris tanquam oracula venditare, atque hoc pacto, quidquid demum vellent, in Republica statuere: ab his quippe Libris Sibyllinis à parvo ad maxi-

maximum jam omnes pendebant. Hanc in suspicionem adductum *M. Tullium Duumvirum*, *quòd Librum*, *secreta civilium Sacrorum continentem*, *custodiæ suæ commissum*, *corruptus Petronio Sabino describendum dedisset*, *culeo insutum Tarquinius Rex in mare abjici jussit*, teste *Valerio Maximo*. Valer. Maxim. Libr. I. c. I. Hinc pro Duumviris, instante cum Patritiis etiam plebe, quos omnes summa horum Librorum superstitio occupaverat, Decemviri subrogati sunt, referente *Dionysio* ita scribente. *Expulsis Regibûs Sibyllinorum curam Civitas suscepit*, *& Duumviris abrogatîs*, *Clarissimos Viros Custodes eorum creavit : qui per totum vitæ tempus fungerentur hoc munere*, *liberi ab omnibus militaribus atque civilibus muniis : & publicè illis addidit alios*, *sine quibus Sibyllinos Libros ab iis inspici non sivit*. - - *Creati quinque Patrum*, *quinque Plebis*. Dionys. Halicarn. Libr. IV. *Sullæ* temporibus, Viri quindecim eam curam fatalium Librorum gessêre, juxta *Pomponium Lætum* : quibus *Cæsar Julius*, teste *Dione*, unum iterum superaddidit. *Servio* autem perhibente, tandem ita crevit numerus horum Custodum, *ut sexaginta omninò essent : sed remansit nihilominus Quindecim Virorum vocabulum*. Pompon. Læt. de Sacerd. c. 18. Dio Cass. L. XLII. Servius Æneid. VI. V.

Et hæc quidem Volumina unacum Capitolio, *Sullæ* temporibûs, igne conflagrârunt: missi autem sunt à Senatu *Octacil. Crassus*, & L. *Valer. Flaccus* in Græciam, ut, quidquid Sibyllinorum Carminum reperire possent, coëmerent. Hi reduces ingentem eorum farraginem secum advexerunt, è quibus, delectu sedulo & examine habito, quæ proba videbantur, seposita sunt ad custodiam, supposita igni extradita. Augusti temporibûs iterata fiebat discussio, & duo rursus millia carminum, *Sibyllis* imputatorum, pro spuriis habita, cremabantur: cætera in Templo Appollinis servata sunt. Labente verò idololatria, ac Quiritum plurimîs ad Christi Sacra conversîs, vix quisquam authoritati horum Librorum ampliùs aliquid detulit : usquequo eosdem postremò *Stilicon* omninò flammîs absumserit. Argumentum eorum quod attinet, *Vossius* quidem docet, antiquissimos *Sibyllæ* Codices, in Capitolium illatos, profana omnia continuisse : quæ verò è Græcia allata sunt Carmina, prophetica subinde de Christo fuisse, nimirum à quopiam Judæorum supposita, atque pro *Sibyllinis* jactata. Verùmtamen Clariss. *Oudinus* prolixe tuetur, eam suppositionem à Christianis factam esse, maximè si sermo sit de iis Sibyllinis carminibus, quæ hodie nos inter jactantur. Cùm enim fœminæ illæ, quarum ætas ab omnibus dudum ante Christum statuitur, gentiles, aut meliùs paganæ certò certiùs fuerint, idcircò ab idololatris populis maximè habitæ, à Judæis contrà æternô involutæ silentiô : carmina econtra quamplura apertam Christianæ Religionis pietatem referant, & approbent : nec paganis, nec Judæis authoribus tribui debent. Quinam enim istorum v. c. cecinisset?

At

At nos æterna errantes à lege Tonantis
Morte caducorum ſtatuas, & ſigna virorum,
Numina facta manu, fatui orabamus honore &c.

Ita porrò Sibyllinorum Carminum *Libr. III.* ſonant verba *juſtorum.* *Libro II.* manifeſta fit mentio perſecutionum contra fideles excitatarum, cum iterata ad eos adhortatione, ut intuitu præmii à Chriſto conferendi, conſtantes in ſacta Religione perſiſtant: canitur ergo:

Ornabitque probos, æternáque præmia reddet
Teſtibus, ad mortis certamen euntibus usque.

Liber demum VIII. ferè in fine ſic habet, luculentô Chriſtiani Authoris teſtimoniô.

Nos igitur ſancta Chriſti de ſtirpe creati
Cœleſti, nomen retinemus proximitatis,
Lætitiæ memorem ſervantes Relligionem.

Joan. Markius de Sybill. Diſput. XII. n. 2. apud Clar. Oudinum Comment. de Script. Eccleſ. Tom. I. col. 150.

Tutò itáque ſcripſiſſe *Joann. Marckius* apud *Oudinum* videtur. *Chriſtianos conſtituimus Authores ſcripti, de quo controvertitur: qui, ut Chriſtianæ conſulerent fidei, ac cæcæ Gentilitatis converſionem promoverent, ſub Sibyllarum nomine myſteria evulgârunt. Utpote quarum & maximam apud Romanos, aliósque populos eſſe venerationem noverant, & genuina jam dudum ſcripta eſſe deperdita ſciebant, & nomine fuiſſe complures abuſos hactenus deprehendebant.* *PUBLIUS.* Miror te, venerande Tulli, quòd in *Marckii* ſententiam tam citò abire videaris, nullius interim penſi habens, ſanctæ illi primorum Chriſtianorum genti fraudem tam turpem, atque à fide & moribus noſtræ Religionis omninò abludentem hoc pacto impingi. An verbum veritatis, quo ſtat Chriſtiana Religio, dolo, immo mendaciô evulganda erat? Hoc ſine palmari injuria Gentis DEO natæ haud credam. *TULLIUS.* Placet admodùm mihi pia hæc tua perſpicacitas: Verumtamen meum tu ſermonem anteverteras. Mox nimirum admonere te volui ejus, quod dudum monuerat Vir Eruditus *Samuel Desmaretz* loquens de oraculis Sybillinis, videlicet: *procul dubio ea profecta vel ab ipſo Montano Hæreſiarcha Phrygio, vel ab ipſis Prophetiſſis, vel ab aliquo ex illius, illarúmque admiratoribus & ſectatoribus.* Etenim & hæretici Chriſtiano ſub nomine latuêre: quorum erat, de Chriſto pulcherrimè loqui, cujus tamen Eccleſiam miſerè ſcindebant. Nec facilè errabit, qui credet, hæreticos multos etiam mortem pro Chriſto, ut jactabant, oppetiiſſe, quin tamen Eccleſiæ conſenſerint, à patre mendaciorum & ſeminatore litium diabolo coronandi. Paganorum certè, Chriſti nomen undique

Sam. Desmaretz Selectar. Diſp. Part. II.

dique execrantium, parùm intererat, cùm furere cœpiſſent, orthodoxos, an hæterodoxos ad ſupplicia raperent: quos legimus, ne Apoſtatis quidem, & inter pœnas à Chriſto deficientibus, pepercisse. Supereſt interim, ut, misſis iſtis, ex *Demſtero* te adhuc commoneam, Carmina *Sibyllarum* Romæ cuſtodita, non in chartaceis voluminibus, ſed lineâ telâ conſtantibus fuiſſe deſcripta: quemadmodum alicubi de iisdem cecinit *Claudianus*: *Demſter. ad Roſin. L. III. p. 498.*

- - - - - quid carmine poſcat
Fatidico cuſtos Romani *Carbaſus* ævi. *Claud. de Bello Getico.*

Dudum ſiquidem *Plinius* perhibuit: *In palmarum foliis primò ſcriptitabant veteres: deinde quarundam arborum libris: poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut cereis.* Sed & *Sidonius Apollinaris* fatetur: *Plin. XIII. 11.*

Præter heroos joca multa
Texui *pannis* elegos. *Sidon. Apollin. L. IX. Epiſt. 16.*

PUBLIUS. Jucunda multa, nec undique obvia me hactenus de Sibyllis ſine diſcrimine docuiſti. An porrò non vacat, jam per ſingulas ire, &, quid de unaquáque tibi conſtet, ſingillatim pariter pandere? *TULLIUS.* Ibo utique, ſed fallentibûs undique veſtigiis: Ætas enim *Sibyllarum* nimiùm remota, memoriâ propè intercidit. *Cymerias* tamen tenebras à *Sibylla CYMERIANA* inchoemus. Hanc *Cumæam* dicunt plerique, & multi eandem omninò volunt cum *Cumana*: qui porrò diſtinguunt, ortam volunt ex *Cymerio*, Campaniæ oppido, *Cumis* vicino, ubi & eam vaticinatam concedunt. Nonnullis *Italica* dicitur, quòd, Trojâ ſuccensâ, eam ad provinciam migrârit, quaſi præſcia, è Teucris Latinos olim ſuſcitandos. *Oudino* notante, *Ariſtoteles* cum *Marcio Capella* eam facit ἐρυθραίαν, ſeu Erythræ natam: D. autem *Juſtinus* M. *Beroſi* filiam Babylone ortam conſtituit. Juxta *Ariſtotelem* ejus lectus, juxta *Juſtinum* templum ejus ſubterraneum, uno ſaxo fabricatum, olim oſtendebatur. Apud *Pitiſcum* verò lego, ei *Deiphobes* nomen fuiſſe, atque ad hanc demum *Sibyllam*, plurium ſaltem opinione, Æneam acceſſiſſe. Canit certè *Maro*: *VI.*

Affuit atque unà Phœbi Triviæque ſacerdos *Virgil. Æn. VI. v. 36.*
Deiphobe Glauci, fatur quæ talia regi. (*i. e Æneæ*)

Cymerianam Sibyllam excipiat CUMANA, plurimis eadem cum priore. Hanc *Solinus* non *Cumis* Italiæ, ſed *Cumâ* Æoliæ metropoli natam advertit, & *quinquageſima Olympiade rebus Romanis interfuiſſe* teſtatur. *Sepulcrum* tamen illius *ſua adhuc ætate manſiſſe in Sicilia* dicit: quod *Goltzius* in *Lylibæo* Pœnorum Colonia poſitum ſtatuit, unacum puteo, ex quo omnes bibentes Pythico furore afflati, oracula edere ſoliti ſint, ſathanæ re- *Solinus c. 2. Goltz. Sicil. Hiſt. p. 109.*

Aa gno

gno adhuc dum vigente. *Amalthea*, *Demophiles*, *Herophiles* nomina incertùm de ea jactantur: plures tamen admittunt, hanc *Cumanam Sibyllam* fuisse, quæ ad *Tarquinium* regem Romanum, quod suprà narratum est, fatidicis cum Libris accesserit. Quod cum referunt *Dionysius Halicarnasseus*, & *A. Gellius*, non ajunt, Oracula illa regi à *Sibylla* fuisse oblata, sed ἀπὸ γυναικὸς ἐκ ἐπιχωρίας, *ab Anu hospita atque extranea:* Addit verò *Servius: quæ se Malcheam diceret.* Esto verò *Varroni* credatur, ex quo & *Ludov. Vivis*, Librorum S. Augustini de Civit. DEI. Commentator eruditus, illud asserit, *Sibyllam Cumanam* cum *Tarquinio* egisse: quis tamen ille *Tarquinius* fuerit, an *Priscus*, an *Superbus*, quos inter *Servius Tullus* 44. annis intercessit, neuter definit; Interim Doctiss. *Salmasius* acriter contendit, *Cumæam*, *Cumanámque* Sibyllam eandem omninò fuisse, fortè non animadvertens, aut rejiciens, quòd *Solinus*, ut suprà memineram, *Cumæam* Sibyllam à *Cumis* Italiæ appellet, *Cumanam* verò à *Cuma*, Æoliæ metropoli, quódque ille sepulcrum quidem *Cumanæ* Sibyllæ, non tamen cunas natales in Sicilia constituat. Præterea *Cumæam* inter *Cumanámque* Sibyllam lis alia consurgit, de quanam videlicet earum *Ovidius* ætatem tam longævam, támque prodigiosam commentus sit, ut sic eam canentem induceret:

Ludov. Vivis in Libr. XVIII. de Civit. DEI. c. 23.

Salmas. Exercitat. Plinian. p. 52.

- - - - - Annos
Vixi bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Servius de *Erythrea* Sibylla, quam *Aristoteles*, *Marcius Capella*, & *Salmasius* eandem esse cum *Cumaea* pronunciant, idem fabulatur, quod de *Cumaea* somniabat *Ovidius*: nimirum, eam ab Apolline pio amore admodùm fuisse dilectam, ita, ut ei facultatem offerret poscendi, quod vellet. Hausit illa arenam manibûs, támque longam sibi vitam poposcit. Cui Deus respondit, posse id fieri, si *Erythræam* patriam suam, in qua habitabat, desereret, & nunquam deinceps videret. Mox igitur *Cumas* proficiscebatur: ubi, quod *Phlegon Trallianus* apud Clar. *Oudinum* observat, *decem generationes inter homines vixit.* Corporis quidem viribus omninò defecta, vitam in sola voce retinuit. Quod cùm cives ejus Erythræi cognovissent, vel misericordiâ moti, vel invidiâ stimulati, Epistolam ei miserunt antiquo more cerâ signatam, qua visa, quia erat de patria insula sua, morte soluta est.

Servius apud Oudin. Col. 146.

VII. *DELPHICA* Sibylla omnium ferè antiquissima, & celeberrima creditur: quam *Diodorus* scribit *Daphnen* appellatam, *Suidas* verò *Artemin*, & *Manto*, denique *Pausanias* etiam *Herophilen*, quod & *Salmasius* tuetur. Ab aliquibus nata Delphis putatur: vulgò tamen, ex mente *Diodori*, filia *Tiresiæ*, vatis Thebani, creditur, à patre vim divinandi adepta. *Delphicæ* cognomen obtinuit, quia, cùm Argivi Epigoni ex Apollinis responso Thebas

sub

ſub duce Alcmæone expugnâſſent, inter cæteros capta, *Delphos* eſt miſſa, ut votum victoriæ Apollini redderet. Ibi fatorum futurorum longè peritior facta, Oraculis Apollinis diu inſerviit: neque tamen perpetuò remanſit, ſed, teſte *Pauſania*, apud *Samios* quoque magnam vitæ partem actitans, *Claron* pariter *Colophoniæ* Urbem acceſſit, in *Troade* poſtremò defuncta. Unde bellum Trojanum longè anteceſſiſſe debuerat, anſámque *Homero* dediſſe exiſtimatur, ut ejus è vaticiniis permulta poëmatiis ſuis insereret. *Delphis* porrò vaticiniorum ſuorum inſigne monumentum eam reliquiſſe, *Plutarchus* Libro *de Pythiæ oraculis*, & *Clemens Alexandrinus* ex *Heraclide* apud *Oudinum* teſtantur: ſaxum videlicet ingens à ſe conſtitutum, in quo ſedens oracula ſua cecinerit. Plus audebat *Serapion*, comminiſcens, eam ne mortuam quidem à divinando ceſsâſſe, ſed id, quod ex ea in aërem receſſit, poſt obitum, illud ipſum eſſe, quod nunc in ſortibus & auguriis divinat. Corpus illius in terram verſum, herbas protuliſſe, quæ ab animalibus comeſtæ, extis eorum & viſceribus ſigna impreſſerit, ex quorum inſpectione futura diſcantur. Animam tandem illius faciem Lunæ conſtituere. Supereſt, ex *Varrone* ut addam cum *Pitiſco*, Delphicam hanc vatem ante omnes fatidicas fœminas nomen *Sibyllæ* conſecutam eſſe, cæteras verò, quæ eam vaticinandô poſtea imitarentur, ab ea *Sibyllas* appellatas fuiſſe.

Plutarch. & Clemens Alexandr. ex Serapione apud Clar. Oudin. Col. 145.

VIII. SAMIA Sibylla parùm admodùm nota eſt: ejus memoriam in antiquiſſimis Samiorum Annalibus ſibi occurriſſe *Eratoſthenes* & ipſe Scriptor vetuſtiſſimus retulit. *Euſebius* verò Numæ Pompilii, apud Romanos Regis ſecundi, temporibûs Olympiade XVII. eam claruiſſe in Chronicis narrat, vúltque *Heriphilen* dictam: quamquam *Suidas* proprium ei nomen *Phyto*, ſive *Pytho* fuiſſe teſtetur. Sibylla HELLESPONTIACA nata eſſe dicitur in agro Trojano, vicóque *Marmiſſo*, ſive *Marpeſſo*, circa oppidum *Gergithium*. In *Tibulli* carminibus *Marmeſſia* audit, ſive *Marpeſſia*, & *Gergithii*, velut concives ejuſdem, ære ſuo eam una cum Sphinge excudebant. Vixiſſe circa Solonis, Cyríque tempora ab *Heraclide Pontico* perhibetur. DE PHRYGIA Sibylla nihil omninò veteres memoriæ prodidêre, quàm quòd *Ancyræ* vaticinata ſit. *Marcius Capella* per eam non aliam niſi *Cumæam* intelligi cupit. De LYBICA quoque nihil omninò forſitan ſciremus, niſi ejuſdem *Euripides* in Lamiæ prologo meminiſſet: quod argumento eſt, eam ante Olympiadem LXXX. fuiſſe vaticinatam, & fortè juxta Græcos apud *Pauſaniam*, ſi *Delphica* ei ætatem concedere voluerit, *omnium mulierum primam*. Idem *Pauſanias* ex Græcorum relatu ejus nomen & parentes evulgat: vult enim *Jovis & Lamiæ* vatidicæ filiam, *Lybiſſámque* nuncupatam. ERYTHRÆAM Sibyllam plures à *Cumæa* diſtinguere nolunt: *Lactantius* ei patriam tribuit *Babylonem*, *Erythram* alii. *Apollodorus*

Erythræus eâdem ut concive sua gloriatur, vúltque eandem Græcis Ilium petentibus vaticinatam fuisse, Trojam arsuram, & *Homerum* mendacia multa scripturum. *Dionysius* porrò *Halicarnasseus* insuper refert, eam *Æneæ* quoque cum sociis mandâsse, ut Occidentem versùs navigaret, donec illò pertingeret, ubi mensas manducarent. Plurimi ergò ante bellum Trojanum eam constituunt: *Eusebius* tamen illam differt ad Romuli tempora, & primam Quiritum ætatem. Sed *Strabo* duas *Sibyllas Erythræas* agnoscit.

IX. PERSICA Sibylla sæpè *Babylonica*, *Chaldæa*, *Ægyptiaca*, *Hebræa* appellatur, ob nimiam patriæ incertitudinem, harúmque provinciarum vicinitatem, quapropter facilè confunduntur. *Pausania* authore, *post Demò Cumanam Sibyllam, in fatidicarum fœminarum numerum Hebræi, qui suprà Palæstinam sunt, conscripserunt Gentilem suam*, Sabbam *nomine: quam* Beroso *patre*, *matre* Erymanthe *genitam tradunt.* Porrò *Suidas* infit: Sibylla *Chaldæa*, quæ à nonnullis *Hebræa* vocata est & *Persica*, proprio nomine vocabatur *Sambethe*. Quod nomen ab illo *Sabba* formatum analogica ratione, existimante *Pitisco*, m. litera cum b. commutata. Interim, ut advertit Clariss. *Oudinus*, cognatio nominum *Sabæ* regionis, & *Sabbæ*, hunc in errorem quosdam induxit, ut *Sibyllam* hanc *Persicam* pro Regina *Saba* acciperent, quæ Jerosolymam venit ad sapientiam Salomonis periclitandam. Sphalma tamen eorum multò insolentius fuit, qui hanc Sibyllam etiam nurum *Noëmi* Patriarchæ fecêre: eò quòd quidam scripserint, illam in oppido *Noë*, ad mare rubrum sito, progenitam esse. Non desunt etiam fabulatores, qui Deam eam jactitent, arísque ac templo esse cultam comminiscantur. Plurimam autem, quæ de Christo sunt, vaticinia passim Sibyllæ huic *Persicæ* tribuuntur; de qua proinde *Ludov. Vivis* ita pronuntiat: *Ejus Libri fuerunt quatuor & viginti, ac de Christo Domino innumera cecinit, déque ejus adventu: cui cæteræ quoque Sibyllæ concinuerunt. Versus ejus passim legebantur imperfecti, & interdum parùm cohærentes, vitiô non vatis, sed exscribentium festinanter, ita, ut multa conjectura sit opus. Quod non sine Numine contigit, ne ab indignis illa vaticinia intelligerentur.* Huic proinde *Sibyllæ* imputantur etiam VIII. Libri Carminum, quos hodie habemus, & Sibyllini dicuntur. Horum tertiô sub finem ista leguntur:

Pausan. Phocaicor. Libr. X.

Ludov. Vivis ad Libr. XVIII. *S. August. de Civit.* DEI *cap.* 23.

Ut mortale genus, venturáque quæque fuerunt,
Pandens admoneam: siquidem cùm dilueretur
Mundus aquis: cùm vir solus probus exuperaret
Quidam, quem per aquas vexit domus eruta silvis,

Et pecudes, & aves, rursum impleretur ut orbis;
Ejus ego nurus, ejus item de sanguine nata,
Cui prima acciderant, postrema ostensa fuerunt,
Hactenus ore meo vera omnia prodita sunto.

Hic fœmina ista, ore hæc Carmina fingentis, se ait interfuisse Diluvio, & tanquam Nurum Patriarchæ *Noë*, qui solus justus inventus erat, cum eo in Arca esse servatam. Sed paulò pòst iterum destruit, quod mox asseruerat, iterum canens:

Hæc sunt, quæ moneo, Assyria Babylone profecta.

Babylon verò nonnisi 153. annîs à Diluvio cœpit. In consequentibus matrem suam *Circen*, & patrem *Gnostum* dicit, id est *Ulyssem*: cujus adventus in montem *Circellum* octingentîs & ampliùs annîs ab excessu Patriarchæ *Noë* acciderat. Quomodo ergò nurus illius existere potuit? Hæc *Oudinus* ex *Blondello* animadvertit, ut liberum esset cuilibet, de veritate *Librorum Sibyllinorum*, qui hodie exstant, secum decernere. *Oudin. Commentarior. de Scriptor. Eccles. Col. 153.*

X. TYBURTINA tandem *Sibylla* dicta est non tam, quòd Tybure nata fuerit, quàm quod cultum ibidem Deæ acceperit. Narrant, eam *Augusti Cæsaris* tempore vixisse, eúmque adhortatam esse, ut puerum ex Virgine nasciturum adoraret, immò eidem Deiparam in aëre sublimem cum infante in ulnis ostendisse. Quod diffitetur Eminentiss. *Baronius*: aut, si quæ huic rei fides adhibenda sit, ita adhibendam existimat, *ut ea ipsa Augustus à Sibylla acceperit, hoc est, à Sibyllinis carminibus, in quibus cognoscendis, scrutandis, expurgandis ille multus fuit.* Cæterùm credulam hanc opinionem *Varro* convellit, de *Tyburtina Sibylla* ad Cajum Cæsarem Pont. Max. qui præcessit Augustum, ita præscribens. *Nomine* erat *Albunea, quæ Tyburi colitur ut Dea, juxta ripas amnis Anienis: hujus námque in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum. Sacra ejus in Capitolium transtulit* Senatus. Sibyllæ *Europeæ*, ac *Rhodiæ*, quarum hìc plasmata insuper vides, nullam apud Authores video memoriam fieri. Nimirum utrámque tacuit *Varro*, cui aliàs *Sibyllæ* reliquæ omnes suam qualemcunque historiam debent: nemo etenim, nisi *Varronis* testimoniô fultus, harum aliquam Vatum commemorat. *Baron. Apparatu Annal. n. XXV.*

XI. Postremum, quod de *Sibyllis* in quæstionem adducitur inter Authores, est perpetua earum Virginitas. Sed quis de statu illarum tutò pronunciet, quarum nec ætas, nec patria, neque parentes sciuntur? Qui omnes perpetuò mansisse Virgines volunt, nituntur *D. Hieronymo*, alicubi scribente: *Sibyllarum insigne Virginitas est, & Virginitatis præmium divinatio. Quòd si Æolico sermonis genere Sibylla* Θεȣβȣλη *appellatur*, *S. Hieron. Libr. I. contra Jovinian.*

 rectè

rectè Consilium DEI sola scribitur nôsse Virginitas. At huic sententiæ manifestè refragatur *Clemens Alexandrinus*, referens, *Sibyllæ Italicæ filium fuisse Evandrum.* Quin & ipsa *Sibyllæ Persica* in versibus supra allatis disertè *Nurum* se *Noë* Patriarchæ professa est, i. e. uxorem cujusdam è filiis ejus. Alibi se insuper accusat ceu fœminam prostituti pudoris: atque idcircò misericordiam DEI implorat: Canit enim:

S. Clem. Alexandr. Stromat. Lib. I.

Mille mihi lecti, connubia nulla fuerunt,
Juréque jurando quosvis perjura ligavi &c.

Evidens sanè hoc argumentum est, aut eam, quæ hoc cecinit, *Sibyllam* non fuisse, aut *Sibyllas* non omnes Virgines permansisse. Sed emergamus tandem, lectissime Publi, è tam Cimmeriis *Sibyllarum* tenebris: ad Imperatorum verò certiorem historiam, proxima in Exercitatione tractandam, nos accingamus. *PUBLIUS.* Tu verò impensas iterum à me recipe grates, venerande Tulli, & geminum, quem confeci, hunc Indicem relege. Sin placeat tibi, non parùm beatum me credam. Vale, ac iterum vale.



IN-



INDEX PRIOR
EORUM,
Quorum Numi in hac EXERCITATIONE I. Prævia pinguntur, & exponuntur.

NB.

Cùm Imagines Numorum in Tabulas relatæ sint, exponantur in Dialogis, notandum fuit, ubi pictus sit Numus, ubi expositus. Dum itaque legis: *T. I.* 1. intellige, Numum illum depictum *Tabulâ primâ, numero primo.* Cum scribitur: *D. I.* 1.2.3. noveris, Numum eum exponi *Dialogo primo, numerîs marginalibûs* 1.2.3. Paginam allegare nec integrum mihi fuit, neque tibi magnopere necessarium.

ACILII *Manii* Numus cum capite Salutis Deæ, & Dea Valetudine stante. Pingitur T. III. 1. exponitur D. IX. 1.2. 4. 5. 6.

AGATHOCLIS Syracusani Tyranni Numus cum capite Dianæ, & fulmine. Ping. T. I. 4. Expon. D. II. 11. 12.

ALEXANDRI M. Macedonis Numus cum capite suo, & Jove sedente. Ping. T. I. 1. Exp. D. I. 4 - 8.

ALLII *Caii* Numus cum capite Junonis Lucinæ, & Diana cervîs invecta. T. III. 2. D. IX. 8-12.

AMBRACIÆ Urbis Numus cum capite Minois, aut Jovis, ac Minotauro. T. I. 10. D. IV. 8 - 12.

ANTISTII *Caii Veteris* Numus, cum capite Augusti, & Ara Apolli-

Apollinis Actii. T. III. 3. D. X. 1-5.

ANTONII *Marci* Triumviri Numus cum capite suo intra sertum ex hedera, & capite Cleopatræ supra cistam inter serpentes. T. III. 4. D. X. 6. 7.

ATHENARVM Numus cum capite Palladis & Noctua. T. II. 6. D. VI. 2.

ATTAITARVM Numus cum capite virili imberbi ac laureato sacri Populi & Æsculapio stante. T. VI. 10. D. XXI. 11.

AVRELII *Marci Antonini* Imp. Numus cum capite suo, & Lupa gemellos lactante sub lupercali. T. VI. 5. D. XX. 10.

BRVTTIORVM Numus cum capite Jovis, & Brettone Herculis filio. T. II. 8. D. VI. 7. 8.

BVCÆ *Lucii* Numus cum capite Julii Cæsaris, & globo, caduceo, fascibus, securi. T. IV. 5. D. XV. 1. 2. 3.

CARISII *Titi* Numus cum capite Junonis Monetæ, incude, forcipe, malleo, & vitta Vulcani. T. III. 5. D. XI. 1. 2.

Ejusd. Numus alter cum capite Sibyllæ Phrygiæ, & Sphingis. T. III. 6. D. XI. 6. 7.

CESTII *Caii* Numus cum capite Africæ elephantino, ac sella curuli inter fasces. T. III. 8. D. XII. 6. 7.

CLOVII *Caii* Numus cum capite Victoriæ, & Pallade Strativa Tropœum portante. T. III. 9. D. XIII. 1. 5.

CORCYRÆORUM Numus cum stella Bacchi, vasis, botro & hedera. T. II. 3. D. V. 10. 11.

COSANORVM Numus cum tribus viris proficiscentibus, & aquila, sceptro insistente, laurúmque gestante. T. II. 9. D. VII. *ferè per totum.*

COTTÆ *Lucii Caii* Numus cum capite Vulcani, & aquila, utrobique intra sertum laureum. T. III, 7. D. XII. 1-5.

DELPHORVM Numus cum juvene Delphino insidente, & capite Apollinis plectro, & lauri ramo. T. II. 1. D. V. 1-7.

DEMETRII *Nicatoris* Seleucidarum Regis Numus cum capite suo, & aquila ad palmam stante. T. I. 5. D. III. 2-6.

Ejusdem alter Numus cum capite suo, & Jove sedente. T. I. 6. D. III. 7.

DVRRACHIORVM Numus incusus cum vacca vitulum lactante. T. II. 7. D. VI. 3-6.

HERENNII *Marci* Numus cum capite pietatis, & imagine Æneæ Anchisen portantis. T. IV. 1. D. XIV. 2. 3. 4.

HIERAPOLITANORVM Numus cum capite sacri Senatus, &

Felicitate ſtante. T. VI. 8. D. XXI. 4 7.

HIERONIS I. Reg. Syracuſani Numus cum capite ſuo, & eodem equite. T. I. 3. D. II. 9. 10.

HOSTILII *Lucii Saſernæ* Numi duo: Prior cum capite Pavoris Dei, & biga: Alter cum capite Palloris Deæ, & Diána Epheſia. T. IV. 2. & 3. D. XIV. 5. 6.

LEUCADIORUM cum Dea ſtante, penès quam cervus, telum, aquila, ſpica, & navis. T. II. 4. D. V. 12.

LICINII *Lucii Macri* Numus cum Vejove, & quadriga. T. IV. 6. D. XV. 4. 5.

LIVINEII Lucii Reguli Numus cum capite patris ſui, ſella curuli & faſcibus. T. IV. 7. D. XV. 6. 7.

LUCRETII *Trionis* Numus cum capite Neptuni, & puero ſuper Delphinum equitante. T. IV. 8. D. XV. 8. 9.

LURII *Publii Agrippæ* Numus cum capite Auguſti, cui parvula Victoria laurum illigat, & literis S C. T. IV. 9. D. XV. 11. 12.

LYSIMACHI Thraciæ R. Numus cum capite ſuo cornuto, & Pallade ſedente. T. I. 2. D, II. 2-8.

MÆCILII *Marci* Numus cum capite Auguſti, & S. C. T. IV. 10. D. XV. 11.

MARCELLINI *Lentuli* Numus cum Jove ſtante, ac Tricrure Siciliæ. T. III. 10. D. XIII. 10. 11.

MARCI *Caii Capitonis* Numus cum capite Junonis, & viro boves agente. T. V. 1. D. XVI. 5 - 8.

MEMMII *Caii* Numus cum capite Quirini, & Cerere ſerpentibûs vecta. T. V. 2. D. XVI. 9- 10.

MINUCII *Quinti* Numus cum capite Romæ, ac Caſtore & Polluce Equitibus. T. V. 4. D. XVII. 5 8.

MINUCII *Titi Augurini* Numus cum capite Romæ, columna & ſtatua. T. V. 3. D. XVII. 1. 2. 3. 4.

MITHRIDATIS *Eupatoris*, Ponti Regis, Numus cum capite ſuo, & cerva paſcente intra hederæ ſertum. T. I. 7. D. III. 8. 9.

MUSSIDII *Lucii Longi* Numus cum capite Veneris Cloacinæ, & cancellis Comitiorum. T. V. 5. D. XVII. 9. 10.

NUMUS cum capite Minervæ, & titulo *Romanos*, ac capite Equi. T. II. 10. D. VII. 15. 16.

NUMUS cum Jano bifronte, & puppi navis. T. VI. 1. D. XX. 3.

NUMUS cum capite Romæ, & Victoria bigas agente. T. VI. 2. D. XX. 4.

NUMUS cum capite Romæ, vel Genii ejus, & Lupa gemellos lactante. T. VI. 3. D. XX. 6. 7. 8.

NUMUS cum capite Romæ, & Ficu Ruminali inter geminam aquilam. T. VI. 4. D. XX. 4.

NUMUS cum capite Romæ, eáque iterum ſedente ad Ficum Ruminalem: pone Lupa & Picus geminus. T. VI. 6. D. XX. 11.

PAGASEORUM Numus cum nomine Urbis intra ſertum ex

hedera, & cum capite quasi fœmineo Liberi patris. T. II. 2. D. V. 8. 9.

PAPI *Lucii* Numus cum capite caprino Junonis Sispitæ, ac gryphe. T. V. 6. D. XVIII. 1. 2. 3.

PAPII *Lucii Celsi* Numus cum capite Mercurii & lira. T. V. 7. D. XVIII. 7.

PETRONII *Publii Turpiliani* Numus cum capite Augusti, & Sirene stante. T. V. 8. D. XVIII. 8. 9.

PHILADELPHIORUM Numus cum capite muliebri velato Populi, & Diana venatrice. T. VI. 9. D. XXI. 8. 9.

SILANI *Lucii* Numus cum capite Salutis Deæ, & victoria bigas agente. T. IV. 4. D. XIV. 9. 10.

SURDINI *Lucii* Numus cum serto laureo, in quo nomen Augusti, & cum literis S. C. T. V. 9. D. XIX. 1. 7.

SYNNADÆ, Urbis Phrygiæ, Numus cum capite Romæ turrito, & elogio Deæ, ac cum Iside stante. T. VI. 7. D. XXI. 1. 2. 3.

THEMISTOCLIS Numus cum capite ejus, & tropæo navavali. T. I. 9. D. IV. 5.

TIGRANIS, Armeniæ Regis, Numus cum capite suo, & Armenia provinciam aliam calcante. T. I. 8. D. III. 10.

VALERII *Lucii Flacci* Numus cum capite victoriæ, & Marte stante. T. V. 10. D. XIX. 8. 9.



INDEX ALTER
RERUM NOTABILIUM,
Quæ ad Numorum Cognitionem, Fabulam, Historiam, Mythologiam, Ethicam, Politicam referri queant.

Numerus Romanus Dialogum (si litera P. præponatur, unum è Procemialibus) Numerus Arabicus numerum Dialogi marginalem demonstrat.

A.

A. subinde notat Assem. VIII. 6.

A. A. A, F. F. quomodo legendum? VIII. 9.

A. P. F. quid sibi velit? VIII. 9.

Accensus apud Quirites quid? VII. 14.

Acilia gens IX. 4. 5. 6.

Acrostolium, & Acrotirium quid? V. 12.

Ædilium origo & munera. XII. 8.

Ælia gens. IX. 9.

Æmilia gens. XV. 3.

Æneæ tributum elogium *Patris Dei*, vel *Jovis Indigetis*. XIV. 3.

Æsculapio unde serpens addatur? IX. 2.

Ætas, Colchidis Rex, inhumanus & truculentus. V. 9.

Ætoli pugnabant uno pede nudi. XIX 9.

Africa in Numis est capite elephantino. XII. 6.

Agathoclis Siraculani Regis tyrannis & interitus. II. 12.

Alexandri M. Notæ juventus, & collum recline. I. 5. Ejus nativitas credita divina. 7. Elogium & mors. 8. Effigies ejus ab omnibus deportata. *ibid.* Videtur esse in Numo Lysimachi. II. 2.

Ambracia Epiri Urbs. IV. 12.

Andromedæ fabula. III. 6.

Antiochus radix peccati. III. 7.

Antiquis in rebus verosimilia pro veris accipienda. VII. 8.

Antiquitatis studia ritè tractata cavillare, imprudentis hominis est. XVI. 17. Diabolo dolet industria hominis ad res antiquas pernoscendas incumbentis: ideo tot excitat irrisores. 19. Antiquarum rerum peritia valet ad redarguen-

guendos impios, qui Evangelio non obediunt. 20. Ea, ad quam hodie mundus, & nobilis maximè juventus adeò anhelat, uti nam Viris Ecclesiasticis domi esset: ne haurienda foret, ubi non expedit. 21. Antiquitatis in cognitione sobria & casta non leve inest momentum ad Ecclesiam Catholicam cohonestandam, atque tutandam 22.

Antistia gens. X. 5.

Antonia gens. X. 6.

M: Antonii Triumviratus, & fatum. X. 7. 8. 9. 10. Bacchum induit. 12. Consulatus ejus triplex. 14.

Apollo Delphino vectus, *Delphis* nomen dedisse fertur, ipse dictus *Delphinius*. V. 2. Ejus Oraculum, Tripus, Templum Delphicum. 3. 4. 5. 6. Quomodo Pythonem occiderit? V. 4. à Leucadiis Templo, & annuo rei hominis Sacrificio cultus. V. 12.

Apollo Actius ab Augusto cultus. X. 2. Ejus Lira & Ludi. 3. 4.

Apollinares Ludi unde orti, & quomodo acti? XX. 5.

Apum alæ, & favi olim fuêre materia Templi Apollinei Delphici. V. 5.

Aquila cur Jovi tributa? I. 6. An in Numis comparuerit cum sceptro & lauro ante ævum Augusti? VII. 7. 9.

Aradus Insula Phœniciæ. III. 5.

Archimedis historia. XIII. 14.

Argonautaurum fabula. V. 9.

Arietis cornu in capitibus regum unde domo? II. 2.

Athenarum elogium. VI. 2.

Augustus Imperator laudatur. X. 1. Quibus Sibyllis sit usus? XI. 8.

Aurei Velleris fabula. V. 9.

B.

Bacchantium stultitia. X. 17.

Bacchus omnis sexûs, & ætatis formâ exhibebatur. V. 8. Unde ignifer dictus, & stellâ designatus? Per eum Sol intelligebatur. Aureîs cornibûs fictus est. Maculosarum pellium animalia ei immolata. V. 11. Ejus signum hedera. X. 12.

Balarus idem ac exul. IX. 12.

Balæ cognomen unde? IX. 12.

Bigæ, aut Quadrigæ victoriæ signum. XIV. 7.

Boves in Numis coloniæ nota. XVI. 6.

Bruti Lucii Junii, primi Consulis, Numus, qui reges Româ expulerat, descriptus. VII. 11.

Bruttii qui, & quales? VI. 7. 8.

C.

Caduceus pacis index. XV. 2. Mercurio proprius. XVIII. 7.

Cæsar

Cæsar Julius quoties Dictator fuerit? XIII. 4.

Callisthenis Philosophi fatum. II. 5.

Capra abominabilis apud Quirites. XVIII. 2.

Capita sine nomine, præsertim mulierum, ægrum est dignoscere, nisi ex usu. XI. 6. Capite suo Numum signare, florente Republica, nemini licuit. Julio Cæsari indultum. VIII. 8.

Carisii Titi Victoria relata de Asturibus. XI. 5.

Carthago unde dicta. IV. 4.

Castoris & Pollucis fabula. XVII. 6. 7. 8.

Celes quid? II. 9.

Cereris fabulæ & mythologiæ. XVI. 11. Ejusdem Ludi. 15. 16.

Cestia gens. XII. 7.

Ciceronis occisi causa. X. 7.

Cistophorus Numus quid? X. 18.

Claudia, & Cornelia gens. XIII. 10. 12.

Cleombrotus immortalitatis causâ experiendæ seipsum interemit. IV. 12.

Cleopatræ amores impuri erga M. Antonium, & mors. X. 9. 10. 11. elogium ei ab Amasio tributum. 15.

Cloacæ apud Quirites opus erant magnificum, atque stupendum. XVII. 10.

Clovia gens. XIII. 5.

Codri Reg. Atheniensis in patriam amor. VI. 2.

Cognomina unde petita? VIII. 16.

Colchidis Insulæ aureum Vellus, i. e. Auri opulentia. V. 9.

Colonia quid? & quomodo emitti solita? XVI. 6.

Columna firmitatis index. IX. 2.

Comitiorum locus quis? XVII. 15.

Concordia Dea. IX. 1.

Consulum Romanorum origo & munera, ac dignitas propè regia. XIX. 10. 11. 12. 13. 14.

Consulares quinam? XIX. 14.

Corcyræ Urbis ac Insulæ historia, fortuna, & opes. V. 11.

Cornucopia felicitatis ac ubertatis nota. XXI. 4.

Corona ex hedera Bacchum innuit. III. 9.

Cosa colonia Volsiniensium. VII. 2. Soricibûs ita vexata, ut coloni solum vertere debuerint. 4.

COS. COSS. ITER. III. IV. & COS. DES. quomodo legendum, & quid velit? X. 14.

Cottarum familia. XII. 5.

Crus triplex, capiti humano junctum, Siciliæ typus. XIII. 11.

Curator frumentorum quid? IX. 11.

CVR. X. FLAND. quomodo legendum? VIII. 9.

D.

D. Decius, aut *Decimus* legendum. XIV. 9.

Daphne in laurum mutata. V. 5.

Delphi unde dicti? V. 2. Delphicum Oraculum quomodo cœperit, creverit, periêrit? 3. 4. 5. 6. Templi Delphici quantæ divitiæ? quæ fata? quoties, & quomodo aliter atque aliter structum? 5. 6. Ibidem virgines primùm, postea anus divinabant. 3.

Delphin amat juvenes. Fingitur Apollinis vector, aut hic ejus formam induisse. Etiam Pytho serpens dictus Delphinus. V. 2. Hic piscis in Numis maris symbolum. XV. 9.

Delphus Neptuni filius. V. 2.

Demetrii multi: unde Numi eorum ambigui. III. 2. Demetrius II. seu Seleucus dici voluit Deus invictus. III. 7.

Diadema seu fascia in capitibus regum. II. 2.

Diana à Macedonibus culta sub typo *Lunæ*. VI. 1. *Diana Lucifera* eadem cum *Junone Lucina*, & à prægnantibus implorata. IX. 10. *Diana Ephesia* subinde Provinciam notat, ubi culta est. XIV. 8.

Dictatoris origo & munus. XIII. 3. 4.

Didonis Numus fictus rejicitur: ejus historia: nihil illi cum Ænea. IV. 4.

Dii cur semi-nudi? I. 6. Utriusque sexus formâ reddebantur: quare? V. 8. Cur eorum imaginibûs Numi tam sæpè signati? XIII. 6. Deorum capita denotant Templorum dedicationem, aut Ludos. XV. 5. Dii marini. 9. Deæ nomen, Romæ tributum, videtur *nomen blasphemiæ*, de quo D. Joannes in Apocalypsi. XXI. 2.

Diogenes fastum Platonis calcans. XVII. 13.

Discendum, ut docere queas. XVI. 1.

Doctus sudores suos non tam utilitate, quàm honesta sciendi voluptate metitur, quam deinde aliis impendat. IX. 7.

Duumviri Quinquennales. XIV. 4.

Duumvirî, Decemviri, Quindecimviri, custodes carminum Sibyllinorum. XXII. 4.

Dyrrachium Urbs. VI. 3. 5. 6.

E.

EI pro *I.* in Numis. XVI. 13.

Elephantino capite induta Africa. XII. 6.

F. Fabu-

F.

Fabularum veterum utilitas, si abjecto cortice nucleum quæras. XVI. 17.

Familia differt à gente & stirpe. VIII. 11.

Fasces quid? Unde ortæ? quibus prælatæ? VII. 13. Sunt justitiæ typus. XV. 2. In Numis simplicem tantum per hastam subinde exprimuntur. 6.

Fascia regalis usus quando cœperit apud Syracusanos? II. 10.

Fauni & Satyri veritatis occultæ, & virtutis latentis, ignorantiæ item, & simulatæ virtutis, sunt typus. XI. 15. 16. 17.

Felicitas quomodo in Numis expressa? XXI. 4.

Ficus Ruminalis quid, & unde dicta? XX. 9.

Flamen quid? X. 13.

Fulmen pluribus Diis commune. II. 12.

G.

Galea quid innuat? XII. 7.

Gens quomodo differat à familia, & stirpe. VIII. 11.

Globus Monarchiæ symbolum. XV. 2.

Græcæ Urbes quando latino, quando græco sermone in Numis sint usæ? VII. 12. Coloniæ etiam Romanæ græco utebantur idiomate. *Ib.* 10.

Gryphes quibus Diis tribuantur? XVIII. 6. An verè dentur, an porrò mera sint fabula? 5.

H.

Hæres ex Asse, ex Semisse &c. quid sibi velit? VIII. 5.

Hammonis Jovis fabulæ. IV. 7.

Hasta pura quid? I. 6.

Herculis exuviæ leoninæ cujus virtutis? VI. 1.

Herennia gens. XIV. 4.

Hierapoles Urbes variæ. XXI. 7.

Hiero I. Rex Syracusanus victoriis Olympicis clarus. Primùm improbus, deinde Poëtarum consuetudine mitigatus. II. 9. 10.

Hippocratia seu consualia, festa Neptuni Hippii. VII. 16.

Hostilia gens. XIV. 8.

Hostilii Tulli R. Romani anceps pugna, & victoria de Vejentibus. XIV. 5.

HS, nota Sestertii. VIII. 7.

J.

J. pro *E*, scriptum in Numis. XVI. 13.

IIIVIR.

IIIVIR quomodo legendum. VIII. 9. Item: *IIIVIR. R. P. C.* Et *IIIIVIR. PR. FL.* VIII. 9. 15.

Janus adorandus. IX. 1.

Jasonis fabula. V. 9.

Imperator pro supremo militum duce. X. 14.

Indigetes Dii quinam dicti? XIV. 3.

Inscriptio & Legenda quomodo differant. XIX. 1.

Isis Dea quæ? XXI. 3.

Julia gens. XIV. 4.

Juno Lucina. IX. 10. Juno Moneta. XI. 2. Junoni cur pavo addatur? XVI. 5. Junonis Sispitæ idolum, fabula, sacra. XVIII. 1. 2. 3.

Jovis Vicilini in templo arma sponte concrepabant. VII. 3. Jovis Feretrii nomen unde? XIII. 13. Jovis Indigetis ratio. XIV, 3.

Jus Romanum, & Jus Latii quid? XX. 10.

L.

LES. nota Sestertii. VIII. 7.

Larentia, uxor adultera Faustuli pastoris, vera nutrix Romuli & Remi, per lupam intelligenda. XX. 7.

Latinorum origo de Aboriginibus Græcis. VII. 15.

Laurus cur Apollini dilecta? Ex Lauro fuit primum templum Delphicum. V. 5. Laurus Diis imponitur, præcipuè medicis. IX. 1. Laureum sertum victoriæ index. XI. 4.

Leæna meritrix Atheniensis, Tyrannum occidendo statuam promerita. XX. 7.

Legenda ab inscriptione differt. XIX. 1.

Legem si quis primus tulerit, magnæ id gloriæ deputatum. XVIII. 4.

Lemniæ mulieres omnes maritos & masculos occiderunt. V. 9.

Leonino cur capite reges Macedoniæ? I. 4.

Leucadia petra. IV. 6. Leucadiæ Peninsulæ situs: ejus in Apollinem religio. V. 12.

Licinia gens. XV. 5.

Licinii Macri fatum. XV. 5.

Lictores quid & quæ eorum munera. VII. 14.

Lira Mercurio, cythara Apollini convenit. XVIII. 7.

Literæ in Numis sæpe contractæ. IX. 3. Numerales aliquando denotant modulos diversos. XV. 9. XVI. 7.

Lituus Augurum. X. 13. Militaris. XIV. 6.

Livineii

Livineii Lucii Reguli fatum. XV. 7.

Lucretia Gens. XV. 10. Lucretiæ castitas. Ib.

Ludorum apud Quirites varietas, & prodigalitas. XII. 8.

Lupæ Romulum & Remum lactantis fabula, & historia, ejúsque simulacrum. X. 6. 7. 8. Eam in Numis excudere quibus urbibus licuerit? 10.

Lupercal quid? X. 10.

Lysimachus Thraciæ Rex Academicus curiosus. Ejus vulnus Alexander M. proprio diademate alligavit. Ejus fortitudo in leone subigendo. Frigidæ haustu regnum vendere coactus. Numi ejus quare tam communes? II. 5. 6. 7.

M.

M. legendum Marcus: M' Manius. IX. 3.

Macedoniæ primæ Numus cum capite Dianæ & clava Herculis. Macedonia Dianam sub Luna coluit: orta ab Herculis filiis: quomodo à Romanis divisa. VI. 1.

Manlia Gens. XIV. 10.

Manus junctæ Concordiæ typus. XV. 2.

Medea, Jasonis Uxor pessima. V. 9. 10.

Medicus primus Romæ Archagatus. IX. 6.

Memmia Gens. XVI. 10.

Metra in Numis non occurrunt. VII. 9.

Minervæ Galea, Sphinge, Faunis, & Satyris exornata, sapientiæ simul, & ignorantiæ typus. XI. 14. 15. 16. 17. Ejus è solo Jovis cerebro natæ Mythologia. XII. 2.

Minotauri fabula & Mythologia. IV. 8. 9. 10. 11.

Minutia Gens. XVII. 2. Caii Minucii historia. 3.

Mithridates puer mille insidias evasit, Romanis infensissimus: bestias corporis custodiæ adhibuit. III. 8. 9.

Moneta nomen unde? VIII. 6. Olim non tam Numi quàm officinæ nomen. 9.

Monetarii erant Triumviri, Quartumviri. An etiam Protriumviri? VIII. 9. Eorum variæ in Numis notæ. IX. 11.

Mulierum Romanarum quæ, & quot nomina fuerint. VIII. 14.

N.

Nævia Gens. XIX. 7.

Navis ab Archimede per artem supra fluctus in altum elata: aliæ vitrîs causticîs succensæ. XIII. 14.

Neapolis ortus. XVIII. 8.

Neocoræ Urbes quæ? XXI. 10.

Neptuno grati Delphini. Ejus ara intra templum Delphicum, ubi olim Oracula edidit. V. 4. Ejus Symbolum tridens. XV. 8.

Nero Cæsar in Apollinem Delphicum iniquissimus. V. 6.

Noctua Palladis comes: avis infausta, subinde & fausta: ejus fabula. Ab ea numi Athenienſium noctuæ dicti. VI. 2.

Nomina, Prænomina, & Cognomina seu Agnomina apud Quirites probè discernenda. VIII. 13. Nomina vel erant propria, vel communia, vel adoptiva. 15.

Narbanorum familia. XII. 7.

Numariæ Rei scriptores celeberrimi Tironibus non quadrant. P. III. 2.

Numarii studii Utilitas, Dignitas, Jucunditas. P. 1. 2, 3. 4. 5. 6.

Numi moneta Quiritum: ad gloriam propagandam aptissima. P. II. 2. Argentei & aurei Romæ quando signari cœperint? 4. Antiqui quinam censeantur? 4. Quibûs metallîs constent? 5. Corinthiaci æris origo. 5. Numi inæquales metallo, aut magnitudine, permiscendi non forent: ficti cavendi, rariores exquirendi, 5. 6. Alii magni, medii, parvi. 6. Recèns ficti, modò ad exemplum veterum, valent tamen interim ad discendum. 7.

Numorum fictorum præcipui artifices Gauvinus, Bassianus, Laurentius Parmesanus. IV. 1. Numi ex toto conficti, quorum similes reverà cusi sunt nunquam, contemtum merentur, non studium. Quæ detrimenta rei Numariæ afferant. 1. Quomodo agnoscendi, exemplis perhibetur. 1. 2.

Numos præcessit Æs non signatum. VIII. 3. Qui primi signârint, adhuc incertum: Romæ tamen id factum à Servio Tullo. XX. 2. VIII. 3. Numi Græci venustissimi. P. II. 3. Quàm arduo olim labore cudi debuerint. XI. 3.

Numi Ærei discreti in Asses librales, & minores, semisses, trientes, quadrantes. VIII. 4. 5. Horum signa: A. S. 00. 000. 0000. 6. Argentei divisi in Denarios, Quinarios, Sestertios: horum omnium valor, & notæ. 6.

Numus incusus. VI. 3. Paduanus. IV. 6. Serratus. XVI. 3. Subæratus. XIV. 1. Ratitus. XX. 3. Restitutus. II. 10. Victoriatus, Bigatus, & Quadrigatus. XX. 4. Omninò ficti sine prototypo. IV. 2. 3. 4. 6. 7.

Numos, qui diversorum nomina referunt, diversis ad gentes collocare licet. XV. 3. Numorum typi

typi quoque utiliter colliguntur. III. 1. Numi bracteati unde, & grossi? XVI. 4.

Numum apud Eruditos non tam commendat metalli fulgor, quàm forma. II. 1. Numorum vestigatio quem hominem requirat? I. 1. In iis minutissima quæque exploranda, cùm nihil sit otiosum. 1. Numi sigilla memoriæ. II. 13.

Numorum ritè vestigandorum difficultas, & variæ variorum de iis sententiæ absterrere neminem debent. VII. 8. Quomodo investigandi? 16. Roma gloriam suam Numîs maximè per orbem circumtulit. VIII. 2.

Numorum lepidæ descriptiones è Poëtis: quantum eos barbari demirati sint. XI. 3. Eorum ritè vestigatorum major, quàm librorum evolutorum jucunditas. XIII. 1. Numorum vestigatio non in quisquiliis hæret, ut cavillantur ejus mastyges; sed hominem utilem sibi, utilem aliis reddit. XIII. 9. Numos obsoletos vestigare, arduæ, sed proficuæ industriæ est. XVI. 2.

O.

Olympiæ, Matris Alexandri M. somnium, dum eum uterô gestaret. I. 7.

Olympicorum ludorum celebritas. II. 9.

Opima spolia quid? XIII. 13.

P.

Pagasis Urbi nomen unde? V. 8. Argona vis ibi fabricata. 9.

Pallas cur caput Medusæ ferat in umbone? dicta est Urbium Præses. II. 4. VI. 2.

Pallor Dea. XIV. 5.

Papaver ubertatis, vel auræ salubris nota. XXI. 4.

Papia Lex peregrinos urbe prohibuit. XVIII. 4.

Parthenope Sirenum princeps Neapoli culta. XVIII. 8.

Patera quare in manibus Deorum? X. 2.

Patritiorum & plebeiorum discretio apud Quirites. VIII. 12.

Pavor Deus ridiculus Romanorum. XIV. 5.

Pecora erant patrimonium & peculium veterum. VIII. 3.

Pecunia, & peculium, unde dicta, & quomodo differrent? VIII. 3.

Persarum Reges unde se participes siderum, fratres Solis & Lunæ jactarent? III. 9.

Philadelphis Urbs Lydiæ, nunc Carasiæ in Natolia, acerrimè à Turcis expugnata, & quo terrore injecto. XXI. 9.

Philemonis, Comici Ethnici, Christiana præcepta. XI. 16.

Phryxi & Helles fabula. V. 9.

Picus avis Romulo & Remo infantibus pastum præbuit. XX. 11.

Pietatis nomine quid acceperint veteres? XIV. 2. Pietas dictus L. Antoninus. *Ib.*

Plauti jocus in superbum. XVII. 12.

Poleta quid? VI. 5.

Populus cùm in Numis legitur, non semper accipi debet Romanus. XXI. 8. Is etiam *sacer* dictus. 11.

PR. quomodo legendum? XII. 7.

Præfectus Urbis quid nominis & rei? XIII. 7. 8.

Prænomina unde ducta? sæpè peculiariter electa, aliquoties damnata. VIII. 14. Simplici litera notantur. IX. 3.

Prætorum origo, dignitas, munera. XII. 9. 10.

Priami, Trojanorum Regis, Numus fictionis redarguitur. Ejus fatum. IV. 3.

Primus si quis quidpiam fecerit, id multùm prædicabant Quirites. XVI. 13.

Profanum lectio non reddit, sed finis. XVI. 19.

Protriumvir, Proconsul quid? XVI. 8.

Provinciæ per fœminas designantur. VII. 9.

P. SIS. quomodo legendum? XX. 8.

Pytho serpens etiam dictus Delphinus. V. 2. Ante Apollinem Delphis dedit divina responsa. Ejus occisi coriô cortina vestita: Mythologicè quid denotaverit Pytho? 4.

Q.

Q. Subinde nota Quinarii. VIII. 7.

R.

Ratione arbitra utendum iis, qui rectè discere volunt, résque rebus conferendæ proprio conatu: non semper ab ore magistri pendendum. IV. 3. 4.

Regum Romanorum expellendorum occasio. XV. 10.

Religio veterum, in Numis prodita, sæpè simulata. III. 7.

Ritus multi Christiani, rejecta superstitione, petiti videntur à ritibus Ethnicorum. XVI. 17.

Romæ potentia. VIII. 1. Cur armata in Numis? XVII. 1. Quare primos Numos Victoriâ signârit? XX. 4. Eadem tam superba ac potens, & Deam se dici, & ut Deam coli se passa est. XXI. 2.

Romuli mors, & consecratio: ubi dictus est *Quirinus*. XVI. 9. 10.

S.

S.

S. notat semissem. VIII. 6.

S. C. legitur Senatus Consulto: circa cujus sensum multiplex variorum opinio. VIII. 10.

Salmasius Vir doctissimus, sed Criticus acerbus. XVII. 14.

Salus Dea, aliàs Hygeia. IX. 1.

Sapientia Virgo est, simul & Leo. XI. 14. 15.

Sappho Poëtria Lesbia, Musa decima: ejus fata. IV. 6.

Scribendi varia apud veteres ratio, in arborum foliis, corticibus, plumbo, tela linea, & cera. XXII. 5.

Scriptores veteres præ novis diligentiùs volvendi. III. 11. Intelligi nequeunt sine Antiquitatis cognitione; monstratur exemplis. XII. 11.

Securis Sacerdotii index. XV. 2.

Sella curulis describitur. XII. 6.

Serpens Diis Medicis quare jungatur? IX. 2. Serpentes gemini notant Asiam majorem & minorem, cujus erant Genii. X. 16. Cum cista conjuncti, Orgia denotant, seu Bacchi solennia. 17.

Senatus Romanus *Sacer* dictus; ejus Gravitas & Auctoritas summa, à qua salus provinciarum pendebat: quare melioribus ab Impp. servata est semper, & promota? XX. 4. 5. 6. Senatus urbium aliarum *Sacri* etiam dicti. 17.

Sibyllarum fabulam & historiam extricare nemo valet, aut numerum earum certum statuere. Carmina, quæ hodie Sibyllina dicimus, earum esse non possunt. Quomodo Romam venerint? Nomen earum unde? Fabula Æneæ ad Sibyllam accedentis. Earum carmina quomodo, & à quibus custodita? conflagrârunt cum Capitolio, & quo pacta restituta? Argumentum eorum, & contrà modernorum. Sibyllæ X. ordine enarrantur. An omnes fuerint perpetuæ virgines? *XXII. per totum.*

Sibylla Phrygia. XI. 7.

Sicilia unde dicta? VII. 15. Tricrure denotatur. XIII. 11. Ejus descriptio, & fertilitas. 11. 13.

Sidonii cedrorum cædendarum peritissimi. VII. 7.

Silani Lucii fatum. XIV. 9.

Sirenum fabula, historia, mythologia. XVIII. 9. 10. 11.

Sistrum Isidis quid innuerit? XXI. 3.

Sphinx cujus formæ? ea usus est Augu-

Augustus in Sigillo. XI. 8. Quid innuat? 9. Subinde venit Sibyllæ nomine. 10. An detur? Ejus historia, fabula, mythologia. 11. 12. &c.

Spica, & falx messoria typi fertilitatis. XIII. 13. Spica Ædilitii muneris index. XIX. 9.

Spolia hostium maximi habita: sed sola *Opima* Jovi *Feretrio*, à ferendo dicto, imposita. XIII. 13.

Spurius Melius tirannidem Romæ infeliciter affectans. XVII. 3.

Stellæ duæ aut Castorem & Pollucem, aut Romulum & Remum designant. XX. 8.

Stirps quomodo differat à gente, & familia? VIII. 11.

Synnada vel Synas, Urbs Græca, unde dicta? XXI. 3.

Syracusarum Obsidio acerrima. XIII. 14.

Syria duplex, Maritima & Mediterranea, an per viros designetur in Numo Cosanorum? VII. 7.

T.

Tellus cum Neptuno quondam Delphis Oracula reddebat. V. 4.

Themis cum Appolline divina Delphis responsa edidisse fertur. V. 4.

Themistoclis Historia. IV. 5.

Tigranis potentia & fatum. III. 10.

Tyrannus quis dicendus? I. 4.

Torquati Cognomen unde? Torques in sertum aptatus Manliæ gentis decus. XIV. 10.

TR. P. legendum Tribunitia Potestate. Hæc qualis fuerit, quomodo creverit, quæ ejus munera? XIX. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Tripus Delphica quid? V. 3. An eadem cum cortina Apollinis. 4.

Triumviratûs Romæ fatalis, quem M. Antonius, Lepidus, & Octavius gessêre, historia, & Reipublicæ Romanæ Agon compendiô scribuntur. X. 7. 8. 9. 10. 11.

Tropæum signum est nuper relatæ victoriæ. XIII. 5.

Tubæ, & Litui militaris disparitas. XIV. 6.

Turres in capite gestant Provinciæ. III. 10.

Tutulus quid? X. 13.

V.

V. nota Quinarii. VIII. 7.

Valetudo Dea. IX. 5.

Vejovis quis? XV. 4. 5.

Venus

Venus Cloacina unde dicta? XVII. 9. 11.

Ver sacrum quid fuerit? V. 12.

Victoria Dea unde? ab Arcadibus culta, jussu Minervæ. VII. 16. Cur alata in numis? II. 4.

Vocis unius literæ non facilè disjiciendæ, nec pro initialibus plurium vocum habendæ, si unam ritè construant. VII. 9. 12.

Urbium Græcarum, Matres aliæ seu Metropoles, aliæ Filiæ fuerunt: utrarúmque erga alterutram leges. VI. 4.

Vulcanus quadruplex. XII. 1. Vulcani Lemnii fabulæ. 2. 3. 4. Ejus ex sola Junone, sine patre, progeniti Mythologia. *Ib.* Nota illius pileus, & forceps. XI. 4.

X.

X. nota denarii. VIII. 7.



EMENDANDA.

pag. 2.	lin. 32.	*pro* aurum — —	leg. *aurem*
5.	34.	date — —	*dare ignoraret*
18.	7.	& — —	*de* graviditate
13.	25.	de Hieronymi	de *Hieronis*
37.		induiat — —	*innuat*
55.		Starbone ——	*Strabone*
58.		Prophyrogen.	*porphyrogenitus*
77.		liberalibus —	*libralibus*
78.		Unium Viro --	*Triumviro*
101.	8.	Si — — —	*Sic retecto*
105.	34.	flumina — —	*fulmina*
129.	2.	imberbum —	*imberbem*
155.	29.	testo — —	*teste* Goltzio
181.	20.	actu — —	*acta* Spiritu acta

P. CHRYSOSTOMI HANTHALER,
MONACHI CISTERCIENSIS, IN CAMPO LILIORUM AUSTR. INFER. NUNC RESIDENTIÆ MARIANÆ, KALASTROM IN HUNGARIA, SUPERIORIS,

EXERCITATIONES FACILES DE NUMIS VETERUM PRO TYRONIBUS:

IN QUIBUS
LACONICA QUIRITUM SAPIENTIA, ET REI NUMARIÆ VETERIS RUDIMENTA FACILI METHODO PER EXEMPLA PANDUNTUR, OPE NUMORUM COMPLURIUM PICTORUM, ET PER DIALOGOS FAMILIARITER EXPOSITORUM.

PARS I.

EXHIBENS ADVERSAS NUMORUM, ET IN EISDEM, PROPOSITIS AUGG. VULTIBUS, CUM CAPITUM ORNAMENTA, TUM TITULOS EXPENDENS.

NORIMBERGÆ,
Sumtibus JOAN. ADAMI SCHMIDII, Anno 1736.

CELSISSIMO

S. R. I.

PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

PAULO ANTONIO ESTERHASI

de Galantha,

Perpetuo Comiti in Frakno,

Sacræ Cæs. Regiæque Cathol. Majestatis

CAMERARIO,

Incliti Comitatus Soproniensis

SUPREMO ac PERPETUO

COMITI, &c. &c.

DOMINO DOMINO

GRATIOSISSIMO

CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS
&c. &c.
DOMINE DOMINE
GRATIOSISSIME.



CUm olim Augustissimo Romanorum Imperatori, ac Boëmiæ Regi CAROLO IV. *Franciscus Petrarcha*, homo seculi sui longè eruditissimus, déque bonis Literis, ut fama maximè commendatus, ita etiam immortaliter meritus, dignum quodpiam tam Sacratissima Majestate munus

 nus

nus conferre voluisset, præstantius nihil reperire sibi visus est, quàm Aureos aliquot atque argenteos, eosque *Veteres Numos* Cæsarum Romanorum. Hos proinde, cum Mantuam evocaretur, præsenti CÆSARI, plurimùm inde gaudenti, magna cum fiducia obtulit, ita quidem præfatus. *Ecce, CÆSAR, quibus successisti: ecce! quos imitari studeas, & mirari; ad quorum formulam & imaginem Te componas. - - Licèt enim horum mores & nomina, horum ego res noverim gestas; Tuum est, non modò nosse, sed sequi: Tibi itaque debebantur.* (a)

Celsissime PRINCEPS! Gratulabatur TIBI, anno præterlapso vergente, Patria Pannonia optatissimum Reditum, auspicatissimum Hæreditarii Principatus Tui Ingressum, felix faustúmque Supremi Perpetuique Comitatus Sopronienses Initium: volabant vexilla, clangebant tubæ, explosæ cum tympanis bombardæ lætum admugiebant, perstrepebant Illustrium Oratorum splendidæ Panegyres, reboabant complaudentium voces, TU que ipsa in Curia, (b) patrio quidem more, gratulantium manibus tertium in subli-

(a) Ita Vir idem Clar. de se ipso *Epistolar. suar. L. X. 3.*

(b) Nimirum Sopronienſi die 5. Decembr. 1735. Installationem Augusto mandato CAROLI VI. Imp. peragente Illustriss. D. Comite JOANNE ESTERHASI de Galantha, Seniore &c. Officii Supremi Comitis hactenus Administratore.

ſublime efferebaris. Quàm amabili omnium ſpectaculo, dicant, qui una mecum interfuêre.

Aſt ego tacitus quidem tunc mihi ajebam : tu verò quod PRINCIPI munus ? & munus, quod verè tuum ſit, Illo verò non penitus indignum ? Incidit hæc talia animo verſanti, & placuit ſupradictum *Petrarchæ* conſilium, ſpésque illico mihi non dubia arriſit, fore, ut idem, quod placuit CÆSARI, placiturum eſſet & PRINCIPI, nimirum ſi ad Eundem *Principes* ablegarem. Veteres itaque *Numos* ſumo in manus, Vultus eorum pingo, Capitum ornamenta, Tituloſque facilibus Dialogis ex Antiquitate expendo. Tardiùs quidem hoc pacto gratulatûm TIBI venire licuit, atque poſt cæteros omnes: ſed moras traxi, ut non ſine munere venirem.

Munus porro pro TE PRINCIPE & Gratitudo à me & Reverentia flagitavit. Surrexerat námque olim ſub Ann. MCXCI. in Inclito Comitatu Sopronienſi *Abbatia B. M. V. de Borsmonoſtra* S. & Exemti Ordinis Ciſtercienſis, locumque ei dabat Collis quidam adjacens, uno duntaxat lapide Ginſio diſtans, antea, ut Literæ docent Fundationis, *Mons altus*, ſanctiûs verò poſt conditum Monaſterium *Mons* MARIAE appellitatus. Et hoc quidem Cœnobium noſtrum in toto ſanè Regno Mariano ſumma cum laude celebritatis effloruit, Regnicolis propè omnibus

bus hoc ad Templum Gratiarum, quod & Reges lustrabant, certatim confluentibûs: donec sacer ejusdem thesaurus, pia fidelium oblatione hic indies congestus, rapaces Harpyas irritaret, & universa sacræ hujus Domus Fama atque Religio barbaro Tartarorum Turcarumque furore Anno ferè MDXXX. Ædium ipsarum sacrarum cineribus tumularetur. Ruinis exinde suis per annos propè centum & quinquaginta consepultum ingemuit. Tandem verò Celsissimi Primique Illustrissimæ Domus suæ S. R. I. Principis, PAULI ESTERHASI de Galantha, sanctæ Clementiæ, ac tenerrimis, quibus totus exarserat, in MARIAM amoribus placuit, avitam Religionis nostræ Marianæ Domum, DEO, DEIparæque Virgini, atque Ordini nostro, ex parte saltem ingenita Pietate restituere. Quo ex tempore, Ann. videlicet MDCLXXX. ipsis Monasterii desolati Ruinis Residentia hactenus sacra insistit, atque pessumdatus tanto tempore hic MAGNÆ Ungariæ DOMINÆ cultus, etsi non pro amplissimi quondam Cœnobii facultate, pro modulo tamen parvulæ cujuspiam Capellæ, potuit resuscitari. Cui CELSISSIMÆ GRATIÆ grates æternas ut Ordo noster persolveret, inibi in singulos quidem dies pro Universa CELSISSIMA DOMO piè diligentérque ad Aram litatur.

Hæc

Hæc ſacra ego, Reverendiſſ. D. Abbatis mei Campililienſis & Vicarii Generalis juſſu ac ordinatione Reſidentiæ huic Marianæ actu præpoſitus, in quartum jam annum, ſi non ea, qua debui, certè qua potui per DEI gratiam, animi devotione jugiter feci, Hoſtiámque ſalutarem antea pro incolumi CELSITUDINIS TUÆ ab exteris provinciis reditu ſuppliciter DEO ſæpe multúmque immolavi. Poſteaquam autem ſalvus nobis & incolumis, DEO propitio, una cum Celſiſſima Dulciſſimáque CONJUGE TUA adveniſti, atque Hæreditarii Principatus Tui auſpicia feliciſſimè ceperas: ſolito ego pietatis officio, quod intra ſolius duntaxat Aræ cancellos conſiſtit, minimè contentus, exultantis animi mei Jubila foras etiam erumpere volui, Orbique patefacere, Celſiſſimæ DOMUS TUÆ in S. Ordinem noſtrum Clementiam ingratis non eſſe collatam, ſed noſtris etiamnum animis atque oculis indelebili memoria obverſari.

Id verò quonam pacto rectiſſimè agerem? An fortè Celſiſſimæ DOMUS ESTERHASIANÆ infinita, retro actis temporibus, cum Pacis, tum Belli Decora, maximè verò illibatam ſemper Fidem erga Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, erga Reges Apoſtolicos, erga Cæſa-

res Augustissimos, erga Patriam, omnémque Rem Catholicam, quà Consiliis optimis, quà Conatibus indefessis, quà Armis Animisque invictis, ac fuso multoties Heroico sanguine tutandam propugnandámque tantopere illustria, exiguas in pagellas concludere præsumerem? Actum sanè agere id fuerat. Novit jam dudum Orbis terrarum, postquam NOMINI VESTRO, in posteros omnes immortali cum laude evulgando, Fama atque Gloria Posthuma splendidum illud Opus *Annalium Ferdinandeorum* (c) Tubæ cujusdam sonoræ in vicem concessit: novit, inquam, Orbis terrarum, ductam esse jam inde ab ATTILA, fortissimo ac præpotenti Hunnorum Rege, Originem atque Propaginem Vestram longè antiquissimam, & ESTORAS Cognomen ab EURSI Ducis quopiam Filio infinita in Vos Nepotum serie esse profectum. Legit ibidem Mundus, miratur, & stupet Genealogicis Vestris in Tabellis longè latéque descripta tot Heroica atque Illu-

(c) Sic inscribitur FERDINANDI II. Aug. Historia, Authore Illustr. Comite *Franc. Kevenhiller* Tomis XII. descripta, & denuò Lipsiæ fol. 1722. splendidissimè edita: in cujus *Parte altera Imagg. & Vitar. a p.* 292. quamplurima ESTERHASIANÆ DOMUS Documenta, insertis etiam pluribus Tabulis Genealogicis, integro tenore ad longum exhibentur.

Illustrissima ESTERHASIORUM Nomina : in quibus sive Avos, sive Patres, sive Natos,

Seu Natos Natorum, & qui nascuntur ab illis,

contempler, tanto Laudum ab eis promeritarum obruor cumulo, ut, si volumina etiam condere mihi liceret, eluctari tamen hoc tanto ex Oceano minimè possem. Taceo itaque singula, & nimiùm supra me posita verecundo potiùs silentio veneror.

Unum tamen omnino præterire non possum, quod & Numinis aliquid habere videtur, & maximè omnium Animum meum jucunda voluptate perfundit. Eos inter ESTERHASIOS nimirum, ac sanè perplurimos, qui sive Episcopalibus, sive Abbatialibus Infulis claruêre, quidam etiam DEMETRIUS laudatur, qui *Abbatiæ Cisterciensis de Cikador* (d) Marianum atque domesticum clavum piissimè juxta ac prudentissimè rexerit. Natus ille fuisse perhibetur ex GEORGIO ESTORAS, ejúsque

(d) Fundata fuit A. 1142. in Diœcesi Quinque Ecclesiensi, eique cæteros inter Abbates suos præfuit etiam *Laurentius Visinger*, Professus Campilil. *Ita noster R. P. Malachias Rosenthal Actione S. Ord. Cist. in avita sua Vngar. Monast. edita Vienn.* 4. 1649. *p.* 5.

que Illustrissima Conjuge MARIA de BORS. (e) Huic autem postremæ BORSIANÆ Familiæ Abbatia hæc, cujus modò Residentiæ curam gero, Fundationis suæ, per *Dominicum Ban* antea factæ, tam ingens debuit incrementum (f), ut Cœnobium istud abinde, patria quidem dialecto, BORS-MONOSTRA i. e. BORSII MONASTERIUM à Comite BORS, mox laudati *Dominici Ban* Fundatoris Cognato, velut à novo alteróque Fundatore suo appellaretur. Utinam invidis fatis, aut barbaro hostium furori in vetusta retroacti temporis Monumenta, Tabulas, Annales, Fastos, tantum non licuisset, ut sua historiæ certitudo atque perspicuitas integrè demum atque luculenter constaret. Mihi interim, licèt in tenebris hujusmodi palpitanti, non sine aliquo tamen Numine contigisse videtur, cùm ESTERHASIUS atque BORSIUS sanguis in unum olim confluxisset, idem Monasterium, quod BORSIUS antea ad maximum provexerat incrementum, dum desolatum postea jaceret, non alterius alicujus, sed duntaxat Cognatæ BORSIIS Celsissimæ

(e) Annal. Ferd. *l. c. Tab. Geneal. I. p.* 301.

(f) Literæ Confirmationis ANDREÆ II. Reg. Ung. de An. 1225. *in domest. Archiv. Residentiæ*: ubi BORSIUM, cujus Donationes amplissimas huic Monasterio factas recenset, *Aulæ suæ Comitem* vocat, eo proinde tempore superstitem.

ſimæ ESTERHASIANÆ DOMUS Pietate atque Clementia eripi denuo atque reſtitui ex parte ſaltem potuiſſe.

Hæc porro certè mira Numinis providentia animum juxta atque calamum meum in debitas laudes Celſiſs. Primique S. R. I. Principis PAULI, Aurei Velleris Equitis, totiúsque Regni Ungariæ Palatini, felic. recordat. vehementer incitat quidem atque impellit : ſilentium tamen rurſus vel nolenti imponunt in ſupra laudatis *Annal. Ferdin.* longa ſerie exhibita, primùm quidem ANDREÆ II. Regis Apoſtolici Ungariæ, deinde Regum Hiſpaniæ PHILIPPI III. atque CAROLI II. Catholicorum, Auguſtiſſimorum poſtremò Cæſarum, MATHIÆ, FERDINANDI II. atque LEOPOLDI publica aureis munita Sigillis Diplomata. (g) Plena ſunt illa, cum Univerſæ ESTERHASIANÆ Familiæ, tum maximè alteſati Principis PAULI Encomiis, ſanê ad invidiam ſplendidis, adhuc tamen univerſo in Regno per omnium ora volantibus : tantò autem illuſtrioribus, quòd hujusmodi avitæ Pietatis, Heroicæ Fortitudinis, immobilis erga Reges & Patriam Fidei teſtimonia non opinione, ſed certa nitantur ſcientia, non adulatione ſcribantur, ſed optimê

(g) Annal. laudati à p. 292.

optimè tantùm atque insigniter meritæ, conspicuæ præterea, pluriùmque annorum, immo seculorum constanti diuturnitate probatæ Virtuti, fide Supremæ atque Sacratissimæ in terris Majestatis reddantur. Si magnum est, à laudato viro laudari, quantum erit, commendari à laudatissimis, optimis, Maximis Mundi Monarchis? Quis itaque limpidissimo huic soli, ESTERHASIANÆ GLORIÆ radios quaquaversum per Orbem spargenti, Elogiis, inquam, MANU AUGUSTA exaratis, atque publico typo dudum vulgatis, lucem novam accendere ausit? Quis non trepidet, non vereatur, Gloriæ Vestræ tenebras magis quàm lumen hymnis inconsultò natis offundere?

Unicum ergo mihi id superest votum, ut, quidquid Decorum, quidquid Laudum, quidquid Meritorum æquè ac Honorum ex Universa Illustrissima Prosapia Tua in Te serum Nepotem, Celsissime PRINCEPS, avito atque hæreditario sanguine, & infinito propemodum cumulo jamjam profluxit, atque profectum est, ita propria Virtute per TE deinceps Tuum reddatur, ut AVOS omnes meritis Tuis supergressus, lapsu Temporum Illos inter, veluti sol quidam inter stellas, elucescere possis.

Et petenda quidem TIBI præprimis à DEO hæc Sapientia cum Salomone juvene: quæ si dabitur TIBI, omnia

omnia pariter TIBI bona cum ea provenient. (h) Verumtamen boni insuper Exempli enthea quædam vis est, apud Illustres maximè atque Nobiles Spiritus. Legimus certè, tropæa Miltiadis nullam Themistocli apud Græcos Requiem indulsisse, donec paria ille consequeretur. Quinto Fabio Maximo, & Publio Scipioni Quiritibus Majorum suorum ceræ atque imagines, identidem oculis obversatæ, acerrimos dedêre stimulos, æqualem ad Gloriam contendendi. Julio deinde Cæsari nihil æquè, quàm M. Alexandri usque adeò ingentes triumphi incitamento fuêre, ut Orbem Romanum non vinceret modò, sed suos etiam sub fasces curvaret. Quæ cùm ita sint, Celsissime PRINCEPS, tametsi domi Tuæ, ut cæteros prætercam, NICOLAI, PAULI, MICHAELES, ANTONII, JOSEPHI, Virtutum omnium splendidissimo jubare, veluti rutilantia Primæ Magnitudinis Sidera, jugiter TIBI præfulgeant, nihilosecius tamen, quod initio dixi, exteros etiam *Principes* ad TE defero, quos, veluti *Petrarcha* Cæsari ajebat, *imitari studeas*, *&* *mirari*: Principes, inquam, Summos, Cæsares Romanos, quos Libellus iste non solùm scalpri in imagine sistit, sed & pulchra eorum atque fœda, virtutes nimirum & vitia, historiæ coloribus depingit. Hæc quippe

Numo-

(h) Sap. VII. 7. 11.

Numorum eſt gratia atque dignitas, quod, ſive ſignati, ſive ſincerè ac fideliter picti, intuentibus Specula fiant Veritatis, longè poſt hominum memoriam poſitæ, ac Vultus illos olim Auguſtos, quos Orbis metuerat, nemóque niſi ante pedes eorum proſtratus conſpexit, prudentibus oculis fixo jam obtutu ſine periculo, ſine formidine explorandos exhibeant. Et hæc ego Specula ad CELSITUDINEM TUAM maxima pariter cum ſubmiſſione atque fiducia defero: Illa Dignitati Tuæ debetur: hanc mihi ſequentia pariunt.

Rediiſti ea ex Provincia, in qua Ars vetus *Numaria* ſuas hodie fixiſſe videtur Athenas: ut adeò *Numi* incogniti TIBI, vel inamœni eſſe haud poſſint. Præterea nobiliſſimum Ungariæ Regnum dulcem patriam habes, *Veterum Numorum*, qui ſub terræ ſuæ viſceribus undique latent, longè feraciſſimum. Porro quemadmodum *Numos* publica forma ſignare non niſi Principum eſt, quibus id ſummi Privilegii Cæſarea ſive Regia Majeſtas indulſit, veluti M. LEOPOLDUS Celſiſſimæ quoque DOMUI TUÆ benigniſſimè contulit: (i) ita ferè ſolos ad Principes ſpectat, *Numos* olim ſignatos æternitati ſervare. Quis etenim *Numos Veteres*, veneranda illa feræ Antiqui-

(i) Annal. Ferd. in Diplomate LEOPOLDI *Aug.* ſuper Titulo S. R. I. Principis de An. 1687. p. 324.

tiquitatis monumenta, & historiæ, aliàs longa oblivione sepultæ, certissimos testes faciliùs, uberiùs, atque magnificentiùs demum restituere postliminio, atque ab temporum, hominumque injuriis potentius vindicare, quàm Principes, possit? In his namque Animus excelsus, Facultates amplissimæ, Potestas Celsissima conspirant: unde ad eosdem Respublica universa Literaria, bonæ Artes propè omnes, præprimis verò Historia veritatis magistra unanimes respiciunt, atque supplices flagitant, *Numos Veteres* diligenter conquiri, studiose servari, doctisque eruditorum usibus clementer indulgeri. Immortalis est fama Cæsarum illorum, atque Regum, qui sive hoc, sive proximè superioribus seculis, *Veterum Numorum* amplissima Gazophylacia Augustis curis ac sumtibus instruxêre, ut bonæ inde Literæ proficerent indies, rerúmque plurimarum, quas vel soli docent Numi, vel invictè saltem stabiliunt, ignorantia depelleretur. Postremò neque nulla è *Numis*, vel parva in Principes Utilitas provenit. Quomodo namque in aureis his, sive argenteis, aut æreis veteris Romanæ gloriæ Tabulis toties legere possint illustrissima hujusmodi præconia OPTIMI PRINCIPIS, PII, FELICIS, INVICTI &c. sine acerrimo quodam stimulo, laudes non impares promerendi? Anne tam excelsus Principis animus nihil æmulabitur perpetuò celebratam in *Nu-*

 mis

mis PIETATEM SAPIENTIAM, PROVIDENTIAM, LIBERALITATEM, ÆQUITATEM, CLEMENTIAM AUG.*usti* ? vel, quæ frequenter ibidem laudantur, VIAS MUNITAS, ABUNDANTIAM sive ANNONAM procuratam, VECTIGALIA REMISSA &c. De Tropheis deinde tot & tantis, Victoriis creberrimis, Gentium debellatarum simulacris, Provinciarum acquisitarum insigniis, quibus omnibus pleni sunt *Numi*, Princeps Generosus secum quid animo statuet?

Optimo proinde jure, Celsissime PRINCEPS, ad TE hos *Principes* meos in *Numis* propositos deferre mihi videor, spesque mihi dulcis blanditur, parvulam hanc meam de *Numis* Commentationem, quæ PRINCIPI TIBI ante omnes debebatur, in nobilissimo Ungariæ Regno, *Numis* fertilissimo, evulgatam, vivida atque præclara plurium Regnicolarum ingenia excitaturam, ut, dum facilibûs Dialogis facem accendo nonnullam, ii, qui possident *Numos*, *Joannem Sambucum* olim Concivem (k) suum secuti, eos educant è tenebris, & majori deinceps cum voluptate contemplari incipiant, atque amare. Quod si fiat (fieri verò posse confido, si *Principes* hos meos ad TE clementer admi-

(k) Tyrnaviæ natus A. 1531 Medicus, Historicus, Poeta insignis A. 1566. aliquot Numos cum Emblematis vulgavit, obiens A. 1583.

admiseris) CELSITUDINI TUÆ posthac debebit Ungaria, Opes suas, quibus abundat, *veteres* inquam *Numos*, sibi magis, vel ante saltem, quàm exteris, prodesse.

Parva interim hæc folia quantumvis CELSITUDINI TUÆ, molem si spectes, imparia nimis videantur, TUI tamen similes i. e. *Principes* exhibent: & Libellus iste, dum sub Celsissimo NOMINE TUO ibit in orbem, quantumlibet exilis, Orbi tamen patefaciet, non me duntaxat solum, velut infimum in Residentia Montis Mariani Kalastromensi Capellanum Tuum, verùm etiam Campilium totum, unde dictum ad locum sum missus, atque Ordinem nostrum Cisterciensem universum, his exiguis foliis ingentem tamen suam erga TE Gratitudinem atque Reverentiam ad perpetuam posterorum memoriam inscripsisse. Quemadmodum itaque in Numis frequentissima cernimus VOTA S.*enatus*. P.*opuli*. Q.*ue* R.*omani* sive pro FORTUNA REDUCE, sive PRO SALUTE ET REDITU AUG.*usti*, vel verò QUINQUENNALIA, DECENNALIA, PERPETUA: ita & nos unanimes vovemus, DEI O. M. clementiâ, Celsissimi Principatus Tui nunc capta Primordia, cum Lustris quamplurimis secuturis, perenni rerum omnium sospitate ita felicia, ita perpetua esse, ut TU quidem Ipse, cum Celsiss. CONJUGE Tua, vestris omnibus quàm diutissimè salvi atque

inco-

incolumes ſitis, Celſiſſimam porrò DOMUM Veſtram fœcundo ac multiplici GERMINE plura in ſecula ſuffulciatis. Et dum VOS Celſiſſimorum AVORUM Veſtrorum Laudes omnes, Virtutes, atque Fortunam in VOS traduxeritis, FILII Veſtri FILIÆque rurſum Virtutem ac Gloriam Veſtram in oculis Sacratiſſimarum Cæſarearum Regiarúmque Majeſtatum, Patriæque Univerſæ, jucundiſſimè circumferant.

Hæc ut Vota fidelia CELSITUDINI TUÆ benè beatéque eveniant, devotiſſima TIBI Reſidentia Mariana Kalaſtromenſis ardentiſſimas quotidie ad DEUM preces in Ara faciet: viciſſim verò Clementi ac Gratioſiſſima PROTECTIONE TUA ſe ſemper tutandam, uti humillimè obſecrat, ita pia cum fiducia ſperat.

CELSITUDINIS TUÆ

humillimus ac devotiſſimus Capellanus

Author.

FACULTAS.

Reverendissimi D. Abbatis Campiliensis & Vicarii Generalis.

NOs Frater CHRYSOSTOMUS, sacri & Exempti Ordinis Cisterciensis, Ducalis Monasterii Vallis B. M. V. de Campoliliorum Abbas, Ejusdémque Ordinis per Regnum Ungariæ, utramque Austriam & Styriam Vicarius Generalis, hisce fidem facimus, librum, cui titulus: *Exercitationes faciles de Numis Veterum pro tironibus*: Authore Rev. ac Rel. Patre Chrysostomo Hanthaler, Monacho Cisterciensi ac Professo nostro, in Monte Mariæ Alte-fati Regni Ungáriæ p. t. Superiore, in publicam lucem emitti posse, si librorum Censoribus, quorum interest, ita visum fuerit. In cujus fidem, & concessionis testimonium Manuali Sigillo appresso subscripsimus in Monasterio de Campoliliorum, die 5. Februarii. Anno 1736.

Chrysostomus Abbas qui supra.


I
II
III
PON. MAX.
DIC. PERP.
CAESAR AVGVSTVS DIVI F. P. P.
TI. CAESAR DIVI F. AVGVST. P.M. TR. P. XXXII
IV.
V.
VI.
VII
C. CAESAR DIVI AVG. PRON. AVG. GERM. P.M. TR. P. IIII. P. P.
TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P.M. TR. P. IMP. P.P. COS. II
NERO CLAVD. CAESAR AVG. GER. P.M. TR. P. IMP. P.P.
IMP. SER. SVLP. GALBA. CAES. AVG. P.M. TR. POT.
VIII
IX.
X.
IMP. OTHO. CAES. AVGVST. TR. POT.
A. VITELLIVS GERM. IMP. AVG. P.M. TR. P.
IMP. CAES. VESPAS. AVG. P.M. TR. P. P.P. COS. III. CENSOR.
CAES. AVG. F. COS. DES. IT. CAES. AVG. F. COS. DES.
XI.
XII.
XIII.
XIV.
T. CAES. IMP. AVG. F. TR. P. COS. VI. CENSOR.
IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIII. CENS. P. P. P.
IMP. NERVA. CAES. AVG. P.M. TR. P. COS. III. P. P.
IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTH. P.M.
XV.
XVI.
XVII
HADRIANVS AVGVSTVS
IMP. CAES. T. AEL. HADR. ANTONINVS AVG. PIVS P. P.
AVRELIVS CAESAR AVG. PII. F. COS. DES.
L. VERVS AVG. ARMEN. PARTH. MAX. TR. P. VI. IMP. IIII.


I.
M. AVR. ANTONIN. AVG. ARM. PAR. MAX. TR. P. XXI. IMP. IIII.
II.
L. AEL. AVREL. COMMODVS. AVG. P. FELIX.
HERCVLI ROMANO AVGVSTO
S. C.
III.
L. SEPT. SEV. PERT. AVG. PARTH. MAX.
IV.
ANTONINVS. PIVS. AVG.
V.
IMP. CAES. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG.
VI.
IMP. CAES. M. AVR. ANTONIN. P. AVG.
SACERDOS DEI SOLIS ELAGAB.
S. C.
VII.
IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG.
VIII.
IM. M. IVL. PHILIPPVS. AVG.
IX.
M. IVL. PHILIPPVS. CAES.
X.
IMP. C. M. Q. TRAI. DECIVS. AVG.
XI.
IMP. CLAV. DIVS. P. F. AVG.
XII.
IMP. AVRELIANVS. AVG.
XIII.
IMP. PROBVS. P. F. AVG.
XIV.
VIRTVS. PROBI. INVICT. AVG.
XV.
DIOCLETIANVS AVGVSTVS
CONSVL VII. P. P. PROCOS.
SMRT
XVI.
D. N. MAXIMIANO. FELICISS. SEN. AVG.
PROVIDENTIA DEORVM QVIES AVGG.
AQ. S.


I. II. III. IV.
IMP. FL. CONSTANTINVS MAX AVG
CONSTANTINVS. IVN. NOB. CAES
FL. M. CONSTA NTIS BEA. C.
DN. CONSTANTIVS. P. F. AVG
V. VI. VII. VIII.
D.N. FL. THEODOSIVS. P. F. AVG
D.N. ARCA MVS P.F. AV
DN. FL. HON ORIVS P F AV
✠ LEON BAS ILEVS ROM
IX. X.
DN IVSTIN VS P F A
ANNO XI. M B CON
DN FO CAS PERAVG
XXXX CON Δ
XI. XII. XIII.
SALVS AVGVSTA.
PIETAS.
S C VESTA
DRVSILLA. AGRIPPINA. IVLIA. S. C.
XIV. XV. XVI. XVII.
SABINA AVGVSTA HADRIANI AVG
FAVSTINAE AVGVSTAE PII AVG. FIL.
HERENNIA ETRVSCILLA AVG
M. AGRIPPA L. F. COS. III

druſium & Bandurium, quis ignorat, ut reliquos taceam; Verum ipſi quoque *Reges* ac *Principes*, a cognitione ſua, hanc eruditionis partem neutiquam cenſerent alienam; Quin potius fauſto ac felici bonarum literarum fato contigit, ut ad pretioſas hasce priſcæ elegantiæ opes eruendas, conquirendas atque colligendas ante ſeculum circiter & dimidium ſplendidiora paſſim veterum nummorum Gazophylacia excitarent.

Verum enimvero, ſive raram, cum in omni Hiſtoria,

tum in hoc nummorum studio, eruditionem TUAM, PERILLUSTRIS DOMINE, sive singularem prorsus, quam ex eo percipis, voluptatem & delectationem spectem, TEcum quem conferrem, habeo neminem: Hinc TUA TIBI mirifica nummorum Gaza, *Germanicorum* præsertim veterum locupletissima, sine pari: Hinc *Bibliotheca* TIBI amplissima sane, ornatissimaque, quam incredibili (†) cura congestam no-

vis

---

† *Scilicet*, sumtus maximi, labor ingens, *animus erectus*, *liberalis*, *vere Regius* ad struendas magnas illas Bibliothecas requiruntur &c. ita CONRING. ὁ πάνυ, de Bibl. Augusta, (*Guelferbytana*) ad BOINEBURG. Tom. V. Opp. p. 555.

vis quotidie accessionibus amplificare studes.

Neque tamen his testibus indigent laudes TUÆ, DOMINE. Hærent illæ in animis hominum, nec ulla temporum oblivio delebit TUÆ probitatis ac munificentiæ, quibus TUI fruuntur, jucundissimam memoriam.

Quæ cum ita sint, neminem esse arbitror, neminemque fore in posterum confido, qui, quod hunc rei nummariæ scriptorem in *Perillustri Nomine TUO* adparere voluerim, consilii mei

rationem reprehendat. Omnis enim de nummis diſputatio in tres *Harduino* partes cum tribuenda videatur, *Symbolicam* nempe, *Hiſtoricam*, & *Geographicam*; hic ſane non unam duntaxat partem, ſed junctim omnes, pro compendii modulo, elucidandas ſibi ſumſit.

Quare huncce TIBI libellum do, dico, dedicoque, ex quo mei erga TE obſequii non obſcura ad omnem ætatem ſignificatio conſtet. Felicem me, ac fortunatum, ſi munuſculum hoc qualecunque non

abnuas,

abnuas, &, quem consecro TIBI Numismatum thesaurum, benignissimo adspectu serenaveris.

PERILLUSTRI AC REVERENDISSIMÆ DIGNITATI TUÆ

Norimbergæ 19. Augusti, Die S. Sebaldi, 1735.

devotissimus
Johannes Adamus Schmidius,
Bibliopola.

PRO-



PROOEMIUM.

LECTORI BENEVOLO.



QUanti nunc cupiant Veteres Numos, & Laconicam, quæ in iisdem latet, Quiritum maximè Sapientiam nonnihil saltem callere, in aprico est: quâm ægrè verò in præclaro hoc studio progredi liceat, nisi tempus, & sumtus, ingeniúmque haud mediocriter suppetant, æquè conantibus omnibus in meridie ponitur. Ferè etenim hactenus deest, qui Tyroni-

Tyronibus facilè, familiariter, compendiô ſcribat: pleriq́ue Numorum Scriptores egregii ejusmodi Opera condunt, quæ ſine dubio illuſtriſſima ſunt, ſed ſupra cenſum, ſupra captum, ſupra votum uſúmque incipientium.

Horum bono conſulere hîs Exercitationibûs ego cupio: quas ſeorſim edere in lucem conſtitui, ut à me quidem, Religionis officiis occupato, ſcribantur commodiùs, à te verò & attentiùs legantur, & comparentur faciliùs. In his non ſuppono jam adepta à te Numorum Rudimenta, ſed ſuggero, neque tamen regulas affero, ſed ipſa adduco exempla: communia pando, non ardua, exquiſita, inſolita: familiaribûs Dialogîs tyroni colloquor, non ſuccincto nimis, vel nimiùm laxo ſermone te vel ango, vel obruo. Qui hîs omnibûs ſuperiora cupit, cùm ipſe Magiſter jam ſit, Numósque raros, vel nunc primùm repertas de iis demonſtrationes exſpectat, fallitur, ſed culpâ ſuâ: idcircò námque mentem

tem meam tam candidè aperio, ut neminem fallere videar.

Quid porrò ſubſecuturæ Exercitationes docturæ ſint, quàm mox è Dialogis Procœmialibus leges, quos hic toti opuſculo, ſi DEO tibiq́ue placuerit, deinceps per partes complendo præmitto. Tabulas Numorum in Quarto, folio tamen integro conſultò imprimi volui: ut vacua pars libro inſeri, picta, dum Dialogos leges, extra librum explicari, atque hoc pacto Numi, de quibus ſermo erit, inſimul oculô liberô quietóque luſtrári queant. Has itaque omnes in calce Exercitationis ordine ſuo compingi curabis.

Utere laboribûs meîs quantumvis exilibûs, mihiq́ue tua in commoda fave.

DIA-



DIALOGUS I.

Quid ex Adverſis Numorum diſcere poſſit, ac debeat Rei Numariæ Tyro?

TULLIUS.

Aconicæ Quiritum Sapientiæ in Numis Auguſtorum I.
veſtigandæ initium facturi, optime Publi, ex præſcripto *Dialogi III. Proœmial. n. 5.* ſolas eorum *Adverſas*, facies nimirum anteriores, Vultibûs Imperatorum illuſtres, ego quidem in Tabellis pingere, tu intueri, in hac *I. Parte* debebimus. Ibi namque Tyro, ut diſcat, oportet: Primùm quidem, frequenti conſpectu Vultum à Vultu gnaviter diſcernere: Deinde Capitum pro temporis ratione Ornamenta alia ſemper atque alia non indiligenter advertere: Poſtremò tandem magnifica ſupremorum quorumlibet Munerum, maximarumque Dignitatum nomina, pro cumulo ſuo & ſpatii tenuitate, vel dimidiis ſolùm verbis, aut ſyllabis initialibus, aut ſola quapiam principe litera deſignata, non modò promtè & integrè legere, verum etiam, quid eadem ſuo in receſſu contineant, intellectu probè atque penitius conſequi, memoriâ firmiter complecti. Singula profectò hæc capita permagni ſunt momenti ad Numorum Augg. dexteram tractationem, eaque nonniſi exemplis commodiùs diſcuntur.

Dicam primùm de vultibus. Tu, ſive aureos, ſive argenteos, II.
ſive æreos, ſive magni, ſive medii, ſive parvi & infimi moduli Numos

mos unius Augusti, Latinos saltem, arripias, faciem intuebris, ejusque lineas omnes, sibi semper æquales, inque tanta magnitudinis diversitate in nullo ferè ab invicem exerrantes, maxime florente Imperio: quod pereximium sanè, & æternis dignum præconiis Artis Monetariæ Romanæ est decus. Abinde porrò & voluptatis plurimùm, atque utilitatis, etiam Tyro facilè consequitur. Voluptatis, inquam: Licet namque eidem Homines illos, veluti viva quadam ac spirante in imagine, tutò jam & absque formidine intueri, ante quos Reges Regum olim supplices prostratique jacuere, & qui Numinum instar, consensu quodam generis humani, erant sacrati, infit Ill. *Spanhemius*, Oratorum omnium Numariæ quidem rei sine controversia Princeps, in singulis propè paginis nobis deinceps laudandus. Cumque Arculam suam intuebitur, canere eidem ferè licebit cum Cl. *Groseo de Bose*:

Spanhem. T. II. Diss. XII. initi p. 341.

Groseus de Bose Dissert. de Jano Vet. in Elect. Rei Numar. p. 1.

Insignes quoscunque tulit per secula tellus,
Una redivivos hæc tenet Arca Viros.

Quantus non ad unius duntaxat Principis adventum hodie quidem esse solet populi universi concursus, subjungit Eruditiss. *Liebbe*; Quis eum vidisse non avet, quem summus in Cælis DEUS altissimæ suæ, quæ Mundum universum gubernat, Potestatis participem, suaque in Provincia quodammodo Vicarium fecit? Quanto igitur ardore, ab intelligentibus certè, spectabitur tot Regum potentissimorum, & maximorum quorumlibet Principum una in gaza quasi Concilium, immò & populus, qui ex tot Numis eorum, per tanta ætatum temporumque intervalla, ad nos demum usque servatis coaluit? Utilitatis deinde: siquidem si vel unicum duntaxat TIBERII v. c. vel CLAUDII Numum probum, beneque conservatum, iterum iterumque studiose inspexerit, nullô deinde negotio quamplurimos postea alios, licèt attritos, exeso etiam nomine, nullius tamen alterius, quam CLAUDII, sive TIBERII esse, solo è vultu promtè tutoque statuere poterit. Juvat id sanè magnopere, cùm rari admodùm Numi sine omni demum vitio ætatis in pauperum quidem manus incurrant. Sat magnus præterea jam multis Apollo videberis, si cum primo statim Numi exesi obtutu signatum in eo Principem dexterè pronunciare, atque intento veluti digito, hic JULIUS, ille AUGUSTUS, demonstrare valueris. Ejusmodi tamen si laurum tu postules, Numos ipsos ut contueare, oportet: sculptis quippe eorundem imaginibus haud paulò minor est fides. Siquidem chalcographi nostri, Numariæ Rei ipsi plerúmque imperiti, quamvis artifice valeant manu, ea tamen ad prototypon attentione vix demum sunt, ut nullam sibi in ectypis libertatem permittant. Facilè penicil-

Liebe in Gotha Numar. Proam. §. VIII. p. IX.

nicillus, facile scalprum exerrat, & vel in puncto varians vultus jam idem non est. Quare non malè *Arnobius* sensit, cum de oris proprietate, atque imaginibus sermo est, plerúmque obtinere illud Satyrici: *Frontis nulla fides*; ac illud *Manilii* quoque: *Nec crede severæ frontis opus signo.* *Apud Reusch. Præfat. ad Gemmas Eberm.*

III. Diversimoda postea Capitum Ornamenta curiosè omnino contemplari, atque discernere Tyronem necesse est, ob temporum maximè perpetuò variam rationem. Varius quippe est hominum genius, &, ut quidam scripsere, *nihil inconstantius homine*: immo non alia quæpiam Inconstantiæ imago perfectior, ac si ipsum denique hominem pinxeris. Quod vitium, licèt animi sit jugiter mobilis, in corporis tamen luxu vestitúque plurimùm sanè apparet. Otiosum itaque in Numis non est, jam *nudo* aliquem *capite*, jam *laureato* signatum: postremum hoc Imperatoribus, prius illud Cæsaribus convenit. *Radiis* coronari divinum quidpiam portendit: *Diademate gemmato* incincti Augusti postremis primùm seculis comparent *Galeis* nonnulli teguntur, alii *Mitrâ* refulgent: nihil attamen horum sine causa. Augustarum præterea muliebris in capite Mundus æquè diversus variam signat ætatem, & sæpè, cùm nomen abest, apud æquos rerum antiquarum Arbitros judicium parit, hanc potiùs, quàm prioris cujusdam sive posterioris seculi fœminam principem agnoscendi. Ritè ergò in Numis curanda hæc singula, nisi irato prorsus Apolline eosdem tractare volueris. Diffiteri quidem interim nolim, Cælatorum licentiam labente maximè imperio subinde intervenisse, ac quospiam Numos à communi aliàs regula omninò exerrare: è converso tamen id etiam maximè constat, multa in Numis singularia otiosa diu esse visa, atque Monetariorum sive incuriæ, sive inscitiæ tributa, quæ tamen postea sagaciori ingenio explorata, & cum historiis studiosiùs collata, mysterium non parvum recondere animadversa sunt. Ita etiam in Numaria Re nulla est regula sine exceptione: ita in Laconica Quiritum Sapientia ritè vestiganda neminem omninò sententiæ suæ nimis esse tenacem oportet.

IV. Nomina Dignitatum, Munerúmque supremorum, cum utraque in lingua, græca æquè ac latina, integrè scripta raro existant, quod *Num.* I. jam monui, crucem Tyronibus sæpenumero terribilem figunt: peregrinum tamen in iis & hospitem esse, omnibus ferè Numorum deliciis atque commodis interdicit. Liberè omninò Doctiss. *Jobertus* alicubi pronunciavit, *Adversas* quidem Numorum Augustorum Theatra esse supremæ ambitionis, *Aversas* porrò adulationem nullis contentam *Jobert. Instruct. V.*

 limi-

limitibus palam oſtentare. Etenim Auguſti, quæcunque demum olim ſuprema erant Reipublicæ liberæ munia, in plures tributa, ſolis ſibi uno quopiam cumulô arrogavêre, ut ſuam hoc pacto majeſtatem in auge collocarent. Conſulum itaque dignitatem, Tribunitiam Poteſtatem, Pontificatum Maximum, Augurum prærogativam, Cenſorum munus ſuſceperunt, ut ſacrarum æqué ac profanarum rerum omnium ſoli tandem potirentur. Cúmque olim munera iſta annua duntaxat eſſent, quidam Imperatorum, qui meliores erant, ea in annos ſingulos noviter receperunt, ſignantes in Numis COS.*ul.* II. III.*tium* &c. TR.*ibunitia.* P.*oteſtate* IV. V. &c. Alii porrò ſumma ſua poteſtate ampliùs abuſi, & ne umbram quidem Libertatis Senatui Populóque faventes, Conſulatum, alterumque aliquod munus, ſemel ſuſceptum, annis pluribus vel ſub eodem, vel absque omni numero retinuerunt. Hæc ſingula ex *Adverſis* Numorum plerúmque addiſcimus: etſi non rarò quoque aliqua Munerum hujusmodi nomina etiam in *Averſas* rejecta ſint. Videſis itaque, Publi lectiſſime, operæ ſanè pretium eſſe, ut Numorum *Adverſas* hac I. in Parte ſeorſim tecum explorem, *Averſas* non alias addens, ac illas, quæ fortè & ipſæ non niſi titulos, ſive hujusmodi imagines ſiſtunt, quæ titulis explanandis & commodæ, & neceſſariæ ſunt.

V. PUBL. Sapientiſſimè in ſingulis mones, Honorande Tulli, quæque omnia liquidò diſſeruiſti, ea vel pauperis Arculæ meæ modici Numi ad oculum tamen mihi oſtendunt. Si porro ſeriem integram Auguſtorum, quod unicè cuperem, contemplari ex *Adverſis* velimus, ſæpenumero mihi aqua hærebit: quippe qui unius Auguſti multos equidem frequenter teneo Numos, plurium verò ne unum. TULL. Aliàs me tibi dixiſſe jam memini: *Ibant, quà poterant:* limitibûs nos tuìs teneamus, neque aliter niſi Exemplìs agamus, quorum pauca à me tibi propoſita te in multis erudient. Plures proinde Imperatores, quos tu etiam tenes, minimè tamen pingam, niſi novam nobis diſſerendi materiem præbeant: neque enim animo præcepi, Seriem Auguſtam conſtruere, ſed brevibus Exercitationibus, atque facilibus, tuam ad majora induſtriam excitare. Jucundum eſt Tyronibus, qui liberali ingenio ſunt, nova quotidie diſcere: ſed longè jucundiùs, crede mihi, remotis magiſtris, proprio Marte in abdita plura penetrare. Sic erudire te cupio in Numis, ut tuam interim tibi meſſem nequaquam præripiam. Quoniam verò tuis in Numis JULIUS deeſt, ecce tibi percommodum quempiam Typum Numi argentei & medii, quem pariter Ill. *Spanhemius* pinxit, ne omnis hæc noſtra Exercitatio acephala i. e. ſine capite ſit.

Spanhem. T.II.p.172.

Utra-

Utráque illius facies primam hanc, quam tibi porrigo, Tabellam inchoare debebat, ut singulos ejus Titulos legas.

PUB. Usque adeò non desinis, æternis me beneficiis obruere: VI. quibûs tamen litus minimè arabis. Vehementer interim lætor, Virum me illum ac Principem genuina in imagine contueri, qui tanti Imperii, quale Romanum erat, jacere potuit fundamentum, & non modò dextrâ invicta, atque laureis undique innutrita, Orbem non minimum sibi subjecit, verùm etiam ore fuit disertissimo, & calamo longè latéque celeberrimo. TULL. Magnus sanè rerum gestarum gloriâ, immo maximus JULIUS, nisi laudibus ejus, è virtutis quidem præscripto metiendis, tantoperê detraheret, primùm quidem, quòd tanto nequaquam jure ad convellendam liberam Rempublicam, quanta fortuna subnixus, Tyranni potius probrum, quàm elogium Monarchæ apud æquos rerum Arbitros sustulerit: deinde verò atque præcipuè, quod profunda fidei caligine sepultus, dum Orbem Victor obtinuit, cælo toto aberraverit. Vivit equidem nunc undique Cæsaris fama: ille verò quid nisi æternis tenebris suis atque ignibus illachrymatur? Atque huic æquè damnabili fato tam multi post eum Imperatores culpâ suâ cessere. De hoc tamen viderint illi: tu interim JULII vultum non primùm hìc conspicis, si ad *Tabulam IV. Exercitat. Proœm.* Numúmque *L. Æmil. BUCAE* reflectas. PUB. Meum jam vultum is ipse memoriæ lapsus rubore suffundit. TULL. Ergò tutè ipse tibi disciplinæ sis, Numos, ceu Theatra fidelibus oculis ornata, jugem à Tyrone obtutum reposcere, qui præcipuus ferè *Laconicæ Quiritum Sapientiæ* canon est: præterquam quòd vulgare aliàs sic illud Poëtæ:

Segniùs irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

PUB. Originem tam maximi Principis atque historiam sanè totis animis aveo. TULL. Ego porro & JUL. CAESAREM, reliquosque Augustos, tribus plerúmque verbis, ut ajunt, tibi edicam: erit namque, ut in cæteris Partibus, ubi Numorum Augustorum *Aversas* contuebimur, de plerisque identidem sermo recurrat. Forsitan autem & his quoque brevissimis narrationibûs omninò apud te supersederem, nisi omnes passim, vel à Tyrone pariter, qui Numis animum applicans, eos subinde etiam aliis exhibet, postulare viderentur, ut eorum, quorum vultus adeò charos habet, tantóque studio, licèt attritos, nihilominus colligit, aliqua saltem noverit vitæ capita præcipua percensere. Quod si gnaviter potuerit, & sibi laudem, & pluribus voluptatem, Numulis verò suis existimationem non parvam conciliabit.

Julii Cæsaris breuis notitia VII. Suetonius, in Jul. c. 6. Cajus ergo, JUL. CAESAR, quemadmodum ex *Suetonio* discimus, *Maternum Genus suum ab Regibus ortum, Anco Marcio nempe & Marciis Regibus, Paternum cum Diis immortalibus conjunctum* ajebat, quia ex Gente *Julia* erat, quæ originem suam retulit ad *Æneam*, filium *Veneris deæ*. Satis hìc ambitûs vides. Gentis porro suæ, etsi Patritiæ, nulla ferè ad usque An. V. C. CCLXIV. claritudo fuit : abinde verè in eam & Consulum, & Decemvirorum magistratus, cæteráque clarissima munia commigrârunt. *Cæsarum* in hac Gente *Julia* familiam *Sext. Julius* primùm inchoâsse dicitur ; rationem porrò cognominis hujus quæsivere plurimi, tutò hactenus reperit nemo. Princeps demum noster in Regiam Gentem suam Imperium iterum reduxit, cujus Pater erat *C. Jul. Cæsar*, Vir Prætorius, Mater *Aurelia*, filia *C. Aurel. Cottæ* : à qua editus fuit in lucem XII. Quinctil. (quem postea mensem ejus honoribus sacrum *Julium* dixere) An. U. C. DCLIV. centum ipsis ante Christum annis. Cùm annum ageret JUL. noster XVI. jam Flamen Dialis creatus, Sullæ Dictatoris odia diu perpessus ægrè effugit, donec multorum tandem interventu in gratiam reciperetur, dicente verò Sulla : *Multos CAESARI Marios inesse.* Adverterat quippe in eo ambitionem summam, turbasque ingentes in Republica per eum concitandas prævidit. CAESAR deinde cùm in Bithynia, tum Cilicia, non modò militiæ rudimenta posuit, sed omnes etiam numeros explevit. Mortuo verò Sulla rediens, Dolabellam Virum Consularem ultrò aggressus, & admiranda facundia publico in senatu repetundarum accusans, tantùm ut ingenii sui periculum faceret, plurimorum rursus in se odia concitavit : quibus se iterum fuga subduxit. Fugientem ceperunt piratæ, atque his ille litrum, eo, quod poposcerant, longè amplius ultro persolvit : sed nave subitò instructa, eos omnes capiens, crucibus suffixit. Paulò pòst Populi suffragiis Tribunus militum, Quæstor, Ædilis, Pontifex Maximus, ac cum Bibulo Consul effectus est : hunc tamen brevi magistratu suo submovens, solus gubernavit, quibusdam tunc lepidè scribentibûs : JULIO ET CAESARE COSS.*ulibus*. In Consulatu se Galliæ Præfectum ipse creavit : quam provinciam intra decennium totam subegit, gravíque tributo devinxit Rheno pontem injiciens, & Germanos aggressus, eos sæpiùs fudit : Britanniam quoque Romanorum omnium primus adortus est. Interea Pompejum M. aemulum nactus, semel & iterum victus, plenam tandem Pharsalicis in campis de eo victoriam retulit : quemadmodum postea, Ægypto subacta, quam Cleopatræ Amasiæ largitus est, Pompeji quoque filios, sed ægerrimè vicit. Tum A. U. DCCVI. quinque Triumphos agens, talis de-

demum erat, cui clavum Reipublicæ è manibus extorquere nemo nullus jam poterat. Ergo Senatus, metu cogente, infinitos ei Titulos, atque Poteſtatem ampliſſimam contulit: quæ ſingula tamen infra ſuam adhuc ambitionem conſtitêre. Regis proinde nomen ſæpius ſibi acclamatum rejecit equidem, ita tamen, ut invitus id facere facilè videretur. Parthos tandem opprimere ultrò ſtatuit, venítque tum ſubitus rumor è Libris Sibyllinis, vinci eosdem, niſi ab Rege, non poſſe. Omni proinde in eos expeditione jam inſtructa, ultimum adhuc ſupererat Senatus Conſultum, quo Parthia ei decerneretur, & Regii nominis, extra tamen Italiam, facultas accederet. Unde nihil jam ultra cunctandum ſibi rati Caſſius, & Brutus, iique, quos ſibi in fœdus conſervandæ Libertatis causâ adſciverant, ipſa in Curia CAESAREM ad ſtatuam Pompeji 33. vulneribûs confodiebant A. U. DCCX. Idib. Martii, dum Annum ætatis ageret 65. ſolúsque rerum omnium annos tres ac totidem menſes potitus foret. Faſtorum eidem celeberrimam correctionem debemus, qua Anni tempora, ſuis ſedibus pravo intercalationum ordine mota, reſtituit. Scripſiſſe plurima fertur: è quibus VII. adhuc Libros de Bello Gallico, III. item de Bello Civili Pompeiano cum voluptate relegimus. Hæc paucula interim tanto de Principe ex prolixa *Huberti Goltzii*, aut veriùs *Marci Laurini* hiſtoria tene.

PUB. Brevis es quidem, ſed in nuce Iliadem concludis: abunde per te mihi factum eſt ſatis, jam, ſi libet, Numum expendamus. VIII.

TULL. Suſtine modicum, mihíque permitte, ut ſolâ Vultus in Numo ſignandi prærogativâ uberiùs adhuc nonnihil te coram expoſitâ, hodiernum deinde Dialogum noſtrum, ne modum excedat, concludam, cæteris in craſtinum dilatis. *Plutarcho* teſte, prout diligentiſſimus ille *Goltzius* eo in opere ſuo præfatur, quo *Vivas omnium ferè Impp. imagines* maſculè atque dexterrimè è Numis expreſſit, & ſub Annum 1557. Antverp. vulgavit, Vultus hominum clarorum pingendi ſculpendíque conſilium à Græcis ſuſceptum eſt, ea quidem de cauſa, ut illi, qui cum laude obierant, vel aberant ſaltem, præſenti in imagine ſpectarentur. Sic in populo comparere, tacitúmque honorem mereri cùm dignum videretur Regia Majeſtate atque jucundum, placuit nationum variarum Principibus, monetæ ſuæ, quæ in omnium curreret manibus, indere vultus ſuos: ut hoc demum pacto, quod edixit *Caſſiodorus*, & alii, *Imago Principum ſubjectos videretur paſcere per commercium, quorum Conſilia vigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum.* Romæ tamen *Numa Pompilius* imagines omninò prohibuit, ut ſpatio centum & ſeptuaginta annorum nullam vel pingere, ſive ſculpere liceret. Abinde verò Deorum

Caſſiodor. Variar. L. N. c. 7.

rum capita Numis ſignari, ac Templis ſtatuæ inferri cœperunt: ſed ſuum in Numis vultum in orbem vulgare, quod regium id videretur, nemini permiſſum, tentatum à nemine, quod certo capitis periculo ſtetiſſet. *Sulla* porrò Dictator, qui leges omnes pro libitu evertit, id omnium primus eſt auſus An. U. C. 566. quem *Pompeius* M. cum Marco Licinio Craſſo trepidè ſecuti ſunt. C. JUL. CAESAR, quo in Regiam poteſtatem ſibi aſſerendam ferè ab ephebis nemo proclivior erat, non tamen ſibi plus fiduciæ ſumſit, quàm ut, ſubdola uſus amphibologia nominis, Numum cum Elephante ſignaret, eíque vocem CAESAR Punicîs tamen literîs ſubſcriberet, ambiguum relinquens, an ſuum, an beſtiæ nomen id foret: Punis námque Elephas *Cæſar* appellatur. Cùm verò tandem jam in limine ſolii ſtaret Auguſti, Senatus, metu atque adulatione ſuadentibus, inter cætera infinita honorum inſignia atque ornamenta, Vultum ſuum in auro argentóque ac ære ſignandi ſummam prærogativam in eum etiam contulit; qua ille deinde liberrimè hilaritérque eſt uſus. Poſt *Julium* ejusdem adoptione filius, *Octavius Cæſar*, qui poſtremò ad eundem Imperii honorem graſſatus, tutiûs illum multóque diuturniùs ſervavit, Patre ſuo in nullo ſanè honorum argumento inferior, in pluribus haud paulo ſuperior, millies iterúmque millies ſignato in auro radiavit.

IX. Sic itaque tam *Julio* quàm *Octavio*, tot in Numis jam vivùm ſpirantibûs, avebat jam populus, quod olim diris omnibus devoverat, Principes ſuos metallô fulgentes conſpicari: quorum cùm ſacra, quia Auguſta, eſſet majeſtas, *Sacram* quoque *Monetam*, Numis ipſis luculenter fatentibûs, dixêre. Mox etiam tanta Vultus Auguſti in ære conſpicui reverentia poſcebatur, ut iidem non raró in capitis diſcrimen adducti legantur, qui debito eosdem honore fruſtrâſſent. Vitâ luendum erat *Tiberii* temporibûs, ejus effigiem aut Numo vel Gemmæ inditam, latrinæ, aut lupanari intuliſſe, teſte *Seneca*: quin & impietatis non neminem poſtulatum diſertè *Philoſtratus* ſcribit, qui Aſpendi in Pamphiliæ oppido ſervum verberibûs affecerat, drachmas Tiberii vultu ſignatas ſecum deferentem. Non parva videlicet apud veteres religio fuit, *Aeternales illos Vultus violare*, ut loquitur J. Conſultus, omniúmque Augg. ſenſum eundem fuiſſe videtur, qui erat poſtea *Theodorici*, Gothorum Regis, Urbíſque ac Italiæ Domini, ſic quidem effati: *Quidnam erit tutum, ſi in noſtra peccetur effigie, & quem ſubjectus corde venerari debet, manu ſacrilega violare feſtinet?* Hanc ergo Vultum ſuum præcipuè in auro ſignandi tam ſummam prærogativam, veluti peculiarem Imperatoriæ Majeſtatis characterem, ita ſibi propriam retinuêre Auguſti, ut uſu

Seneca de Benef. L. III. c. 26. Philoſtrat. in Vita Apollonii. L. III. Cod. de Vet. Numiſm. potent. Apud Caſſiodor. unde ſupra VII, 32.

usu alterius monetæ, alio vultu insignis, omninò interdixerint, nullis Regibus, qui Cæsares olim vereri debebant, indulgentes, ut Numos vultu suo signare possent, solis Francorum Regibus exceptis, quibus serò tandem Justinianus Imp. id in auro factitandi facultatem concessit: *Procop. Rer. Goth. L. III. c. 33.* quod ipsum tandem ingentis gratiæ loco apud omnes habitum esse *Procopius* collaudat.

X. PUB. Nunc demum tu Vultibus Augg. novam apud me, nec parvam reverentiam concilias: quis namquè ingenuus diffiteri aliquando velit, vultum Principis, ære signatum, parem sibi cum picta ejusdem effigie cultum recte omnino vindicare? Quod si ergò pictas tabellas contumeliâ violare crimen sit læsæ, ut ajunt, Majestatis, atquè in Numos injurium esse, severa animadversione est dignum. Maximè verò ab iis hac in parte delinqui videtur, qui adulteros cudunt Numos, ac per eosdem incautis emtoribus frivolè imponunt: neque mitiùs illi habendi forent, qui Summorum, quos Orbis tulerat, Principum majestatem nihil reveriti, præstantissima quæque eorum, quæ ad nos usque transierant, monumenta impio furno, atque scelestis ignibus suis corrumpunt.

DIALOGUS II.

De
Numo JULII CAESARIS.

PUBLIUS.

I. *Tab. I. Num. I.* SÆpè interea multùmque ejus Numi, cum quo Tabulam tuam I. auspicatus es, collatum abs te mihi typum hunc præsentem contuitus, miror sanè plurimum, tantum in eo cumulum munerum supremorum parte sui utràque congestum. Cum enim *Adversa* caput *Jul. Cæsaris* laureatum exhibeat, cum Lituo, Augurum insigni ad dextram adsignato, circúm legitur: CAESAR. AUGUR. IMP. SEXT.*um* COS.*ul.* QUINT.*um.* In *Aversa* adstat sella curulis, fascibûs utrinque stipata, unde prominent secures, supra sellam laurea cubat, sive erigitur: suprà lego: PONT.*ifex* MAX.*imus.* infrà DIC.*tator.* PERP.*etuus.* TULL. Quantùm te amo, Publi lectissime, quod tam eximiè proficis. Plures etenim literas contractas, quin vel ad unam

 hæreres

hæreres, promtissimè legeras. *Quintùm* deinde, ac *sextùm* rite ajebas, quia nimirum, ut nullus jam ambigo, probè nosti, Adverbia ista numeralia totidem vices adepti v. g. Consulatus, decretæ Dictaturæ, innuere, non quartum vel quintum in ordine Consulem &c. indicare. Præterea Lituum Augurum, quem tibi *Exercit. Proæm. D. X. n. 13.* descripsi, præclarè noveras, uti & Sellam curulem, ac Fasces: quorum prior, ut *D. XII. n. 6.* te docui, Consularis Dignitatis est nota: Fasces porrò Dictatorem enunciant, de quibus rursum *D. VII. n. 13.* disseruimus. In his omnibus erraret, qui in Numis ad huc dum nihil penitus saperet. PUB. Helleboro sanè plurimùm indigerem, si nihil omninò caliginis apud me clarissima tua institutio dispelleret. Verumtamen etsi viderim rectè ac legerim, quid tamen de his omnibus *Cæsaris* præconiis dignè sentiendum, ignoro. Unde obsecro te, ut longiùs aliquantulum te hodie mihi indulgeas, atque de singulis solita me benevolentia atque perspicuitate instituas. TULL. Multa sunt, fateor, hoc uno in Numo elogia *Cæsaris*, alia tamen nihilominus desunt. A *Suetonio* nàmque, ac aliis, qui vitas Impp. scripsère, edocemur, Senatum ad *Jul. Cæsarem*, cùm is rerum jam summam teneret, argenteas tabulas, aureis literis scriptas, semel atque iterum, maxima quidem cum reverentiæ submissione, illo interim Patribus ne quidem assurgente, detulisse, in quibus eundem, præter descripta in Numo elogia, *Liberatorem* quoque, ac *Parentem Patriæ* appellavère, decernentes ei *Imperatoris Prænomen*, *Censuram perpetuam* sub nomine tamen *Præfecti moribus* : ut de *Dei Invicti*, *Jovisque* nimis quàm superbis blasphemisque nominibus taceam. Tantum in Senatu tam sacro, tam aliàs sapiente, metus potuit Tyranni; ubi tamen dissimulare non debeo, *Cæsarem*, etsi *manu longissima* foret, quod de Regibus canit Poëta, i. e. summa potestate, Pompeiis tamen patre & filiis devictis, in cæteros, qui eis faverant, præter spem omnium clementissimum fuisse. Iam de singulis Numi nostri elogiis ordine dicam.

II. Quemadmodum, non nisi Patribus sinentibus, *Cæsaris* vultus in Numis comparuit, ita *Laurus* etiam, qua incingitur, & quæ in sella curuli insuper cubat, ac perpetuum eum eloquitur Triumphatorem, Senatus pariter Consulto eidem decreta est, semper & undique gestanda. Id verò tantò ille gratius habuit, quantò tenuior ei foret capillus, quantòque calvitiem suam iniquiùs tulit, laurô postea quàm honestissimè velandam. Elogia quòd spectat, in cæteris omnibus Numi hujus nominibus vox IMPERATOR facilè princeps esset, basisque quodam modo & fundamentum cæterorum, si Prænominis locum teneret,

neret, ita ut legeres IMP. CAESAR. Sed quoniam contrarium accidit, & ad vocem *Imp.* etiam adverbium numerale *Sext.* adjicitur, peculiaris illa ac summa sanè prærogativa, quam *Julio* Senatus concessit, ut *Imperatoris* uteretur Prænomine, hoc in Numo non satis exprimitur. Quod ut integrè demum sapias, vox *Imperator* paulò altiùs mihi repetenda est.

Variam illa notionem olim apud Quirites sortita est. I. nàmque, cùm latissimè acciperetur, dabatur omnibus, qui Consula- III. ri, Prætoria aliàque dignitate fulgebant, cui jus vitæ, necisque annexum, qui vulgò *imperare* dicebantur. II. Magis propriè *Imperator* audiit, qui bello imperans, justum hostium numerum interfecit, hocque pacto militibus mereri est visus, ut voce omnium Imperator acclamaretur. Id cùm fieri sæpius potuerit, nata sunt in Numis elogia: IMP. ITER. III. IV. &c. etsi postea, cùm cadente Republica Augusti imperarent, milites persæpè id sibi fiduciæ sumerent, ut Augustos quoque acclamarent, contràque Senatum tuerentur: quæ tamen acclamatio à præsenti toto sanè cœlo diversa. III. Illustrius longè præconium erat *Imperatoris*, si quis exercitum totum non modò suo imperio, sed & *auspiciis suis* duxisset. Et *suo* quidem *imperio* duxere multi, quicunque supremi duces delecti sunt, ut Proconsules, Legati &c. quibus videlicet obaudire omnes debebant. Sed ut *suis auspiciis* duceret quisquam, necesse erat, ut ei Respublica *totam suam fortunam* committeret, *omne fatum suum* cederet. Ut enim Quirites plurima dementavit superstitio, ita etiam rebantur, non modò cuilibet homini suum esse fatum, sed & Urbibus omnibus, singulisque rebus publicis: Urbis autem suæ fatum esse, ut esset *Urbs æterna*, *Orbisque Domina.* Nihil ergò, quod à republica susceptum est, inauspicatò agere libuit, vel licuit: semper supplicatum est diis, ut ostenderent, an, quod præ manibus erat, faustè feliciterque eventurum sit, fatòque Urbis consentaneum esset. Poterant ergo illi, qui exercitum ducebant, fatum quidem proprium pertentare auguriis, utrùm hostem superaturi, incolumes redituri, triumphum, ovationèmve merituri sint: nequibant verò fatum Urbis reposcere à cœlo, ab avibus &c. nisi eos respublica cum hoc addito dimisset, ut *suis auspiciis ducerent*, Id si fieret, *Imperator* in castris juxta prætorium habebat Templum Augurale, in quo rem divinam ipse facere, auspiciis operam dare, ac reipublicæ pertentare fortunam debebat. Sin porrò deerat ei facultas auspiciis suis ducendi, Romam mitti, ibique auspicium fieri oportuit: quod si forsitan casus tempusque non ferrent, expeditio autem sive conflictus improsperè caderet, inauspicatò rem factam Quirites

 lamen-

lamentabantur. Sin autem, cùm poterat, id neglexerit *Imperator*, ingentis calummniæ sibi præbuit argumentum, ùtque M. Helvio Pro-
Liv.XXIV. prætori factum scribit *Livius*, licèt victoriâ potiretur, triumphare ta-
10. men permissus non est, quòd non Reipublicæ, sed propriò, atque adeò *alieno auspicio pugnâsset*. IV. Soli tandem *Cæsari* concessit Senatus *Imperatoris Prænomen*, ut scribi posset IMP. CAESAR: posset inquam: neque enim semper id factum, immò rariùs exstare in Numis, alias dicam. Indultum hoc *Julio* honoris amplioris causâ, summæque in bello virtutis testimoniô, quasi qui esset Victor perpetuus: minimè verò, ut potestatem ei majorem hoc nomine tribuerent Patres, quam in eo aliunde summam, Libertatique Reipublicæ perniciosissimam, plurimùm aversabantur. Sed *Cæsar*, quique post eum erant Augusti, alio longe sensu fuêre: cùm namque Regis nomen, Patribus æquè ac populo nimis execrabile, omitterent quidem, *Imperatoris* tamen sive prænomine, sive cognomine Regiam Potestatem exprimi deinceps atque intelligi volûere, qua etiam eximiè usi sunt. Quod cùm invaluisset, supremis belli ductoribus non jam ampliùs *Imperatoris*, sed *Ducis* adhæsit, priùsque illud vix uni demum alterive, ut forsitan Blæso, deinceps indultum.

IV. PVB. Quantum non in recessu habet sola hæc vox *Imperator*, è sensu Quiritum ritè vestigata? quantum gloriæ tribuit Augustis? TVLL. Tribuit sanè, qui & soli vocis hujus omnem aliam notionem dignè tandem sustinuerunt. Non etenim tantùm jus vitæ & necis sibi solis vindicârunt: uni erant præterea, qui bellum decreverant, duces misèrunt; sed eorum quodue auspiciis deinceps bella gerebantur, postquam in locum *Fortunæ publicæ* successit *Fortuna Domus Augustæ*, *Fortuna Imperatoris*. Si ipsi bellum administravêre, agebant *suis auspiciis*: si duces miserunt, eisdem *auspicia sua* commodaverunt, quemadmodum alicubi *Horatius* cecinit:

Horat. Odar. L. IV. 14. 33.

Te copias, te consilium, & tuos
Prœbente Divos.

Utrumlibet autem ex his factum sit, i. e. sive ad bellum ipsi Augusti processerint, seu Legatos dimiserint, alea faustúm cadente, honor Principi cessit, ejusque in Numis subinde bis legitur IMP. semel initio, atque ut Prænomen, IMP. CAES. deinde cetera inter elogia vel sine addito, vel voce ITER *ùm*. aut numerô III. *tùm*. IV. *tùm* &c. adjecto;
Tacit. Annal. I. 9. quemadmodum de Augusto unacum *Dione* testatur etiam *Tacitus* his verbis: *Nomen Imperatoris semel atque vicies partum*. Porrò, ut profana omnia nomina jungam, ad COS. *ulis* jam atque DICTATORIS elogia

gia ordo vertit. PUB. De utróque hoc summo Magistratu si quæquiam adhuc tibi docenda supersint, oro te equidem atque vehementer obtestor, peramanter ut facias. Nullus interim dubita, me probè memoriâ complecti, quæ *Proœm.* in *Exercitat.* jam prælibaveras, dum *Dial. XIII. n. 3. & 4.* quid rei Dictator esset, ac quoties Magistratum hunc *Cæsar* inierit, *Dial. XIX.* deinde *n. 10. seqq.* de Consulibus, atque Consularibus luculenta brevitate differeres. TULL. Ad illa si reflectas, dicendum mihi ferè ultra nil restat : cæterarum quippe copia rerum, in reliquis Numis recondita, crambem recoctam nimioperè fastidit. Ad sacra igitur veniamus, primumque PONTIFICIS MAXIMI titulum expendamus.

Supremam hanc in primo Sacerdotum collegio dignitatem *Cæsar* V.
tantâ propositi fui pervicaciâ ambivit, ut eam rogaturus, manè, priusquam domo excederet, dixerit Matri, se non rediturum, nisi *Pontificem Maximum.* Obtinuit etiam, quod petiit, summo populi studio, & suffragiorum consensu contra Quint. Catulum & Isauricum competitores, ætate licèt ac dignitate longè superiores, *non tamen*, quod *Suetonius* annotat, *sine profusissima largitione*, emtis adeóque suffragiis. Et erat profectò operæ pretium, tam summum Sacrorum Magistratum etiam maximi nundinari, qui & Perpetuus esset, & Auctoritatis plurimùm, atque Potestatis in omnibus Sacris haberet. Etymon hujus vocis *Pontifex*, teste *Varrone*, à *pons* & *facere* fuit : erat namque Romæ ab Anco Marcio rege Tiberi flumini Pons injectus è *sublicibus*, dialectô Volscorum, i. e. *lignîs in latitudinem extensis*, interprete *Festo*, ita coaptatis, ut sibi illigata clavisque firmata non essent, sed facilè mobilia, quæ ingruente aliquando hoste removeri quantocius possent. *Pons* iste *sublicius* dictus, tam sacer est habitus, ut Numa Pompilius crearet Pontificem, eidem instaurando, si subinde opus id foret, præfectum : quod antequam faceret, pontem hunc sacris quàm multis expiare debebat. Sueton. Cæs. C. 13.

Deinde tres alii Pontifices ab ipso Numa, longo pòst tempore VI.
rursum quatuor à Populo, tandem à *Sulla* denuò septem adjecti sunt, unde XV. Pontificum Collegium enatum : quorum omnium Caput *Pontifex Maximus* fuit, sic dictus, non quòd ætate omnium Senior esset, velut Augur Maximus, sed quod in cæteros Pontifices jus summum haberet, rege etiam Sacrificulo eidem subjecto. Legebatur à populo, è Pontificum tamen Collegio, uno eorum Comitia indicente : cautum autem omnino, ne die nefasto, Fastisque Romanis damnato. Præibat Sacerdotibus omnibus : Sacrorum rationem nemini

 reddi-

reddidit: animadvertere in eum non licuit: dignitate moveri non potuit. Sacra omnia, templa, sacerdotes, ipsasque Vestales Virgines, Libros divinos, Ferias, Calendaria curavit: si sacra quæcúnque loca dedicanda, Magistratui atque populo preces præibat, comitia indixit, Kalendas, Nonásque, ac nundinas vulgavit: an Ludos quoque fecerit, incertum. Horum vero omnium ne quidpiam negligeret, Italiâ excedere non potuit: regiam domum, sitam in via sacra juxta Vestam, incolere debuit semper, cujus index lauri ramus fuit ante fores conspicuus: equo vehi aut curru nequibat, sed peditem incedere oportuit: domos omnes, ubi vitâ functus jacebat, idcircò cupresso ante fores exposita, vitare coactus est: semel denique, non iterum, nubere poterat, & quidem feminæ nobili duntaxat, atque integerrimæ famæ.

Aserra Nova Philolog. L. I. P. V. p. 647. & seqq

VII. Hac ergó maxima sacerrimaque apud Quirites dignitate *Cæsar* post obitum Metelli Pii An. U. C. forsitan 692. retulsit. Cùm verò postea, actis jam omnibus triumphis, superior omnibus foret ac metuendus, ceteros inter honores hoc etiam à Senatu ei oblatum, ut, si filium habiturus esset, is *Pontifex Maximus* foret. Quæ sors *Augusto* deinde, quem *Cæsar* filium adoptaverat, à morte Lepidi obtigit: ut adeò hoc pacto Pontificatus Maximus velut in hæreditatem transiret, cum eóque Principes summam in omnia Sacra adquirerent potestatem, quam eis dignitas Imperatoris minimè attulisset, teste Ill. *Spanhemio.* Porrò in Numis Impp. *Pontificis Maximi* elogium, solis his literis P. M. notatum, honorato sanè legitur loco, & Tribunitiam Potestatem, atque Consulatum ferè undique præit, legitùrque in iis ad usque Gallienum; post quem una cum Cæsaris, Potestatis Tribunitiæ, Consulatus titulis, quamquam hæc omnia essent Augusti, plerúmque omissus est: eò, quod usus jam obtinuerit, Augusto cum fastigio munia omnia suprema veluti natura esse connexa, adeóque jam opus haud ampliùs foret, tam longa nominum recensione Numos indies magis pusillos onerare. Id verò animadversione est dignum, cum *Antoninus Pius* diserte professus sit, ideò se duntaxat Pontificatum Maximum suscepisse, ut puras manus à sanguine servaret, adeoque in sacris diligens fuerit, teste *Iul. Capitolino*, ut, non nisi æger, vel absens, eadem per vicarium faceret, in tam frequentibus nihilominus Numis ejusdem Pontificatus Maximus perpetuò sileatur: id quod ego sæpenumero miratus, neminem tamen reperi, qui vel adverteret illud, vel ejus rationem in medium adferret. In *L. Vero* deinde, qui simul cum *M. Aurelio* erat Augustus, *Pontificis Maximi* elogium frustra quæras, uti in

Spanhem. T. II. p. 423 seqq.

ceteris

ceteris omnibus, quos alii Impp. collegas imperii sibi adsciverunt: neque enim *Pontificatus Maximus*, naturâ vel rectiùs lege Perpetuus, consortem admisit. Quòd si filii qandoque Augustorum ac Cæsares in Numis suis *Pontifices* laudentur, non de Maximo, sed inferiore aliquo Pontificatu id accipi, Ill. *Spanhemius* petit. Cùm postea Christiani jam essent Imperatores, *Pontificis Maximi* neque munus neque elogium sustinûere, advertente CL. *Harduino*, Patriarchis utique, & Episcopis, maximè verò S. Sedi Romanæ, Christiqúe in terris Vicario, uni & soli Summo Pontifici, id honoris deferentes. Licèt námque in Numo quopiam M. Constantini, aliorúmque, ad usque Gratianum, Augustorum, subinde legatur *Pontifex Maximus*, paganis permittendum id erat, ut veteri stilo uterentur, quoadusque idololatria universa funditus demum exscindi potuerit. Unde & à morte Constantini, ac cæterorum, eos, velut olim, in Numis consecratos, Divosque appellatos reperies.

PVB. Succincta hac tua de *Pontifice Maximo* Commentatione egregiam in pluribus mihi copiam faceres, ab impiis infidelium deliriis Christiana ad Sacra sermonem traducendi, nisi à nostro id instituto prorsus abluderet. Quare jam nunc de *Auguribus* æquè jucunda audire abs te maximè concupisco. TVLL. Ego autem verebar, etsi cuncta oppidò constringam, tua tamen patientia nimium hodie, etiam de Auguribus differens, me abusurum. PVB. Si, ut proverbio dicimus, disertus comes pro vehiculo est, tu certè eruditissimis discursibus tuis plurimum mihi horæ compendium facis. VIII.

TVLL. *Augurum* ergò, qui Sacerdotum Romanorum in ordine Pontifices proximè insecuti sunt, Etymon cape, quos *Festus* non ab *Avium garritu* sed *gestu* appellatos existimat. Solemnes erant Chaldæis, à quibus ad Græcos primùm, deinde ad Etruscos, postremò ad Romanos migrârunt. Romulum certè Urbis suæ auspicia *avibus fecisse* novimus: qui & juxta numerum Tribuum antiquarum in populo suo tres Augures instituit. Numa autem Pompilius tantam in eos contulit dignitatem, ut secundum à Pontificibus Collegium facerent. Impari numero erant semper: quanto autem, edici tutò non potest, quamvis ferant, Sullam Augures XV. constituisse. Qui eorum Senior erat ætate, dictus est *Augur Maximus*, quapropter & præcipuus erat. Lege Domitia, à plebe electi sunt, quæ lex iterum iterùmque abrogata, toties rursum invaluit, donec Imperatores suo duntaxat arbitrio singula constituerent. Tantò erat eorum Autoritas major, quantò magis Quirites curabant, ne belli, pacisve tempore, quidpiam, nisi *auspicatò*, IX.

to, i. e. consulto Augurio, gereretur: usquedum longo hujus superstitionis usu de ejus vanitate edocti Romani, Augurum artem neglexere, & Magistratus ad se trahens auspicia, quod sibi libuit, Auguribus nuntiare duntaxat in vulgus imperavit.

X. Cùm verò adhucdum vigerent auspicia, Augurum munus summi viri gesserunt: quòd hoc Magistratu sacerrimo nemo, gravium etiam criminum convictus, moveri posset. Causas affert *Plutarchus*. Primùm quidem, quia verebantur Romani, ne Augures, qui jurejurando silentii tenebantur in rebus divinis, si ad officium redigerentur, Sacra vulgarent. Deinde quòd auspicia artis forent, atque scientiæ, non à nomine vel dignitate venirent: Unde, qui calleret auguria, ea nihilominus capere posset, licèt Augur non haberetur. Ingentem hujus muneris existimationem *Cicero* docet, illud *Amplissimi Sacerdotii* nomine efferens: Magis verò *Plinius*, amicorum cuipiam, Auguratum sibi gratulanti, ita rescribens: *Gratularis mihi, quod acceperim Auguratum: Jure gratularis, & quòd Sacerdotium cùm priscum, tum religiosum, tum hoc quoque planè sacrum & insigne est, quòd non adimatur viventi.*

Plutarch. Probl. 99.

Cicer. L. ad Attic. VIII. ep. 3.

Plin. L. IV. ep. 8.

XI. Omina *Augures* potissimùm captabant à cœlo, & avibus: alias à bipedibus etiam, quadrupedibus, ac diris, i. e. fortuitis actionum humanarum, animaliùmque eventibus, ut nulli demum superstitioni locus deesset. Augurio statuto is, qui capere debebat, loco sacro extra urbem quiescens, concubia nocte sub initium naturalis diei surrexit, cælùmque *servavit*, i. e. certa cœli spatia versus 4. Mundi partes *Lituo suo*, seu baculo suprà recurvo, designavit, in quibus aut ventos, aut fulgura, vel aves advolantes observans, rogavit Deos, ut per ejusmodi signa, quod fatum impenderet, edicere vellet. Hæc cœli spatia dicebantur *Templa*: Avium porrò *Oscines* aliæ, quæ cantu, aliæ *Præpetes*, quæ volatu vaticinari credebantur. Coloris in his ratio plurima habita: candidæ etenim boni, fuscæ mali erant ominis. Lævi pariter lateris, dextrique permagnum fuit discrimen: Scribit namque *Cicero* alicubi: *Nobis sinistra videntur, Grajis & barbaris* dextra *fulgura meliora*. Dum Augures hujusmodi signa primùm viderunt, denuò diis supplicabant, ut iterum eadem apparerent, certúmque hoc pacto ederent omen: Quod dum fiebat, *acceperunt* illi ajebántque, quod de uno eorum Tolumnio *Virgilius* cecinit:

Cic. L. II. de Divinit. c. 36.

Hoc erat, hoc, inquit, votis quod sæpè petivi,
Accipio, *agnoscóque deos.*

Virgil. Æn. XII. 258. &c

Satis hæc, Publi, de Augurum nugis: Hoc solùm addo, *Jul. Cæsarem*

fuisse *Augurem Maximum*, silente quidem Historia, sed Numis clarè loquentibûs. Nunc porrò toto hoc Dialogo in unico *Julii* Numo versati vires uterque reparemus nonnihil, id equidem commodi referentes, ut, cùm in reliquis Numis elogiâ IMP. atque PONT. MAX. idendidem recurrant, parum nos ea deinceps aut nihil morentur.

PVB. Subvereor equidem, Honorande Tulli, supercilium tuum, qui lassus es disserendo: temperare tamen ingenti proficiendi desiderio jam minimè possum, quin perconter abs Te, si Numus *Jul. Cæsaris* in Græcia cusus, hîsque omnibus, aut pluribus elogiis foret insignis, quæ demum vox Pelasga *Imperatores*, quæ *Augurem* &c. notet. TVLL. Frontem mihi profectò, Amantissime Publi, lætissimè explicas, quoties proficere cupis. Ipsa porrò tam vehemens contentio tua, quam affers ad discendum, ingredi me facit in spem, ut Grajas tu literas mox, ut otium nactus sis, plenè possideas. Interim ego voluntatibus tuis summa mea cum voluptate obsecundans, te veluti trepidum quemdam Narcissulum, gressus vel primos figere dubitantem, libenter nutricis in morem conduco. Animum ergò tuum adverte, huncque brevem Indiculum memoriâ complectere, quo supremorum in Numis munerum nomina latina græce pariter Tibi reddo. XII.

CAES*ar*	KAIΣAP.
IMP*erator*.	ATTOKPATΩP.
AVG*ustus*.	CEBACTOC. locò ΣEBAΣT.
P*ontifex* M*axim*.	APXIEPETΣ MEΓAΣ. vel MEΓIΣTOΣ.
A. AV. *vel* AVG*ur*.	OIΩNIΣTHΣ.
TR*ibunitia* P*otestate*.	ΔHMAPXIKHΣ EΞOTΣIAΣ.
COS*ul*.	TΠATOΣ vel OTΠATOΣ.
PROCOS*ul*.	ANΘTΠATOΣ.
CENS*or*.	TEIMHTHΣ.
P*ater* P*atriæ*.	ΠATHP ΠATPIΔOΣ.
PIVS. FEL*ix*. aut P. F.	ETΣEBHC. ETTTXHC.

PVB. Bellè agitur mecum, dum Græcas meditor literas: Anser nimirum strepit inter olores. Neque tamen animum despondeo, ubi tu me tantopere cum juvas tum erigis. TVLL. Superest tandem, ut ex percommodo *Laurentii Patarolii* libello, quem inscripsit: *Series Augustorum, Augustarum, Cæsarum, & Tyrannorum omnium &c.* Venet. A. 1722. XIII.

C jam



jam altera vice nitidè excuso in 8. m. te moneam, *Jul. Cæsaris* Numos æreos magnos haud infrequentes esse, minores vix occurrere. Argenteos autem raros, rarissimos aureos credi: cum quibus Græci pariter, ac in Coloniis cusi de pretio certant. Nôsse hæc expedit Tyroni, ut, quàm dives sit ipse, vel contrà quàm pauper, intelligat. Etenim non, qui multos, sed qui raros possidet Numos, celebriore est Arcula.

DIALOGUS III.

De Numo AUGUSTI.

PUBLIUS

I. QUater jam mihi Vultum *Augusti* pingebas in *Exercit. Proœm.* Numos inter *Familiarum*, vi *Tab. III. n. 3.* item *Tab. IV. n. 9. & 10.* rursum *Tab. V. n. 8. ubi & n. 9.* quintus sequitur Numus, *Augusti* non quidem vultu, nomine tamen illustris.

TVLL. Opportunè hæc memoras, ut novæ te rei commoneam, Optime Publi. Nimirum ii, quibus Numi magno jam numero affluunt, dum cimelia sua quàm ornatissima cupiunt, variâs inibi *Series* ordinant, v. c. *Familiarum*, *Imperatorum*, *Coloniarum*, *Urbium Græcarum*: nonnulli præterea *Deos, Déasque*, *Templa & Sacrificia*, *Trophæa*, *Triumphos*, *Ædificia publica &c.* peculiaribus in Tabellis juxta se collocant. Quoniam proinde unus idémque Numus in *Adversa* quidem ad hanc, in *Aversa* aliam ad Seriem commodùm pertinere videtur, receditur sæpé à communi Eruditorum placito, quorum sensu *Adversa*, i. e. anterior ac princeps Numi facies, ea habetur, quæ capite, aut nomine Principis signatur. Si namque in *Aversa* v. g. legatur Triumvir aliquis Monetalis, ejusmodi Numum ii, qui Seriem cupiunt Familiarum reddere auctiorem, inverso ordine collocant in Tabellis, cúmque aliàs vultus Imp. suprà cubare deberet, infrà ponunt, ut ad primum Numi obtutum mox *Turpilianus*, *Surdinus*, *Clovius &c.* aliique de Familiis Romanis compareant. Pari pacto alii Urbis Genium, Coloniæ nomen sive insigne, alii Templum &c. in fronte statuunt: *Aversam* itaque, cujus Typus sua cum Serie congruit, in locum *Adversæ* substituunt.

unt. Mirari ergò jam desines, eccur etiam ego tot Numos *Augusti* pauculis tuis Familiarum Numis inseruerim, ut videlicet tres saltem ex iis Tabulas complerem. Novus tamen tibi superest *Augusti* Numus in *Partis hujus I. Tab. I.* servatus, ubi *num. 2.* comparet.

II. Principem in eo vides longè maximum, faustum, ac diuturnum. Cum primis tamen reflecte ad Triumvirorum Reipublicæ constituendæ causâ à cæde *Jul. Cæsaris* creatorum historiam, compendiô tibi à me *Exercit. Proœm. D. X. n. 7. seqq.* recitatam. Erant hi, ut noveris, *Octavius* quidem *Cæsar* postea dictus *Augustus*, *M. Antonius* deinde ac *M. Lepidus*, *terribile bonis omnibus collegium*, ut graviter *Patinus*, *Plutarchi* verba ex parte sibi usurpans, *quod in fœdus cruentum prodendæ patriæ, atque effundendi, quodcunque supererat, liberi sanguinis causâ coäluit.* Prior omnium atque junior, deinde fortuna virtutèque superior *Octavius* erat, C. Octavii & Acciæ filius, primo nomine *Thurinus*, quod cito evanuit, natus sub Ann. U. C. 691. ante Christum 63. Quadrimus nondum patre vero orbatus, *Jul. Cæsarem*, cujus sorore mater ejus est genita, adoptione parentem accepit, ab eo in nomen & familiam suam adlectus,& abinde *Cæsar* appellatus,hæresque insuper scriptus. Annum sextum ac decimum ingressus, *Julium* in Hispaniam secutus, militiæ posuit rudimenta: hoc verò in Parthiam cogitante, juvenis *Cæsar* Apolloniam causâ studiorum est missus. Fatis autem *Julium* subitò prementibus, quantocius advolans Romam, truculentam cum Antonio & Lepido Triumviratus periodum inchoavit, quam aliàs percensui. Mutinensi adversus M. Antonium bello, ambobus Consulibus cadentibûs, solus exercitum obtinuit, sibique Consulatum vindicavit A. U. 711. Altero anno cum M. Antonio gessit bellum Philippense in Brutum ac Cassium, *Julii* interfectores, primo prælio ferè victus, altero victor. Tertio in Luc. Antonium movit, M. Antonii Triumviri fratrem, quem Perusiæ ad deditionem coëgit. Quartùm pugnavit in Sext. Pompeium: à quo semel & iterum classe victus, tandem per Agrippam triumphavit An. 717. Lepidum paulò pòst ad incitas redegit: in Dalmatas & Pannonios pugnans, varias retulit cicatrices. Decretoria tandem arena cum M. Antonio classe ad Actium congressus, A. 723. insigni victoria usus est: sed, dum eum Alexandriæ postea obsideret, multis equitibus fuit multatus, classis tamen adversæ deditione, triumphum tandem de Antonio internecinum obtinuit.

Patin. Impp. p. 15. Plutarch in Vita M. Anton.

III. Sic æmulis omnibus liber juxta atque superior, Patris *Julii* vestigiis territus licèt ambitu pari, non tamen contentione, ad gloriam grassatus est, Imperium sibi delatum, nisi diuturna cum amicis, Mecænate maxime

atque Agrippa, consultatione præmissa, minimè admittens, & tum quidem in decennium duntaxat: quo exacto iterum in quinquennium iterùmque rogari, ut imperare vellet, callidus expetiit. Imperii provincias bifariam partitus, quæ pacatæ erant, Senatui cessit, quæ hostem metuerent, sibi servavit, ut hoc demum pacto penès eum exercitus forent. Pontificatum Maximum defuncto Lepido diligenter iniit, ut Sacrorum potiretur: Consulatum gessit, ut Patribus imperaret, ac Tribunitiam Potestatem, ne populi benevolentia excideret. Crudelitatem Triumviratus sui clementiâ majestatis non sanavit solùm, sed penitus ferè delevit. Rempublicam æquissimis legibus, Urbem ædificiis splentissimis extulit. Pugnavit. In Cantabros, Illyricos, Armenos, omnium in Germanos infelicissimè, Quintilio Varo turpiter cæso: quapropter jam senior, capite frequenter in parietem illiso, exclamavit: *Quintili Vare, redde legiones!* Solus annos 44. imperavit, Nolæ in Campania obiens è profluvio ventris, nonnullis tamen virus suspicantibûs An. Ætat. 77. U. C. 767. Christi sub eo feliciter nati 14. Fuêre, qui de eo jactarent, *aut nasci nunquam, aut nunquam mori eum debuisse.*

IV. PUB. Dulcis mihi fuisti, Tulli facundissime, hac iterum narratione: sed trium puto verborum oblitus es, quibus te in historia Impp. usurum aliàs proposuisti. TULL. Dum regni primordia percensenda, triverbio locus non est: scire profectò expedit, quibus demum mediis Libertas in servitutem abierit, quibûs artibus Tyrannis in solio non substiterit modò, sed & placuerit. Jam Numum expendamus, apud te æreum medium, nigro vernice tinctum, probatum, benèque conservatum. Vides summi hujus Principis caput lauro florente incinctum, neque excidit tibi, ut reor, *Julio* semper esse laureato à Patribus indultum. De *Augusto* memoriæ *Plinius* prodidit, cùm *Livia Drusilla* eidem quartò esset pacta, sub dio illi sedenti Aquilam ex alto Gallinam candidam in gremium demisisse, quæ lauri ramum rostro suo detinebat. Illicò aruspices Gallinam, omnèmque ejus sobolem educari, laurum verò in villa Cæsarum plantari curabant, sylva inde enatâ. Hac deinde de rami propagine *Augustum*, cùm triumpharet, lauream decerptam capiti imposuisse semper: quod exemplum, ut ille *Julii* imitatione, ita cæteri Impp. suâ insecuti sint. Celeberr. tamen *Reuschius* ex *Aurel. Victore* illustrem profectò *Augusti* sententiam affert, ita profati. *Jactantis esse ingenii atque levissimi, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id est, folia infructuosa, in discrimen per incertos eventus certaminum securitatem civium præcipitare.* PUB. Reprehendit hoc pacto, ut reor, optimus senex, quod

Marginal notes: Tab. I. Num. 2. — *Plin. Hist. Nat. L. XV. c. 30.* — *Reusch. Gemm. Eberm. p. 75.*

quod junior ipse amavit: quamquam toto differant cœlo, æquo Marte poscente lauream virtute mereri, & solo laureæ ambitu classica canere.

TULL. Legendam percense. PUB. Sic demum habet: CAESAR AUGUSTUS DIVI F.*lius.* P.*ater.* P.*atriæ.* TULL. Ubi nomen *Octavii*? In nullo id Numo Principis hujus requiras; adoptione quippe à *Julio* facta absorptum est, eique *Cæsaris* nomen successit. Atque hoc ingens beneficium docent verba: DIVI i. e. Julii F.*ilius.* Affert Erudiss. *Liebe* in præclara illa *Gotha Numaria* Numum aureum *Jul. Cæsaris*, in cujus Aversa videas *Augustum* nudo capite hac cum epigraphe sane non vulgari: C.*ajus* CAESAR COS.*ul.* PONT.*ifex.* AUG.*ur.* Unde liquet, *Augustum* non *Cæsaris* Patris cognomen solùm, sed & Prænomen *Caji* accepisse, nominibûs veri patris sui penitus abolitis, cùm aliàs, more Quiritum, adoptati Gentile nomen suum leviter inflexum retinerent, aut veri etiam parentis nomen: quo pacto *Augustus* scribi debuisset à gente sua *Octavia Octavianus*, vel *Octavii filius.* PUB. Mihi porrò meo in Numo superbum satis videtur, & *Julium* appellari Divum, & *Augustum* se *Divi filium* jactare. TULL. Quiritum ea superstitio in omnes pervagata est, ut illos etiam Principes, quos propter tyrannidem sustulerant, à morte Græca quidem dialecto Ἥρωες, *Heroes*, latina *Divos*, *Consecratos*, *Sideribus receptos* appellarent ipsi, vel appellari paterentur, eo honore ad parentes pariter vel natura vel adoptione, ad Uxores deinde ac Liberos etiam propagato. Certè Domitianus, quam impius Princeps! ita tamen à *Silio* Italico laudatur: V. Goth. Num. p. 53.

O Nate DEUM, DIVOSque dature! Sil. Ital. L. III. v. 625.

Quid quòd Ill. *Spanhemius* commemoret, in Numo Græco, à præstantiss. *Morellio* descripto, appellatum esse Neronem à Claudio adoptatum: ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ: CAESAR DEUS DEI seu *Divi* F.*ilius.* Cætera, quæ ad hunc locum facerent, Exercitationum nostrarum Parti VI. & ultimæ reservo, quæ *de Consecrationis Augustæ* deliriis aget. Spanhem. T. II. Diss. XII. §. 491.

Quemadmodum verò, dum legis in Numo tuo CAESAR, Gentem intelligis, cui se *Octavius* insertum testatur, *Juliam* nempe ac *Cæsarum*, dùmque legere pergis DIVI F.*ilius*, factam à *Julio* jam consecrato ejusdem notas adoptionem: ita nomen AUGUSTUS summam tibi illius dignitatem enunciat. Primus quippe id nominis tulit. Tractatum à Senatu fuisse *Florus* scribit, an, quia *Octavius* condidisset Imperium, *Romulus* vocaretur? *sed sanctius & reverentius visum est nomen AUGUSTI, ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.* Canente quippe *Ovidio*; VI. Florus IV. 12. Ovid. Fastor. I. 609.

SANCTA vocant AUGUSTA Patres ; AUGUSTA vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.

Quo circa Græcis *Augustus* per Σεβαστὸσ scribitur, quod idem est, ac *Venerabilis*, *Adorabilis* : & apud *Dionem Cocceianum* hoc nomen *Potestatem* non sonat; sed *Splendorem Dignitatis*. Quo sensu id pariter *Apuleius* accepit, inquiens : *Unus omnium GRATIANUS potestate Imperator, virtute Victor, AUGUSTUS SANCTITATE, Pontifex religione.* Quoniam porro hoc nomen *Cæsar* magna virtute atque felicitate sustinuit, postquam eidem in VII. Consulatu Id. Jan. An. U. C. 726. à Senatu oblatum est, accidit, ut eodem alii deinde Impp. tanto tempore gloriarentur, idque in eos perpetua successione ita transiret, quemadmodum in Ægypti Reges *Pharaonis*, in Syros *Seleuci*, in Ponticos *Mithridatis*, in Parthos *Arsacis*, in Armenios *Tigranis* nomen propagatum est. Factum est etiam lapsu temporis nomen Potestatis usque adeò, ut plures Impp. & hos inter primus fere *Hadrianus*, neglectis aliis omnibus elogiis, *Augusti* tantùm in Numis scriberentur, quemadmodum & tu infrà in Numo *Hadriani* aliud nihil leges, quàm HADRIANUS AUGUSTUS : quo uno nomine, quidquid ad Imperatoriam Majestatem pertinuit, complecti est visus. Cave sis ergò, ut ii te fallant, quorum dialecto vox hæc *Augustus* quasi *ab augendo* dicta, Imperii Ampliatorem designat. Aut, si forsitan in Cl. *Harduni* sententiam penitus novam, ab omni porrò antiquitate alienam, incideris, eam leviter arripias : qua voluit, *Augusti* nomen, æquè ac *Cæsaris*, in cæteros omnes Impp. manâsse, quasi nomen Gentile, quòd ii cognato agnatòque à *Cæsaribus* sanguine descenderint. Cui penitus convellendæ Ill. *Spanhemius*, quamvis sine bile, nervos tamen omnes intendit.

Dio Coccei. L LIII. p. 507.

Apulei. in Grat. Act.

Spanh. unde supra p. 371. seqq.

VII. PUB. Quæso te, Venerande Tulli, si sic demum in cæteris omnibus Impp. numis, tàmque prolixè versaberis, quem exitum reperies? Sed abundat in me amor tuus, cui omnis demum labor est brevis: ego porro tam reconditæ eruditionis favos cupidissimis faucibus lambo. TULL Exibo, ne dubita, si primas tibi Laconicæ Quiritum Sapientiæ venas aperuero. Hærere tibi postea ad singulas voces, ubique recurrentes, quemadmodum nunc quidem fit, minimè deinceps continget. Restat adhuc postremum in Numo tuo, illùdque pretiosum in paucis elogium P. *atris*. P. *atriæ*. Serius, an citiùs bellum hoc nomen, cum *Julio* Parenti, tum *Cæsari Augusto*, ejusdem adoptione filio, delatum sit, addubitant, Eruditi. Verum *Julio* non à morte primùm per M. Antonium illud tributum esse, cùm memoriæ ejus columnam statueret magnificam, eique inscriberet; PARENS PATRIAE: sed jam viventi aecla-

Sueton. in Jul. c. 85.

clamatum, numis testibus, discimus, cujusmodi eadem cum appellatione diligentiss. *Goltzius* dudum vulgavit. *Augusto* autem præclarum hoc elogium in Consul. XIII. Trib. Pot. XXI. adeóque An. U. C. 752 Non. Febr oblatum, Ill. *Spanhem.* post Card. *Norisium*, & *Jac. Perizonium*, Clar. Viros, è vet Kalendarii fragmento apud *Gruterum* manifeste evincit. Quis modus offerendi, quæ deinde oblati hujus nominis apud *Augustum* jucunditas, *Suetonius* tibi eloquatur, apud quem lego. *Quod bonum faustùmque sit tibi, inquit Valerius Messalla, domuique tuæ, Cæsar Auguste, sic enim nos perpetuam felicitatem Reipublicæ, & læta huic precari existimamus, Senatus te, consentiens cum Populo Romano, consalutat PATRIAE PATREM. Cui lachrymans Augustus respondit his verbis. Ipsa enim sicut Messalæ sunt verba, compos factus votorum meorum, Patres Conscripti, quid habeo aliud deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem perferre mihi liceat?*

Goltz. in Cæs. Tab. III.

Spanh. T. II. p. 446.

Sueton. in Aug. c. 58.

VIII. Vim verò nominis hujus, quod sanè honoris erat, ac cautionis, ut scilicet sibi subjectos ceu liberos diligeret, & ab iis vicissim ut Pater coleretur, perspicuè *Seneca* docuit, scribens: *PATREM quidem PATRIAE appellavimus, ut sciret, datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suàque post illos ponens.* Nobilis hæc Appellatio à Senatu, si æquo esse ei licuit, ac sapienti, neque metu ad adulandum compulsus est, Principibus suis nec statim est data, neque ab his, qui meliores erant, subitò admissa: ut toties laudatus *Spanhemius*, eundô propè per singulos, amplissimè docet. Tu uno teste contentus, *Ovidium* audi, cujus etiam vadimonio *Augustus* se verè ut *Patrem Patriæ* gessit. Ita ille:

Senec. de Clem. L. I. c. 4.

Sancte PATER PATRIAE, tibi plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen Eques.
Res tamen ante dedit, serò quoque vera tulisti
Nomina: jam pridem tu PATER URBIS eras.

Ovid. Fast. L. II. v. 127. seqq.

Magnus ille *Tull. Cicero*, tanta Reipublicæ columna, ac Liberatis, donec ei caput præfectum, ac lingua amputata, acerrimus vindex, cuique omnium primo *Parentis Patriæ* elogium Romæ obtigit, Columnam illam supra commemoratam, ac *Julio* per M. Antonium cum elogio *Parentis Patriæ* positam, *exsecratam* suggillavit. Clarius longè testimonium *Augusto* perhibuit *Seneca*, his quidem verbis: *Bonum Principem Augustum & benè illi convenisse PARENTIS nomen fatemur.*

Cicer Phil. I. c. 2.

Senec de Clem. L. I. c. 10.

IX. PUB. Dii te ament, Tulli Honorande, quòd brevi equidem periodo plurima memoratu dignissima complecteris. Hoc demum est Laconicam Quiritum Sapientiam recte evolvere, si vocum, quas legimus in

in Numis, vim pariter ac pondus solida eruditione pervadimus. TVLL. Ego verò hoc demum addo, Numos *Augusti* in ære medio obvios, raros in magno, in auro argentoque vulgares à *Patarolio* dici: Græci quoque, magnos si demas, non infrequentes sunt, sed in Côloniis cusi rarissimi.

DIALOGUS IV.

De Numis TIBERII, CAII, CLAUDII, atque NERONIS.

TULLIUS.

I. ERit paulò pòst, Optime, Publi, ut iter nostrum Augustum velis decurramus, ut ajunt, atque quadrigis, plerisque munerum supremorum nominibus jam explanatis. Hoc Dialogo. 4. Augustos videbimus, quibus *Cæsaris* nomen gentile erat, uno semper alterum adoptante. Primus eorum *Tiberius*, cujus Numum ego pinxi *Tab. I. n. 3.* tu æreum, & magni moduli tenes. PVB. Nudo is capite dextram respicit, vafri quid nescio oculis spirans. Nimirum vaferrimus totus, vultu ac voce animi dolum perpetuò celans. Gente initio *Claudius* erat, *Tiberii Claudii* filius ex *Livia Drusilla*: cùm verò eundem mater uterô gestaret, ipsam *Augustus*, viro suo abductam, sibi conjugem accepit, prolis itaque vitricus effectus. Non deerant tamen, qui *Tiberium* ab *Augusto* antea adulteris amoribûs genitum credebant. Graiis literis atque Latinis probè institutus, elegantia dicitur carmina panxisse: bellica insuper virtute adversùm Rhætos, Pannones, atque Germanos admodùm clarus, triumphos, ovationémque promeritus est. Sed callidum ejus ingenium, atque cætera vitia brevi subodoratus *Augustus*, parùm ei favit, nec antè, quàm Cajus & Lucius, sui è filia Julia nepotes, præcoci fato sublati essent, ægrè à *Livia* inductus, eum in filium adoptavit, atque imperii successionem firmavit, cùm annum ætatis jam ageret LVI. Ut videlicet ipse, cûm Romam vitiis suis *Tiberius* deinde inquinaret, desiderabilor fieret, quod *Suetonius* notat. Imperio admotus, virtutum propè omnium atque

Tab. I. Num. III.

vitiorum

vitiorum exercitia miscuit, humanus idem atque crudelis, modestus atque superbus, liberalis & avarus, sobrius & ebrius: maximè verò effusa libidine, & simulatione perpetua malum principem egit, violentam postremò mortem oppetiens, ac verosimillimè à Successore *Cajo* ultima in ægritudine suffocatus an. Imp. 23. ætat. 78. Christi sub eo passi 37.

PVB. Legenda Numi hujus prolixa est: TI. *berius.* CÆSAR. D. *ivi.* AUG. *usti.* F. *ilius.* AUGUST. *us.* P. *ontifex.* M. *aximus.* TR. *ibunitia.* P. *otestate.* XXXIIX. *Vtùm.* TVLL. Bellè legisti. PVB. Sine porrò, an lecta ritè quoque intelligam, periculum facere. Gentili ac veteri *Claudii* nomine omisso, *Tiberius Cæsar* audit, quia in *Cæsarum* deinde Gentem adlectus, non paulò clariorem: ut patri adoptanti gratiam haberet, scribitur *Divi Filius.* Additur *Augustus*, adepti, gestique summi imperii nota, sacrosanctæ præterea Majestatis. Sequitur *Pontificis Maximi* elogium, Index summæ suæ in omnia Sacra potestatis, *quibus omnibus tandem Tribuntia Potestas* succedit, decies octies gesta, qua populi commodis se studuisse ostendit, simúlque favisse Senatui, quod munus hoc maximum repetito toties numero semper quasi novum receperit. TVLL. Præclaré omnino: nec mihi addendum hic superest aliquid, præterquam de *Tribunitia Potestate*, quam aliam longè multoque eminentiorem apud Impp. ac olim apud Tribunos plebis fuisse, ignorare non debes, ut Ill. *Spanhemius* contra CL. *Harduinum* denuò invictè contendit. II. *Spanh. T. II. p. 425. seqq.*

De Tribunis quidem plebis in *Exercit. Proœm. Dial. XIX.* abunde eruditus fuisti: quomodo verò Tribunitia Potestas ab Impp. gesta sit, hunc in locum servabam. *Tacitum* itaque audi, sic de ea scribentem: *Quod summi fastigii vocabulum reperit* AUGUSTUS, *ut aliqua appellatione cætera imperia praemineret*: ea videlicet, quæ Tribuni Plebis, quo nomine Imperatorum nullus uspiam vocari passus est cæterique omnes Magistratus, quocunque forent ordine, tenebant. Quare hanc Potestatem *Vopiscus* vocabat magnam partem Regalis imperii. Equidem etiam *Julio Cæsari* Senatus eam in perpetuum obtulit: hoc tamen nomine per eum neglecto, quamvis munus impleret, quod *Lipsius* ad *Tacitum* monet, *Augustus* illud resuscitavit, *Tiberius* deinde cæterique firmarunt. *Augustus* hanc Potestatem in perpetuum assumsit, nihilosecius tamen in duo lustra, sive quinquennia, Agrippam generum, in alia quatuor lustra Tiberium ejusdem collegam adlegit, & in singulos quidem annos, ac si de novo ei fuisset collatum, ejus gestæ numerum renovavit, Numis fidem suam interponentibus, ubi Tribunitiam ejus Potestatem XXXVII. reperimus. *Tiberium* in hac parte Patris vestigia III. *Tacitus Annal. III. 56.* *Vopisc. in Tacito Imp. c. 1.*

proximè preſſiſſe, hic Numus, de quo agimus, perſpicuè docet, Tribunitiam Poteſtatem XXXIIX. exhibens, quæ cum ultimo vitæ ejus atque imperii anno coincidit. Ubi tamen notes, numerum iſtum inchoare eo ab anno, quo *Tiberius* in hujus Poteſtatis Collegium ab Auguſto eſt primùm admiſſus, non autem inde, cùm ſolus imperans eam primùm geſſit. Fuêre Auguſtorum filii, ſive natura, ſive adoptione, ſubinde jam aliquoties cum Patribus Conſules, & Tribunitiæ Poteſtatis Collegæ, antequam imperium ipſi tenerent: Utriuſque proinde vices à primo numerârunt anno muneris, non verò Conſulatum illum primum ſcripſère, quem, ut jam Auguſti, primò geſſerunt. Cùm proinde Conſulatus, ſive Tribunitiæ Poteſtatis numeri in Numis Quiritum veluti Æra quædam ſint Cæſarum & Chronologia, qui ritè computare hic volunt, nôſſe priùs debent quoties Principum aliquis ante imperium aut Conſularem, vel Tribunitiam geſſerit Poteſtatem: quod qui neglexerit, graviter hallucinabitur. Non enim v. c. *Tiberius*, cujus Trib. Poteſtatem XXXIIX. Numus tuus deſcripſit, annis totidem; ſed ſolis 23. imperavit, quia nimirum adhuc imperante *Auguſto* jam 15. vicibûs erat Trib. Poteſtatis Collega.

IV. Porrò eminentiam muneris hujus apud Impp. præ Tribunorum Plebis facultate Ill. *Spanhemius*, a parte Cl. *Pagii* contra Em. Card. *Noriſium* ſtans, inde luculentiſſimè probat. *I.* Quod Tribuni plebis eſſent Magiſtratus plebeius: illos verò, quos adoptare Auguſti, quódque ſimul fieri conſuevit, Cæſares dicere, & Tribunitiæ Poteſtatis Collegas admittere ſolebant, Patritiorum ex ordine eſſe deberent. *II.* Quòd omnis poteſtas Tribunorum eſſet Urbe circumſcripta, nullàmque extra ejuſdem pomæria vim ſortiretur: Quare etiam Tribunis ne per unam quidem noctem abeſſe ab Urbe licebat. Contrà Auguſtorum Tribunitia Poteſtas non modò per totam Italiam valuit, ſed etiam extra illam: quemadmodum *Tiberius*, ejuſdem cum Patre jam conſors, Rhodi tamen degebat, eámque ibidem exercuit. *III.* Quod Tribuni plebis eſſent infrà Prætores, Tribunitia verò Poteſtas, ut ſupra ex *Tacito* audiſti, *imperia omnia præemineret.* *IV.* Quod Tribunitia inſignes Poteſtate ampliorem longè, & verè decretoriam haberent facultatem, quibuslibet Senatus edictis intercedendi, ac Tribuni olim in Republica habebant: quemadmodum & multò magis ſacroſancti, ut violari à nemine poſſent, habebantur. *V.* tandem: Quòd Tribunorum Auctoritas convocandi Senatum, ac Plebiſcita condendi, limitibûs ſuis ſemper includeretur, & altiori quapiam ligaretur auctoritate: illis autem,

qui

qui Tribunitiam gerebant Poteſtatem, facultas ſine limite in omnes dabatur.

Jam, optime Publi, quantum ſit hujus elogii pondus, ſat ſuperque intelligis. Rurſus porro novam contra omnes Cl. *Harduini* ſententiam, qua ſtatuit ex ingenio ſuo, Tribunitiam hanc Poteſtatem in Numis Augg. ſignatam, nihil in Urbe juris ſignare, ſed de provinciis tantùm atque exercitibus accipiendam, quaſi Auguſti non in locum Tribunorum plebis; ſed pro Tribunis militum duntaxat ſucceſſiſſent; hanc, inquam novam ſententiam, rurſus Ill. *Spanhemius* ita eliſit, ut jam nemo eidem facilé ſubſcribere velit. Forſitan autem, priuſquam hunc Numum *Tiberii* ponas, laurum in capite ejus deſideras? Verumtamen ſæpe is, quemadmodum & *Auguſtus*, aliis in Numis capite nudo, iterúmque in aliis laureato comparet, nihilque hic, quod equidem ſciam, myſterii latet. Paulò ſeriùs verò, laureatis ſemper Auguſtis, qui Cæſares duntaxat erant, nudo capite ſignati. Cæterùm *Patarol* numos aureos, argenteos, æreosque *Tiberii*, Latinos æquè ac Græcos, paſſim obvios dicit & frequentes, ſi æreos magnos exceperis, qualis hic tuus eſt. V.

PVB. Tua itaque veniâ, Tab. tuæ I. Numum IV. arripio, qui eſt *Caii Caligulæ*, apud me denuò Æreus Magnus, capite laureato ad dextram converſo. *Legenda* diffuſa, fateor, in quibusdam crucem mihi figit. TVLL. Ita lege: C. *ajus*. CÆSAR. D. *ivi*. AUG. *uſti*. PRON. *epos*. AUG. *uſtus*. GERM. *anicus*. P. *ontifex*. M. *aximus*. TR. *ibunitia*. P. *oteſtate*. III. *tiùm*. Pater. *Patriæ*. PVB. Hic ſanè in pluribus hæreo. Ubi *Caligula* manſit? quid ſibi vult *Pronepos*? cur *Germanicus* dicitur? TVLL. Fruſtra in Numis *Caligulam* quæris: hoc etenim cognomen ex joco enatum, ob inſolitum, ut ferunt, caligarum genus, quo uſus eſt *Cajus*, cùm in caſtris educaretur. *Pronepos* fuit D. *Auguſti*, quia *Germanici* optimi Patris peſſimus filius erat ex *Agrippina*: patrem autem hunc *Caii* adoptare debuit *Tiberius*, ipſe ab *Auguſto* adoptatus. Ambitus porrò causâ Pronepotem Auguſti ſeſe jactabat, dum Templum magnificum, eidem Auguſto non à ſe ſed aliis erectum, ipſe dedicabat. *Germanici* cognomen faſtûs denuò causâ aſſumſit, quaſi Germanos triumphâſſet, contra quos mera libidine exercitum duxit, cùm tamen ii ne quidem moverentur, & ipſe ea in expeditione nullum Belli duce dignum facinus ediderit, non pugnaverit, non motum compreſſerit, teſte *Suetonio*: nihiloſecius tamen triumphum ſibi inſtruxit. VI. *Tab. I. Num. IV.*

Pontifex Maximus erat more Anteceſſorum, adeò tamen vel in ſtolidos VII.

lidos deos suos pius & religiosus, ut capita eorum præcîdi, suùmque eisdem imponi mandaret. *Patris Patriæ* elogium illicò, cùm primùm eidem a Patribus, ejus tyrannidem veritis, offerebatur, accepit: quod equidem *Tiberius* perpetuò recusaverat, *Trajanus* diu multúmque renuerat. Vnde de posteriore hoc Principe ita *Plinius* laudabat. *Tu etiam nomen PATRIS PATRIAE recusabas. Quàm longa nobis cum modestia tua pugna? quàm tardè vicimus? Nomen illud, quod alii statim primo Principatus die, ut Imperatoris & Cæsaris, receperunt, tu usque eò distulisti.* Tacitè hic inter cæteros *Cajus* utique suggillatur: qui hoc insuper nomen egregiè sanè, si Superis placet, implevit, cùm Tiberium ægrotantem per fraudem suffocaret, quod verosimillimum, cognatis præterea suis, Senatoribus præterea atque civibus quamplurimis, purpuratum se latronem præstiterit. Ut porrò crudelitatis, rapinarum, atque incestarum libidinum finem tantò citius faceret, Cæsonia Uxor ejus quarta effecit: cujus procuratione à Cassio Chærea & conjuratis per vulnera 30. è medio sublatus est A. æt. 29. imp. 4. Chr. 41. Numos ejus quod attinet, fide *Patarolii*, cùm Aurei tum Argentei rari: Ærei magni non æquè frequenter obviant, atque minores. Græci mediæ formæ rarissimi, minimæ frequentes: in Coloniis cusi ferè rari, maximè magni.

Plin. in Paneg. c. 21.

VIII. PUB. Execror foedam hanc in Gente *Cæsarum* larvam, meliora de Successore ejus *Claudio* sperans. TULL. Execrati sunt etiam Quirites, missis à morte *Caii* prætorianîs, ut universam *Cæsarum* gentem ferro perimerent. In hac fuit & *Claudius*, Drusi majoris atque minoris Antoniæ filius: quem, cùm puer esset, valetudo multùm destituit, ut literas vix demum caperet, licet servi in morem à crudis magistris tunderetur. Adultus viluit Majoribus suis, ad nullam ferè dignitatem admissus: immò & *Livia*, si quem hominem inopem mentis taxare voluisset, eum *Claudio stolidiorem* carpebat. In illa porrò Gentis Cæsarum internecione, a Senatu decreta, ipse sub quopiam cubiculi peristromate occultus delituit, pedibûs nihilominus proditus: milite itaque velum amovente, ei ad genua accidit, utque parceret, lachrymîs orabat. Ergo miles misericordia motus, eum in castra deduxit, ajens cum risu ad commilitiones: en novum Augustum! rediit primùm res ista ad cacchinos: militibus tamen larga Claudii promissione inductis, copiam fecit nova moliendi, cùmque hebetem eum, talemque, qui nocere nemini posset, arbitrarentur, Augustum acclamârunt, ea cum pervicacia, ut Patres quoque ad assensum compellerent. Imperavit ergo præter spem suam & omnium *Claudius*, initio boni Principis opinionem

nem de se omnibus ingerens: sanctiones quippe optimas tulit, opera publica utiliter struxit, multa moderatione est usus. Verumtamen postea libertis, i. e. mancipiis manumissis, summam indulsit licentiam, inque libidinem plurimam crudelitatemque deflexit, mentis præterea sæpenumero penitus inops effectus, quod quidem nonnulli maleficio deputant: tandem An. imp. 14. æt. 64. Chr. 54. conscia Uxore Agrippina, venenô periit.

PUB. Ita nempe benè cœpisse nihil proderit, ut paroemia habet, nisi congruus etiam finis concluserit. Numum ejus contueamur, apud me æreum medium, in quo caput lauro revinctum lævam spectat. Circùm lego: TI.*berius*. CLAUDIUS CAESAR AUG. P.*ont*. M.*ax*. TR.*ibun*. P.*otest*. IMP.*erator*. P.*at*. P.*atr*. COS.*ul*. II.*dùm*. TULL. Hic nota, *Tribun. Potestatem* sine numero poni, quasi perpetuam, qualis apud Augustos revera etiam fuit: unde si numerum addebant, peculiaris id erat erga Senatum favoris, ut hoc pacto umbram veluti antiquæ Libertatis, qua vigente annuus erat Magistratus, Reipublicæ permitterent. Vox IMP. hic non designat summum fastigium, sive imperium Augustum, sed Bellicum, quia *Claudius* per Legatum Britannos aggressus est: hi verò, sola Nominis Romani formidine quassati, mox sine prælio quievêre, *Claudio* autem vel sic quoque triumphum insignem pepererunt, quem etiam egit. Sufficerat autem ei hanc propter expeditionem tam feliciter faustam, quia sine labore triumphalem, scribi IMP. absque BRITANNICI cognomine, quod elogium, ut notat Ill. *Spanhemius*, Senatus in filium *Claudii*, videlicet *Tib. Claudium*, transtulit, abinde *Britannicum* vulgò appellatum. Numos porrò *Claudii* argenteos & auroes *Patarol* raros dicit; æreos verò cum Græcos tum Latinos frequentes, in quibus tamen omnes magnæ aliquem formæ vix reperias.

IX. Tab. I. Num. V.

Spanh T. II. p. 324.

PUB. Unicus, ut opinor, de Gente *Cæsarum* nobis adhuc superest *Nero*, decantatum illud Romanæ purpuræ probrum. TULL. Ita est: scripsit autem nonnemo, cloacam eum fuisse residui sanguinis Augusti, adeò jam in *Tiberio* falso, *Cajo* crudeli, *Claudio* stolido vitiati. Fuit is filius Cn. Domitii Ænobarbi, atque Agrippinæ: quorum mores utrimque tales fuêre, ut, dum ipsi se contuerentur, fateri debuerint, non *posse ex se boni quidpiam nasci*. Imp. *Claudius* matrem *Neronis* postremam duxit uxorem, cùm ille jamjam adolesceret: ejus itaque artibus filius debuit, ut imperio deputaretur à *Claudio*, prout illæ quidem tabulæ sonabant, quas *Agrippina* necato *Claudio* protulit, etsi per eam suppositæ multis ac statim videbantur. Porro mulieris hujus tanta fuit ambitio, X.

ut per aruspices edocta, *fore equidem, ut imperet filius, sed matrem occîdat*, responderit : *Occîdat, dummodò imperet.* Militum ergò præcipuè operâ imperio admotus *Nero*, primis quidem annis, *Senecæ*, magistri sui, atque *Pyrrhi*, Præfecti Prætorii, consilio, adeò benè gubernavit, ut multo postea tempore Quirites, dum Principibus suis benè precari vellent, eisdem *Quinquennium Neronis* acclamarent. Mox verò in omne flagitiorum genus effusus, ita furebat, ut *Caii* summa impietas præ *Neronis* truculentia pia videretur. Occîdit matrem, fratrem, uxores duas, atque magistrum suum : quibus verò aliis pepercit ? Divitem fuisse capitis reum fecit : ad histrionis hujus Augusti, ac scurræ Comici deliria non plausisse, crimen erat morte acerbissima piandum. Aureas Romæ domus erexit : sed nulla re, quod *Suetonius* perhibet, Urbi magis, quàm ædificiis nocuit, ob nimium eorum luxum. Tandem Romam, quam illustriùs multò condere, ac Neropolim dicere animo præceperat, diversis in locis igne jussit succendi, eàque flagrante ex edito quopiam loco Trojæ excidium ad cytharam decantavit. Tanti verò piaculi causâ diris infandis passim devotus, culpam incendii, *Simone mago* id ei suggerente, in Christianos conjecit, quos eapropter prima atque immanissima persecutione crudeliter axagitavit. Provinciis subinde ferè omnibus ob tanta flagitia ab eo desciscentibus, Senatus animos resumens, hostem eum dixit, missisque militibus ad poenas poposcit: quos ille præveniens, multa licèt manus trepidatione, suum tamen ipse jugulum pugione confodit, An. tyrannidis suæ 14. Æt. 32. Chr. 68.

XI. Tab. I. Num. VI. PUB. Quanta igitur Assentatio, vel potius quanta impiissimi tyranni formido hunc ejus Numum apud me æreum medium convestit ! Caput nàmque in lævam versum corona cingit radiis conspicua, atque sequentia circumstant : NERO CL. *audius* CAESAR AUG. *ustus*, GERM. *anicus*. P. *ont*. M. *ax*. TR. *ibun*. P. *otest*. IMP. *erator*. P. *at*. P. *atr*. TULL. Dixeram suprà *D. I. n. 3.* radiis coronari divinum aliquid portendere : nihilominus tamen non pauci Imperatorum, vel affectione Senatus, hoc capitis ornamentum, iis aliàs, qui vita jam functi, diis accenserentur, ex vero tributum, viventes præoccupârunt. Atque in his *Nero* pessimus chorum ducit, omnium primus coronâ radians, quam omnium ultimus meruit. *Claudii* deinde nomen assumsit, ut factam à *Claudio* Imp. adoptionem suam gratus fateretur : sed tanti beneficii memoriam paulò post oblivione sepeliens, nihil scripsit in numis præter *Nero Cæsar &c.* Arrogantissime vero hanc ejus Adoptionem Urbes quaspiam Græcas extulisse suprà dixi D. *III. n. 5.* Laodicenses porrò tur-

turpiſſima omnium adulatione circa caput *Neronis* ſcribebant : ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑ ΣΤΟΣ ΘΕΟΣ. NERO AUGUSTUS DEUS.

Unde ſibi *Germanici* cognomen arrogaverit, hactenus quidem nemo me docuit ; ſed per Duces in illos pugnâſſe, qui ferè ſemper movebantur, facile mihi perſuadeo. Aliàs verò lego, bellum Britannicum infeliciter eum geſſiſſe, ſed Parthicum felicius per Domitium Corbulonem, Judaicum item per Veſpaſianum ; atque ab alterutro horum IMP. ſcribi videtur. Ubi meritò animadvertas, quod Jll. *Spanhemius* notat, etſi Impp. à devictis aliis omnibus gentibus cognomina reciperent *Germanici, Britannici, Parthici, Armeniaci, &c.* à Judaeis tamen victis, quòd nimiùm eſſent contemti, nullum eorum *Judaicum* appellari ſe paſſum eſſe. *Patris Patriæ* elogium *Nero* primis annis, cùm adhuc bonus eſſet, ætatem nimis juvenem cauſatus, neutiquam admiſit : poſtea iniquiſſimus factus metu extorſit. Numos ejus in omni metallo ac modulo obvios *Patarol* dicit : Græcos tamen magnos rariores. PUB. Quàm undique myſteria latent : quàm probè tu quævis minuta obſervas, Tulli venerande : nimirum ut ut tua demum induſtria meam provoces, & numos eruditè tractare, ac inde me lumen hiſtoriæ accendere doceas. Ampliùs ſanè erudis exemplo quam lege : quod ut diu ſic facere jucundiſſimè velis, etiam atque etiam vehementer te oro. XII. *Spanh. Tit. II. p. 507.*

DIALOGUS V.

De

Numis GALBAE, ac cæterorum ad usque DOMITIANUM.

TULLIUS.

NOn jam annorum ſed menſium Impp. numi tibi commonſtrant, *Galbam* videlicet, Hiſpanici Exercitus Ducem, *Othonem*, ac demum *Vitellium*, Germaniæ Legionibus præfectum. Ubi initio Cl. rurſus *Harduini* ſententiam obiter tibi inſinuo, qua denuò ire contra torrentem audacter præſumſit, liberam, ſi poſſet, etiam ſub Impp. Rempublicam evincere volens, ſenatui certè ampliſſimam in Auguſtos poteſtatem undique vindicans. Hunc poenituiſſe perpetui Imperatoris à ſe creati aſſeverat, ac proinde à cæde *Neronis* tribus ſupradictis quaſi Trium- I.

si Triumviris provincias esse partitum: sanxisse præterea, ut nemo deinceps Imperatorum ultra annos XIX. aut XX. potestatem in provinciis occidentis obtineret, quin cuivis Augusto gerendæ supremæ potestatis tempus definiisse: quo demum elapso privati ii cum degere, tum emori debuerint. Hæc opinatus, quandoquidem cum rei Romanæ Scriptoribus, ac universis veteribus Historicis, in gratiam redire se posse desperabat, Alexandri in morem nodum hunc Gordium totum hoc uno pugione dissolvit, ut scriberet, fabulatores eos omnes fuisse. Largiùs tamen à se, quàm par erat, hæc quidem dicta perpendens, atque nimia in tot Eruditis Dictatura se usum, fassus est publicè, nimio se ingenio abreptum, quàmque veterum scriptis tam penitus abrogaverat fidem, iterum permisit. Suæ nihilominus sententiæ tenax, in numis, quorum unica nititur ope, tanta libertate est usus, ut suo ingenio, sua auctoritate, receptis hactenus opinionibus nihil tribuens, ita demum eos exponat, ita intelligi velit, qualiter eos sibi favere animô præcepit. Antæum verò hunc novum in Herculis vicem Ill. *Spanhemius* aggressus, sat supérque elisit. Ego porro idcirco te coram ista commemoro, optime Publi, ne novæ hujus sententiæ rumor ad te fortean aliquando perlatus, incauto tibi, solius novitatis illiciô, fucum faciat, atque omnia mea, quæ apud te è communibus Eruditorum placitis disserui hactenus, atque deinceps etiam disseram, in gratiam ficta existimes. Excute, per me licet, *Harduinum* atque *Spanhemium*, cùm tantus in re Numaria olim fueris Apollo, ut arbiter esse Virorum tam amplissimi nominis queas: donec iterum tirocinium ponas, extra orbem præcoci fiducia te nolim saltare.

Spanh. T. II. D. XII. p. 405. seqq. & alibi.

II. PUB. Sic tota errare via, ut in proverbio est, dii me nolint. Teneo *Galbæ* numum apud me æreum magnum, ubi vultu prorsus senili, ac laurea cinctus comparet: sed literæ ejusdem me morantur. TULL. Nimirum ad nomina hæres: scribitur itaque. IMP.*erator* SER.*gius* SULP.*icius*. GALBA. CAES.*ar*. AUG.*ustus*. P.*ont*. M.*ax*. TR.*ibun*. POT.*estate*. Concessum olim *Julio* fuisse, ut *Imperatoris Prænomine* uteretur, audisti *D. II.* Docet tamen Ill. *Spanhemius*, duos *Julii* Numos cognitos esse, eo vivente signatos (*Goltzius* plures pingit latinos æquè ac græcos) & aliquot demum à morte illius, in quibus legas CAESAR IMPER. numero nullo adjecto: porrò *Occonis*, atque *Biragii* alii Numi eidem *forte minùs accurati* videntur, sic inscripti: IMP. CAESAR. In his porro omnibus vocem *Imperator*, sive *prænominis* locum habeat, sive *cognominis*, supremum semper fastigium innuere contendit: cùm in cæteris numis, antiquo Reipublicæ more, disertè ubique legamus: IMP. III. IV. V. &c. ut bellicum imperium à *Julio* toties gestum, partásque tum repeti-

Tab. I. N. VII.

Spanh. l. c. p. 403.

petitas victorias intelligamus. Idem porrò apparere similiter in numis *Augusti*, *Tiberii*, *Caii*, *Claudii*, *Neronis*, ulteriùs animadvertit, inde duo conficiens 1. Vocem Imperator promiscuè *prænomen*, aut *cognomen* fuisse. 2. Quoties ea sine numero ponitur, summam Imperii, i. e. Augustum, non bellicum imperium denotare. Quod postremum ego sic demum accipio, si mox sub initium *Legendæ* vox eà occurrat, sequente, vel omnino absente *Augusti* elogio, ut: IMP. CAES. VESPAS. AUG. vel: IMP. T.*itus*. CAES. AUG. sive: T.*itus*. CAES. IMP. AUG.*usti*. F.*ilius*. &c. Dum verò vox *Imperator*, etiam numero nullo adjecto, sequitur nomen *Augusti*, primúmque posteriora inter elogia occurrit, ut: TI*berius*. CLAUDIUS CAESAR AUG. P. M. TR. P. IMP. &c. accipi eam non de Augusto, sed de bellico imperio cum victoriæ claritudine gesto omninò videtur. Si námque Victoria altera per IMP. ITER.*um*. tertia per IMP. III. &c. rectè exprimatur, sane victoriam semel tantùm partam, primámque, aut bellum feliciter susceptum, vox nuda IMP. commodùm designabit, cum moris non fuerit, scribere IMP. I.*ùm*. Porrò in tuo præsenti hoc Numo mox ab initio legis vocem IMP. Augusti utique imperii notam, simúlque collige, quo pacto prærogativa soli *Julio* olim concessa, ut *Imperatoris* uteretur *prænomine*, in cæteros fluxerit Imperii Successores.

III. Post nomina deinde SER. SULP. GALBA legis insuper voces CAES. AUG. *Caesaris* nomen esse gentile apud *Galbam* jam desiît, qui neque è gente *Caesarum* ortus est, vel in eandem adoptione transiîsse alicubi legitur; quidquid Cl. *Harduinus* hìc somniet. *Caesares* tamen ipse, ac posteri, appellati sunt, quòd nomen illud maximæ jam esset Authoritatis, ac dignitatis. Idcirco *Appianus* hoc nomen CAESAR vocat *Nomen nunc imperans, imperio in secura sede constituto, ab AUGUSTO relictum.* Luculenta vero est sapientissimi illius Imperatoris *Justiniani* publica confessio: *Qua de causa apud omnes terræ populos nominatissimum CAESARIS nomen est, & nos, præter omnes alias Imperatoriæ Majestatis notas, eo gloriamur.* Sed & de AUGUSTI nomine clarissimè prædicabat *Alexander Severus* Imp. *AUGUSTUS primus est Auctor Imperii, & in EJUS NOMEN omnes, velut quadam adoptione, aut jure hæreditario succedimus.*

Appian. de Bell. Civ. L. IV.

Justinian. Imp. Præfat. Novell. XXX.

Lamprid. in Alex. Sev. c. 10.

IV. Nihil jam in hoc Numo superesse, quod ultra desideres, reor, nisi *Galbæ* historiam. Erat è nobilissima Sulpitiorum familia, natus patre Servio Sulpicio, Imperator contra *Neronem* ab Hispanicis legionibus acclamatus. Annumm ergo 73. agens, Romam venit, brevíque conceptam de se exspectationem fefellit. Prætorianos quippe milites, importuniùs ab eo flagitantes, ut in suo quémque munere confirmaret, atrociùs castigavit, dum Hispanicas in eos legiones immitteret, ut primo im-

petu 7. millia cæderentur, in reliquos decimatio fieret, i. e. decimus quisque occideretur. Cùm deindè Germanis quoque militibus donativa negaret, hi *Vitellium* Imperatorem salutârunt. Cui malo, remedium daturus *Galba*, adoptavit *Luc. Pisonem*: quod maximi beneficii genus *M. Salvius Otho*, qui *Galbæ* partes unice antea sustinens delati eidem imperii quodammodo Author fuit, in se ante omnes quidem conferendum maximè præstolabatur. Neglectum porrò se videns, totus animô aversus est, ádque castræ se conferens, milites, multa pollicitatione inductos, in Urbem direxit, ut *Galbam* ferirent: quibus ille cervicem satis intrepidè præbuit, mense imperii 7. Numi ejus in argento & ære vulgares, rariores in auro, græci rarissim.

V. Tab. I. Num VIII PUB. Sanguine ergò ad solium grassatus est, *Otho*, cujus venustissimum ego hìc Numum æreum magnum intueor, sanè autem Paduanæ fabricæ certissimum specimen. TULL. Quanti putas hunc æneum tuum primæ magnitudinis *Othonem*, genuinus si foret, Eruditi æstimarent? Doctiss. *Joberti* sententiâ *inæstimabilis* foret: qui & alibi ait, creditum olim esse, nullos demum *Othonis* numos æreos, qui genuini sint, existere, sed eorum nunc plures haberi, mediæ tamen omnes magnitudinis, è Græcia allatos. Aureis & argenteis, quamvis æquè rari non sint, minùs tamen etiam frequentes, par pretium minimè statui. *Otho* porro, cui præterea *M. Salvii* nomina, è nobili Hetruriæ familia, *Neronis* quondam in schola impudenti gratissimus contubernalis, lethale in eundem odium concepit, rapta sibi conjuge Poppea. Suprà porrò narravi, *Galbam* ab eo in mortem impulsum, cùm spe adoptionis excidisset; exinde verò imperium militum favore arripuit. Verumtamen altera die nuncium accipiens de *Vitellii* adventu, subitò quidem exercitum ei obviam misit, 40. tamen millium stragem perpessum. Quare *Otho* impendentia sibi mala pugione in se ipso prævenit, die imperii 95. simúlque hoc pacto cives reliquos servavit: quorum equidem sanguine imperium deinceps mercari se nolle, cum laude professus est. Legenda Numi cum brevis tum clara: IMP. OTHO CAESAR AUGUST. TR.*ib.* POT.*estate*.

Jobert. Instr. II. p.m. 23.
Idem Instr. XI. p. 335.

VI. Tab. I. Num. IX. Qui in ordine sequitur, *Vitellius* quanta pinguedine est, vel solo hoc charactere præ omnibus spectabilis? TULL. sed & detestabilis pariter. *Aulus* ei prænomen, quem *Nero* Germaniæ exercitibus, contemtûs magis, quàm meriti causa præposuit. Enormis erat proceritatis, atque ingluvie maxima: crudelitatis specimina vel in via jam præbuit, qua Urbem, more triumphantis, ob cæsum per suos *Othonis* exercitum, petebat. Cædibus innumeris sæviit, nemini exorabilis; aliàs verò incredibili profusione epulas instruxit, sibique ab aliis instrui voluit, eduliis è

remo-

remotissimis provinciis advectis, Moesiæ verò atque Pannoniæ, Judeæ item ac Syriæ legionibus ad Vespasianum deficientibus desertus ac trepidans, revinctis post terga manibus, & laqueo in collum injecto, in forum attractus, minutissimis ferri ictibus, porci saginati speciem referens, conscius, indéque unco raptatus, ac Tiberi immersus est, imperii mense circiter 10. ætat. a. 57. Chr. 69. Id sanè dolendum, turpissimi hujus helluonis causâ 50. fere millia ante trucidata fuisse, cùm sui ad Cremonam cum adventante *Vespasiano*, pugnâ supra hominum fidem accerrimâ, conflixissent.

PUB. Numuli mei argentei *Legenda* sic habet: A.*ulus*. VITELLUS GERM.*anicus* IMP*erator*. AUG.*ustus*. P.*ont*. M.*ax*. TR *ibun*. P.*otest*. Ubi *Caesaris* nomen? TULL. Rectè sciscitaris: qua námque arrogantia *Galba* & *Otho* hoc nomen susceperunt, eadem, aut fortè majòri, *Vitellius* illud contempsit, ratus, aliena se gloria indigere. Ferunt tamen, rebus jam desperatis, à splendido hoc nomine præsidium, sed serò nimis ac frustra quæsiisse. *Germanici* cognomen, quamvis non mereretur, accepit tamen, quia Germaniæ exercitibus præfuit: quorum etiam suffragio imperavit. Ejus numi argentei frequentes, aurei, sicut & ærei rari, græci rarissimi. VII.

PVB. Ex aliquot Vespasiani numis, quos sive argenteos, sive æreos teneo, is, quem tibi pingere libuit, Æs magnum est, capútque senile, laureâ decorum ostendit. TVLL. Nimirum in tanta numorum copia, qui Vespasianum omni in metallo modulóque præ se ferunt, hic rarior est, & instituto præsenti, ubi Titulos vestigamus, utráque sui facie, idcirco à me picta, percommodus. *Adversa* quippe Patrem, *Aversa* ambos ejusdem filios *Titum* ac *Domitianum* oculis tuis obiicit. Causam ejus præmissa historiâ dicam. Vaga aliquot mensibus in *Galba*, *Othone*, atque *Vitellio* Romana majestas, tandem in *Flavia* Gente consedit, & aliquantum quiescere voluit. Fuit illa aliàs obscura omnémque fere claritudinem suam debet *Flav. Vespasiano* ex, oppido Reate, Titi Flavii Sabini, & Vespasiæ Polæ filio, quem Nero Syriæ exercitibus ducem præposuit. Hoc in munere, quod strenuissimè gessit, omnem Judeam, Hierosolymâ tamen demta, & perpauculis Urbibus, subegit: inde promeritus, ut flagrante *Othonem* inter atque *Vitellium* de imperio contentione, ipse à militibus suis Imperator acclamaretur & Augustus: quorum deinde virtute contra *Vitellium* etiam obtinuit. Imperium optimè administravit, sobrius, urbanus, moderatus, & effusi in bonas literas studii: sola avaritiæ labe notatur, ob tributa in res propè omnes imposita: quod equidem ille summa ærarii inopiâ excusabat. Ventris profluvio ad extrema deductus, nihil dedit amicis monentibus, ut lecto decumbere vellet, sed reposuit: *Imperatorem stantem mori*

VIII. Tab. I. Num. X.

mori oportere. Stetit proinde & animam egit An. æt. 69. imper. 10. Chr. 79. Jam *Adversæ* elogia recita.

IX. PVB. Sic lego: IMP. *erator.* CÆS. *ar* VESPAS. *ianus.* AUG. *ustus.* P. *ontif.* M. *axim.* TR. *ib.* P. *otest.* P. *at.* P. *atr.* COS. *ul.* III. *tium.* CENSOR. Prolixa hæc ſanè encomia: in quorum tamen ultimo penitus nihil ſum. TVLL. *Cenſoriam* verò Poteſtatem, profectò amplam ac gravem, ignorare non debes. Originem ei dedit Servius Tullus, Romæ Rex ordine ſextus, cives omnes compellens, ut jurejurando rem ſuam domeſticam omnem demum faterentur: quo comperto populum in claſſes aliquot multáſque centurias tribuit, quarum primam ditiſſimi omnium, poſtremam maximè inopes, cæteras reliqui, prout major apud eosdem aut minor foret peculii, ſervorum, jumentorum, agrorum &c. poſſeſſio, conſtituêre. Ejusmodi cenſus, quoniam is reipublicæ admodùm ſanè intererat, à Regibus primùm, deinde à Conſulibus, ſive Dictatoribus, diligenter eſt actus: donec A. U. C. 310. gemini *Cenſores* è Patriciis legerentur in quinquennium. Siquidem verò magiſtratus iſte ardui erat immenſique laboris, annuus poſtea factus eſt. Audi ex *Cicerone* ampliſſimum Cenſorum munus. *CENSORES* (inquit) *populi ævitates* (i. e. Ætates varias) *ſoboles, familias, pecuniasque cenſento. Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor: populique partes in Tribus diſtribuunto. & in ævitates, pecunias, ordines partiuntor. Equitum, peditum prolem deſcribunto. Cælibes eſſe prohibento:* (i. e. adultos omnes ad nuptias augendi populi Romani causâ compellant) *mores populi regunto. bini ſunto.*

Cicer. L. III Legg. c. 3.

X. Præcipuum itaque *Cenſorum* munus erat, in mores omnium intendere, poteràntque ii Senatores etiam, niſi ſuam dignitatem moribûs bonîs tuerentur, ordine movere, Equeſtris Ordinis hominibus malè meritis equos adimere annulosque, conſueta inter Quirites nobilium inſignia, civium incivilium nominibus notas adjicere, & niſi emendarentur, jus etiam civium auferre. Inde eſt quòd *Plutarchus* Cenſoriam poteſtatem *faſtigium quoddam omnium honorum* dicerent, & *Feſtus* de ea ſcribens, ajebat: *Cenſoria Majeſtas.* Cùm porro olim Senatus *Jul. Cæſari* inter maximum illum honorum omnium cumulum *Cenſoris* etiam munus perpetuum offerret, is tamen, infra ſuam hoc nomen dignitatem fore exiſtimans, Cenſoriam equidem poteſtatem, ſed non niſi ſub *Præfecti moribus* nomine, accepit. *Auguſtus* patrem imitatus, pariter ad ſe delatam Cenſoriam eàmque perpetuam poteſtatem, ut callidus erat, nomen quod attinet, repudiavit, *Cenſoribus* aliis è veteri more creatis, qui nomen *Cenſorum* gererent, ipſo interim eorum munera uſurpante:

Plutarch. in Cat. Mai. Feſtus voce religio.

donec

donec serius tandem Censoriam potestatem, sed sub nomine *Magistri morum*, & in quinquennium duntaxat susciperet. Abinde hæc potestas apud Impp. perseveravit, ita tamen, ut *Censoris* nomine ferè abstinerent, præter *Claudium* & Flavios, *Vespasianum* nimirum, ac filios ejus: post quos in numis haud ampliús legitur.

PVB. Placent hæc de Censoribus, ac Censu dicta, maximè, cúm Verbum ipsum incarnatum, atque Altissimus DEI Filius, in illa orbis universi descriptione sub Augusto facta, in Bethleem censeri voluerit, ut ibi nasceretur. At vero præsentem hunc numum dum verto, Cymmeriis in tenebris versor. TVLL. Hic quoque lumen tibi accendam. Duos hic juvenes vides, stantes utrosque, nudis capitibûs: uterque hastam gerit dextra, potestatis insigne, & qui à dextris est, lævâ parazonium seu breven pugionem, nobilium notam, tenet, nisi magis bacile sit, seu breve quodammodo sceptrum, quo duces militibus imperantes utuntur: ad lævam adstans Cornucopiæ defert, felicitatis innuendæ causâ. Ambo sunt filii *Vespasiani* Augusti, ab eo mox Cæsares dicti, i. e. in imperii successionem adlecti: de quo quidem infra pluribus disseram *Dial. VI.* Eorum & tituli circumstant, quos malè omnino deformavit Sculptor imaginum in Comitis *Zantani* numis XII. primorum Cæsarum apud *Æneam Vicum* excusorum *in Vespas. ære 5.* Sic enim habent apud te, atque in *Catal. Numor. Gothæ venal. p. 106.* licèt ibidem in Legenda *Adversæ* nomen *Censor*, fortè obtritum, desideretur. IMP.*erator.* AUG.*usti.* F.*ilius.* (i. e. Vespasiani) COS. *ul.* DES.*ignatus.* IT.*erum.* Hæc *Titum* spectant: sequentia porrò *Domitianum* notant. CÆS *ar.* AUG. *usti.* F.*ilius* COS.*ul.* DES.*ignatus.* XI.

Perspicuè hic Numus tuus, quem meritò ames, Ill. *Spanhemii* sententiam confirmat, qua equidem contendit, nomen *Imperatoris* subinde *Cæsaribus* etiam, qui nondum soli, sed cum patribus ad clavum sederunt, tamen tributum esse: & quidem non, ut eos bellicum gessisse imperium, atque victoria quapiam inclaruisse, sed summi fastigii participes factos testaretur. Id veró planè ad sensum *Plinii*, qui de *Trajano*, quem *Nerva* adoptavit, ita prædicabat: *Simul Filius, simul Cæsar, mox IMPERATOR, & Censor, Tribunitiæ Potestatis, & omnia pariter, & statim es factus: quæ proximè* (i. e. paulò ante) *Parens verus in alterum filium contulit,* VESPASIANUS nimirum in TITUM. Certè in hoc numo tuo, cujus quidem *Spanhemius* haud meminit, utroque nomine *Titi* ac *Domitiani* prætermisso, prior ac senior *Vespasiani* filius solo IMPERATORIS, posterior ac junior solo CÆSARIS nomine exprimitur, atque discernitur. Cusus est hic numus an. Chr. 71. quo *Vespasianus* tertium gessit XII.

Spanh. T. II. p. 401.

Plin. in Pan. c. 147.

Consulatum cum M. Cocceio Nerva, & *Titus*, qui primum jam gesserat anno priori cum patre, in sequentem Consulatum iterum cum eodem patre gerendum, *Domitianus* verò pariter in secundum erat designatus, quem tertio postmodum anno cum M. Vale. Messalla inivit.

XIII. PVB. Utilissimo hoc monito ad sequentem insuper *Titi* numum facem mihi prætulisti, apud me æreum medium, ejusque capite laureato venustum, hac cum epigraphe: T. *itus.* CÆS. *ar.* IMP. *erator.* AUG. *usti.* F *ilius.* TR. *ibun.* P. *otest.* COS. *ul.* VI. *tùm.* CENSOR. Arbitror enim, & hunc pariter Numum non esse *Titi* jam solúm imperantis, sed adhuc Cæsaris, Patriæ potestatis participio fruentis. TVLL. Scitè hariolaris: alii quippe illius numi, qui etiam apud te sunt, pro T. CÆS. IMP. AUG. F. habent IMP. T. CÆS. VESPAS. *ianus.* AUG. *ustus. &c.* & hi demum eo solo imperante sunt cusi. Pronum est porrò iis, qui literam T. quæ *Titi* prænomen indicat, non satis attendunt, à vero omnino aberrare, hujusque numos *Vespasiano* patri, sive vicissim tribuere: quos sæpe, nisi per T. literam, discernere nequeas, cùm in utrisque VESPASIAN. *us* legatur. Successerat autem *Titus* patri, summis honoribus jam antea perfunctus, isque fuit, cui, nutu Divino, pater jam imperans eam provinciam decrevit, ut Jerosolimam caperet: quo pacto, ipse quidem mysteriorum non conscius, pœnas passi in ea Salvatoris summa acerbitate reposcebat. Triumphum postea agens, oblatam sibi eapropter ab Ægyptiis coronam auream respuit, ajens: *non se, sed magnum illum DEVM coronandum esse, qui Judeis iratus erat, & cui ipse manum duntaxat suam commodârit.* Infinitis ergò meritis fuit: nihilosecius tamen scripsit *Suetonius*, quod profectò plurimum mirere: *Non temerè existimari, vix quemquam tam adverso rumore, magisque invitis omnibus, ad Principatum transiisse: propalam alium Neronem opinabantur, & prædicabant.* Graviter namque ad leges Justitiæ in reos animadvertebat, legum, suique quamplurimam omnibus formidinem incutiens. Imperans verò deinde, quidquid vitio sibi antea dabatur, aut sustulit omnino, aut recta à se gestum ratione liquidò patefecit. Quo factum, *Suetonio* rursum perhibente, *tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunæ superfuisse, ut Amor & deliciæ generis humani audiret.* Fratris verò sui *Domitiani* invidiam, jugesque insidias pacatissimè perferens, venenum tandem ejus dolô hausit, omnibus Ordinibus tam indignam ejus mortem ægerrimè ferentibus, An. ætat. 41. imper. 3. inchoato Chr. 81. Ejusdem numi undique prostant.

Tab. I. Num. XI.

Sueton. in Tito. c. 6.

PVB.

PUB. Fratris ergò sanguine Augusto suam sibi purpuram, ut audio, tinxerat *Domitianus*. TULL. Omnino: ut *Nero* gentem Cæsarum, sic Flaviam pariter *Domitianus* crudelitate, aliisque vitiis suis benè multis, fœdum in modum temeravit. Tiberii propè more vulpem ove contexit: cupidus victoriarum, cum victo similior rediret, aut pacem emisset, attamen triumphavit, *Germanici* atque *Dacici* cognomina jactans. Christianos crudeliter persecutus, infandâ blasphemiâ dici voluit *Dominus Deus*. Finem tyranno sicarii multis vulneribus dederunt, Senatu propterea ovante, An. tyrannid. 15. æt. 45. Chr. 96. PUB. Ejus in numo æreo medio ænigmatis locò tria P. P. P. esse mihi videntur. TULL. Facilè illud evolves, si primum eorum P.*erpetuus* legeris: quod aliàs etiam PP. duplici, sed apud Orientis primùm Impp. clariùs porro in aliis *Domitiani* numis syllaba PER. exprimi consuevit. PUB. Oedipus jam sum: hæc ergo elogia caput ejus laureatum circumstant. IMP.*erator*. CAES.*ar*. DOMIT.*ianus*. AUG.*ustus*. GERM.*anicus*. COS.*ul*. XIIII.*tum*. CEN.*sor*. P.*erpetuus*. P.*ater*. P.*atriæ*. TULL. Nimirum, quod nolebat prudens *Augustus*, videlicet Censuram perpetuam, fastu appetiit, metu extorsit arrogans per omnia *Domitianus*. Numi ejus nullo metallo vel modulo rari sunt. Atque hic finem XII. primis Cæsaribus, omnium notissimis, facimus, quorum & numi in cæteris prope omnibus elegantissimi sunt: vitas eorum Suetonio maximè debemus. PUB. Placuit sanè, quod nuper admodùm hoc de celebri Scriptore festivè satis à quopiam dictum offendi: *tanta* videlicet *cum libertate de Cæsaribus scripsisse, quanta illi libertate vixerunt.*

XIV.

Tab. I. Num. XII

DIALO-

DIALOGUS VI.

De Numis NERVAE, & Successorum ejus usque ad COMMODUM.

TULLIUS.

I. DOmitiani crudelitate quamplurimi in exilium acti sunt, quos inter & fuerat *Nerva Cocceius*, vir admodùm probus & nobilis, Narniâ oriundus: ad quem, tyranno illo sublato, imperium delatum. Egit principem bonum atque pacatum, qui mox initio dira Antecessoris edicta rescindens, vetansque, ne religionis causâ atque deorum quisquam criminis, sive capitis postularetur, pacem Christianis composuit. Servorum verò ac libertorum in dominos licentiam severè admodùm cöercens, ut propè nimius foret, eorum in se odia concitavit, insidias passus lethales, quas, illo facilè condonante, alii vindicârunt. Quoniam verò senio laborans despicabilem se fieri animadvertit, cognatos quidem negligens, ut Reipublicæ potiùs

Tab. I. Num. XIII. consuleret, *Trajanum*, hominem alienigenam, sed Ducem strenuissimum, per quem in Pannoniis vicerat, adoptavit: paulò pòst morbo confectus Anno imper. altero, ætat. fortè 65. Chr. 98. Numi ejus argentei, atque æerei non infrequentes, si Græcos demas, & in coloniis cusos, aurei rari. Tu argenteum possides, circûm caput senile laureatum his titulis insignem: IMP. *erator.* NERVA CAES. *ar.* AUG. *ustus.* P. *ontif.* M. *axim.* TR. *ibun.* P. *otest.* COS. *ul.* III. *tiùm.* P. *at.* P. *atriæ.* Consulatus III. hunc numum cusum arguit Anno imperii sui primo: etenim duos Consulatus *Nervam* jam adhuc privatum gessisse cum Vespas. & Domit. Augg. An. 71. & 90. Fasti Consulares commonstr. nt.

PUB. Sequens *Trajani* numus apud me Æreus magnus novum ali-

II. Tab. I. Num. XIV. quid atque insolitum habet. Præterquam enim, quod in capite radiis fulget corona, & *Optimi* elogium adsit, dativo insuper casu nomina singula efferuntur hoc modo: IMP. *eratori.* CAES. *ari.* NER. *væ.* TRAJANO OPTIMO AUG. *usto.* GER *manico.* DAC. *ico.* PART. *hico.* P. *ontifici.* M. *aximo.* Rectene legi, an ferulam mereor? TULL. Rectè omninò: velim tamen, alium è residuis tuis *Trajani* numis arripias. Hic quomodo legis? PUB. Ferè ut ante, nisi quòd *Optimo* desit. TULL. Aversam itaque inspice: quid ibi est nominum? PUB. Lego: S. P. Q. R. legi debere S. *enatus*, P. *opulus*, Q. *ue*. R. *omanus*, PUB. Satis id putet, vel lixis & rabu-

rabulis notum. TULL. Memoriæ lapsus est, facilis veniæ. Animadverte porrò priori in Numo subaudiendum, quod posterior disertè equidem addit, sed in *Aversam* distulerat. Votivi ergò sunt veluti numi isti, & eximii cujusdam affectus in Optimum Principem testes.

PUB. Ingentibus præconiis passim *Trajanum* efferri sæpenumero audii: ejus itaque historiam unicè aveo. TULL. Ego verò ad facundissimi illius Oratoris, *Plinii* inquam, prolixum atque elegantissimum Panegyricum, huic Principi dictum, remitto. Cavesis autem, ne tanta te superstitio incessat, quantam Divo Magnòque Gregorio fabula affinxit, ita videlicet eum *Trajani* virtutibus affectum fuisse, ut tamdiu apud Deum precibûs institerit, donec animam illius inferni suppliciis eximeret. PUB. Cum fide hoc pugnat: nos illud mittamus. Ego tamen minimè te dimittam, nisi aliquibus saltem *Trajanum* mihi commendes. TULL. *Ulpius* alias ei cognomen, sive prænomen fuit, Italicâ, Hispaniæ urbe, oriundo: militibus Germaniæ præpositus, & in castris prope Coloniam moratus, inopinatò nuncium accepit, se *Nervæ* adoptione filium ac Cæsarem dictum. Imperium tanta virtutum omnium professione, è sensu quidem Quiritum, administravit, ut optimi cognomen tulerit, ac longo post illum tempore Imperatoribus suis Romani acclamarent: Felicior sis AUGUSTO, melior TRAJANO. Alius porro de eo Christianis est sensus, quibus iniquissimus fuit, de rei hujus impietate vel a *Plinio* suo commonitus. Victoriis perpetuis claruit, ac populos infinitos subegit, M. illius Alexandri Macedonis claritudinem æterno quidem ambitu æmulatus: verumtamen victis contra victorem undique iterum insurgentibus, damna ferè majora quàm lucra fecisse repertus est. S. Ignatio, Episcopo Antiocheno, illius jussu Romæ leonibus objecto, ipse Antiochiæ terribili terræ motu ferè sepultus est: triumphi saltem gloriam, quam omnium splendidissimam Romæ voluit adipisci, DEO sanguinem innocuum ulciscente, frustra apparavit, veneno sibi in itinere præbito enectus, An. imper. 20. Æt. 64. Chr. 118. Vanus ergo fuit, qui de eo jactavit: *Nemini eum timori, neminem odio fuisse.* III.

PUB. Quæso te, hic demum ille *Optimus Princeps*! Non igitur laudari est aliquid, sed a bonis laudari. *Hadrianum* contueamur, qui primus barbam in solium Augustum invexisse videtur. Sed quàm modico ille contentus? nihil certè lego circa caput ejus laureatum, præter: HADRIANUS AUGUSTUS. Si verò deinde verterò numum, nihil ultra sequitur, quàm COS. *ul.* III. *tium.* TULL. Hic a me pluribus commonendus es. Primùm quidem cùm dixeris, *Hadrianum* modico IV. Tab. I. N. XV.

con

contentum, reflectere debes ad ſuperior. *Dial. III. n. 6.* ubi dixeram, elogium *Auguſti* tanti ponderis fuiſſe, ut, quidquid ad Imperatoriam pertinuit majeſtatem, complecti videretur. Aliàs verò noſſe te etiam juvat, hunc principem non exiguum jactantiæ odium præ ſe tuliſſe: quare & *Trajanum* Anteceſſorem, immò adoptione patrem ſuum, per jocum *herbam parietinam* ajebat, quòd inani oſtentatione nomen ſuum omnibus parietibus a ſe erectis affixerit. Dictus eſt olim *Titus Aelius Hadrianus* & *Trajani* Conſobrinus, ſplendidis muneribus in caſtris ſub eo functus, atque in tot victoriis ſtrenùe agens, à morte ejus codicillum protulit, quo adoptionem ſuam probavit: quamquam is non á *Trajano*, ſed Plotina Uxore ſignatus videbatur. Invitatus, ut Romæ Patris jam defuncti locò ille triumpharet, callidus invidiam declinabat, & gloria ſimul potitus eſt: Urnam enim, *Trajani* cineres condentem, ejusque effigiem quadrigis triumphalibus impoſuit, quarum ipſe auriga erat. Viros plures clariſſimos occidit, aliàs moderatus pacatùsque, in ſolos Judeos per duces feliciter pugnans. Laborum verò patientiſſimus, omnes propè imperii provincias ſpe pedes luſtravit, beneficus in omnes. Ferunt, eum Chriſtianis quoque ſacra ſua indulgere voluiſſe, & plura erexiſſe templa ſine idolo, ubi Chriſtus poneretur. Dictum tamen à pontificibus, hoc pacto ad unum omnes Chriſtianos futuros: abinde fidelibus, dirus erat. Cum morbo diutino conflictatus, & impatientiâ victus doluit tandem, Imperator cùm foret, neminem eſſe, qui ſibi obtemperaret, & mortem inferret: unde inediâ ſe ipſum confecit A. imp. 21. æt. 62. Chr. 138.

V. Iam numum quod attinet, alios habes *Hadriani* numos, ubi plura legas, nimirum: IMP. CAES. TRAJAN. HADRIANUS AUG. Et in *Averſa*: PONT. MAX. TR. POT. COS. III. P. P. Nota verò Exim. *Joberti* monitum, Teſtibus numis patere, quàm brevi Succeſſores Auguſti, priorum adoptione filii, tanti beneficii immemores exſtiterint, Patrum nomina, quæ primò ſuſcepêre, paulò pòſt omittentes. Sic *Trajani* priores numi habent prænomen *Nervæ*, poſteriores non item: *Hadrianus* prænomen *Trajani*, immo & *Antoninus Pius* Prænomen *Hadriani*, quod primùm geſſerant, reliquêre. Alia porrò nomina, ut Imperatoris, Cæſaris, Auguſti, quæ ad ipſos minimè attinuerunt, diligenter tamen ſervabant, tam arrogantes ex una, quam altera ex parte ingrati. Quòd præterea tui in numi *Averſa* legas COS. ul. III. eodem *Joberto* animadvertente, liquido eſt documento, actum agi, ſi ex Conſulatuum numero, in numis deſcripto, Imperatorum Chronologiam tutò quis eruere vellet. Quia namque Conſulatum Auguſti non in annos ſingulos geſſère, ſed pro-

Job. Inſtr. VI. p. m. 199

Idem Inſtr. V. p. 114.

pro libitu jam assumebant, jam aliis dimisêre, factum, ut is Consulis elogio numerus tamdiu adderetur, qui ultimus fuerat, donec post plurium annorum intercapedinem vel idem Augustus hoc munus susciperet iterum, vel novus Imperator Consulatum iniret. Sic in nullo *Hadriani* numo, præter Consulatum I. II. aut III. ulteriorem aliquem reperies, etsi ille annos ultra 20. imperavit. Idem verò vitium Tribunitiæ pariter Potestatis numeros subire, monui Dial. IV. *Hadriani* porro numis in quovis metallo ac modulo nihil frequentius.

PUB. Haud secùs *Antonini* quoque *Pii* numos æqùe obvios reor, quorum ego cùm argenteos tum æreos variæ formæ habeo complures. Quem unum ex omnibus pinxeras, æreus magnus est, in *Adversa* Caput *Antonini* laureatum ostendens cum Legenda: IMP.*erator*. CAES.*ar*. T.*itus*. AEL.*ius*. HADR.*ianus*. ANTONINUS AUG.*ustus*. PIUS P.*at*. P.*atriæ*. Aversam Caput ornat juvene ac nudum, circùmque illud scribitur: AURELIUS CAESAR AUG.*usti*. PII F.*ilius*. COS.*ul*. DES.*ignatus*. TULL. Præclarè singula: hunc porrò præceteris numum delegi, quoniam minùs obvius est, & copiam mihi præbet, de nomine Cæsaris amplius aliquid tecum disserendi, qui vel futuri erant Augusti fastigii, vel jam facti participes. *Antonini* tamen priùs historiam audias. Obtigit *Tito Aurelio Fulvio Bojonio*, quæ omnia *Antonino* simul nomina priùs fuêre, hæc summa fortuna, ut *Hadrianus* Augustus filium sibi eundem adoptaret, secundo quidem loco. Ante nàmque id beneficii contulerat *Cejonio Commodo Vero*, qui postea ab *Hadriano* prænomen Ælii accipiens, *Ælius Verus* est dictus, mox tamen vitâ decessit: ut adeò de imperio, cui designatus erat, nil præter Cæsaris nomen, ac Regium funus referret, dicerètque *Hadrianus* festivè: *Ego mihi Divum, non filium adoptavi*. Diu abinde cunctatus Imperator, tandem *Antonino* patrem se fecit, renitentibûs quidem plurimis, quibus non filius, sed pater displicuit sævitiæ causâ

VI. Tab. I. Nu. XVI.

VII. *Jul. Capit. in Anton. Pio.*

Antoninus porrò, parentes si spectes, Galliâ oriundus, natus tamen in Italia fuit, eique *Julius Capitolinus* amplissimum hoc testimonium perhibet. *Qui cùm omnes suos religiosissimè coleret, & consobrinorum, & vitrici, & multorum affinium hæreditate ditatus est. Fuit vir formâ conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, & placidus animo, singularis eloquentiæ, nitidæ litteraturæ, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abstinens, & omnia hæc cum mensura, atque sine iactantia. In cunctis laudabilis, & qui meritò Numæ Pompilio ex bonorum sententia est comparatus.* In imperio dissimilis sibi non fuit, tantisque & dotibus & virtutibus fulsit, quantas homini vera fide destituto contingere posse credibile est. Cur

Pii cognomen ei tributum, varii variè ſenſerunt. Nonnulli factum exiſtimant, quòd privatus adhuc ſocerum ſuum decrepitum ſua manu publica in platea fulciret: quòd *Hadriano* Patri exquiſitiſſimis pharmacis vitam diu ſuſtentaret, eúmque, ne ipſe in ſe violentus eſſet, ſæpenumerò deprecaretur: quòd plurimos, qui adoptioni ſuæ conſentire nollent, ab *Hadriano* propterea carceribus addictos, mortique deſtinatos, clam ſervâſſet, & imperio deinde admotos, cùm mortui jam deflerentur, incolumes ac liberos ſuis reſtitueret: quòd imperare inſuper nollet, niſi Senatus Patris conſecrationem, quam vehementer abnuebat, permitteret. *Pauſanias* cauſam reddit, quòd ſumma in deos religione foret, immò *unus omnium Religionum ſtudioſiſſimus,* Cl. *Harduinus,* hìc iterum ſingularis, *Pii* cognomen in *Antonino* nec honoris titulum, ſive virtutis aut laudis, ſed gentile fuiſſe ait: eò, quòd à progenie *Cnei Pompeii* Magni, quem ab uxore *Cornelia Metella Pia* cognomen *Pii* aſſumſiſſe, inque poſteros ſuos propagâſſe finxit, *Antoninus* ei deſcendiſſe crederetur. Sed hac noviſſima, inque ſolo tanti Viri ingenio nata opinione, omninò rejecta, Ill. *Spanhemius* libentiùs amplectitur, *Pii* cognomen *Antonino* à clementia adhæſiſſe. Populo nempe pater erat, manúſque à ſanguine puras continuit, quantùm quidem in ipſo ſtetit. Bella plura per duces feliciter geſſit: quibûs tamen defendit ſolùm, non offendit. Plurima autem exterarum quoque gentium diſſidia ſola ſua auctoritate compoſuit. Porrectâ ipſi per S. Juſtinum Martyrem apologiâ pro Chriſtianis, his quoque benignus erat; immò pœnas in illos ſtatuit, qui fidelibus, quia tales erant, fidei nimirum cauſa modeſtiam criminis inferrent. *Hadriani* mandatum, ut *M. Aurelium* adoptaret, diligenter executus, lenta tandem febri confectus, morte ſuaviſſima obiit, ac velut per ſomnum, An. æt. 72. imper. 23. Chr. 161.

Spanh. T. II. p. 434.

VIII. P. Hìc demum eximiè laudas, gratiſſimum mihi tam boni Principis vultum, in pluribus apud me numis conſpicuum, reddis. TULL. Supereſt jam, ut, qua ratione in *Averſa* nomen *Cæſaris* capiti *M. Aurelii* adjectum ſit, te uberiùs doceam. Memineris verò, quòd aliàs dixi, nomen *Caeſaris*, quod à *Julio* propagatum, ad usque *Neronem* gentile erat, non imperantibus tantùm, ſed & omnibus, quos ſive natura, ſive adoptione filios habuêre primi illi Auguſti, immo & nepotibus eorum tributum, à *Galba* deinde, ac cæteris Auguſtis, ſplendoris cauſa ac dignitatis, retentum. Neque verò ipſi ſolùm hoc nomen retinuêre, ſed & pariter Liberis ſuis, ſive in imperii ſucceſſionem quomodocunque à ſe deſignatis, continuò datum eſt, ut eam, qua ſive revera prognati, ſive in quam adoptione adlecti ſunt, ſtirpem illicò proderent. Sic *Galbam*, cùm nec dum Romam adveniſſet, accepto de cæde *Neronis* nuncio, *ſtatim accepiſ-*

Spanh. T. II. p. 348. &c.

ſe

se CAESARIS appellationem, docet *Suetonius* : quemadmodum de eodem & *Florus* testatur, adoptato à se *Pisoni* statim *Caesaris* nomen impertiisse, *ut ea nominis majestate, quod egerat, luculentiùs testaretur.* *Sueton. In Galba c. 11. Florus Lib. III. c. 4.*

Vitellius quidem, qui ipse *Caesar* dici noluit, etiam in numo, qui ejus Liberos exhibet, hoc nomen non sustinuit, sed scribi jussit: LIBERI IMP.*eratoris.* GERMAN.*ici.* cùm *Augusti*, atque *Tiberii* tempore legatur in numis: C.*ajus*. ETL.*ucius* CAES.*ares.* item *Germanicus Caes. Drusus Caes.* &c. Cæteri porrò Augusti, quibus adhuc privatis filii erant, *Galbam* potiùs imitati, mox, ut ipsi à Senatu, sive militibus Imperatores sunt dicti, statim Liberos suos, quandoque & fratres, *Caesares* dixêre: id quod fiebat, vel deferente quandoque senatu, vel annuente, aliàs verò eodem penitus quoque inconsulto. Sic *Helvius Pertinax* filium *Pertinacem*, sic *Septem. Severus* filios *Caracallam & Getam*, sic Jul. *Maximinus* filium *Maximum &c.* illicò *Caesares* appellârunt. Erat tamen sic tributum *Caesaris* nomen infrà nomen *Augusti*: immo de Domo posteriorum Augustorum natos, vel adoptione in eam adsertos, ab imperantibus eorum Patribus, qui soli Augusti dicebantur, discrevit. Unde, licèt nomen quoque *Imperatoris*, ut suprà in numo *Vespasiani* videras, *Tito* Caesari filio natu majori sit datum, ac, *Plinii* testimonio, aliàs quoque adducto, tibi constet, *Trajanum* à *Nerva* adoptatum, *mox Caesarem, mox Imperatorem* &c. *omnia pariter* vivente *Nerva* fuisse, quoniam nimirum ambo non in imperium solùm designati, sed ejus actu participes sociique adlecti sunt : neuter tamen eorum *Augustus* Patribus viventibus scribitur à quopiam, vel in numo laudatur. CAESARIS verò nomen in Patribus imperantibus præire solet, & sequi nomen *Augusti*, ut: CAES. vel IMP. CAES. TRAJANUS AUG. in iis vero, qui imperio destinati solùm erant, ultimo loco est, ut in tuo v. g. numo : AURELIUS CAES. Labente imperio addebatur: N. aut NOB.*ilissimus.* CAESAR. Hæc denuò Ill. *Spanhemii* infinitis testimoniis roborata doctrina est, brevissimè à me contracta, ne putes, perinde olim nomina *Augusti Imperatoris*, ac *Caesaris* promiscuè usurpata fuisse, ut nostris hodie Monarchis jam unum, jam alterum pro libitu tribuimus: sed, ut *Caesarem* imperantem, *Caesarem* imperio designatum, & *Caesarem* è Domo Augusta progenitum discernere noveris. IX.

PUB. Quæ gnaviter monuisti, sanè in numis atque historia Quiritum probè attendenda, nulla mihi oblivio auferet. Verumtamen cùm *M. Aurelium* juvenem ac Caesarem jam viderim, cur eum, quamvis à te Augustum iterum pictum, in Tabulam alteram differs, hanc verò primam cum Numo *L. Veri* concludis? TULL. Quia videlicet *M. Aurelius* imperium suum longè ultra *Verum* produxit. PUB. Nodum implicas: quem X.

quem ut explices iterum, oro. An *M. Aurelium*, ab *Antonino* jam Caesarem dictum & imperio designatum, nihilominus *Verus*, & si sic quidem, quam ob causam prævenit? TULL. Minimè quidem: ambo simul imperavêre, & quia summa insuper concordiâ, Romanis cæterisque omnibus tam novum pariter tamque jucundum id erat spectaculum, ut multi Scriptorum, ab hac Augusta Concordia Epocham novam ærámque ordirentur, i. e. annos, Fastosque ab ea numerare occiperent.

XI. *Hadrianus* Imp. quod suprà audisti, ipse ex Ælia gente, priùs adoptaverat *L. Verum*, dictum abinde Ælium Caesarem, hocque statim defuncto, *Antoninum Pium*, eo tamen pacto ut hìc rursum *M. Aurelium*, filium *Antonii Veri*, adoptaret. Obtemperavit *Antoninus*, denuò autem *Aurelio* mandans, novam *L. Veri*, qui filius erat *Ælii Caesaris* ab *Hadriano* primùm adoptati, in filium assumtionem. Parentis porrò voluntati in tantum obsecutus est M. *Aurelius*, ut *L. Verum* non modò Caesarem diceret, sive, quod idem erat, imperio post se designaret, sed statim secum Imperatorem, secum Augustum crearet: quare ambo, nulla inter se provinciarum facta divisione, uno sedentes in solio, unum imperium, uniformi quadam majestatis potestatisque communione, gubernabant. Utérque Philosophus fuit: *M. Aurelius* Stoicæ sectæ, adeoque moribus castigâtissimis, contrà verò *L. Verus* Epicureæ, voluptatibus unicè deditus. Unde hic totidem vitiis imperium foedavit, quot *M. Aurelius* virtutibus illud ornavit. Sed M. non destitit, fœda fratris, immò filii sui perpetuò summa vitæ honestate obtegere: *Verus* id omnium laudabilissimè præstitit, quòd nihil saltem eorum, quæ imperii fuerant, præter *Marci* consilia susciperet, sive ediceret. Parthis insurgentibus, atque Armeniam Rege ejecto occupantibûs, *Verus* cum exercitu à *Marco* eis obviam missus est: hæsit verò in Syria genio indulgens, ac ducibus bellum commisit, ita prosperè atque ex animi sententia ab iis confectum, ut Parthi succumberent, Armenia Regem suum ejectum denuò acciperet. Quare *Verus* triumphum agens, cognomina *Armeniaci, Parthici, Maximi* tulit: in quorum communionem etiam *Marcum* libenter admisit. Deinde bello Marcomannico, ac peste insuper truculenta Romanos urgente, ambo Impp. simul in hostem movebant: *Verus* tamen eo in itinere vel lue, vel apoplexia, subitò interiit, A. æt. 42. Imper. 11. Numi ejus ferè obvii.

XII. Tab. I. N. XVII. Tab. II. Num. I. PUB. Capio jam numi mei ærei magni Legendam, quæ caput Veri laureatum ita circumstat: L.*ucius*. VERUS AUG.*ustus*. ARMEN.*iacus* PARTH.*icus*. MAX.*imus*. TR.*ibun*. P.*otest*. VI.*tùm*. IMP.*erator*. IIII.tùm. Neque differunt Numi alterius, qui est primus Tab. tuæ II.dæ, elogia, præterquam, quòd Trib. Pot. XXI. notetur, Capite interim *M. Aure-*

Aurelii itidem laureato ibi comparente. TULL. Nimirum *Marcus*, defuncto *Vero*, pluribus adhuc annis supervixit, eodem, quo cœpit, laudabili semper vitæ tenore, summâque in Rempublicam æquitate, atque clementia: quibus nec crebræ atque insignes victoriæ defuêre. Harum princeps fuit de Marcomannis, ubi rebus angustissimis Legionis cujusdam Christianæ preces in barbaros luculenta fulmina promeruerunt Unde *Marcus*, patris sui *Antonini* imitatione, in eos, qui fideles fidei causâ accusarent, ignis pœnam decrevit. Æmulum passus est Avidium Cassium, Syriæ Præfectum: quem tamen sui è medio sustulêre. Gravi autem cum morbo conflictatum *Marcum* degeneres *Commodi* filii sui mores acerbiùs multò pupugerunt: quibus immortuus apud Vindobonam, quæ modò Vienna Austriæ dicitur, An. æt. 59. imper. 19. Chr. 180. præclaram post se Ethicam, quam adhuc utiliter legimus, reliquit.

PUB. Novum, ut video, Alexandrum Roma parturiit in *Commodo*: ejus siquidem numus æreus medius in *Adversa* quidem Caput illius pelle tectum leonina præsefert, additis elogiis: L.*ucius*. AEL*ius*. AURE- L.*ius* COMMODUS AUG.*ustus*. *Pius*. FELIX. nisi postrema me fallant. TULL. Eximiè legisti. PUB. *Aversa* intra sertum è lauro clavam Herculis stantem habet, quæ hanc Inscriptionem tribus lineis constantem dividit: HERCULI ROMANO AUGUTSO. S.*enatûs*. C.*onsulto*. TULL. Erat *Commodus*, quod illico dixi, optimi parentis *M. Aurelii* pessimus ac degener filius, &, ut verbo dicam, morio in solio. A morte Patris in castris Pannoniæ bellum Marcomannicum per duces feliciter gerens, hostibus propè confectis pacem ultrò dedit, ut genio servire liceret. Romam redux, atque hæres virtutum patriarum creditus, Caligulæ, Neronis, Domitiani Lupanaria, theatra, & latrocinia potiùs restituit. Cùm Britannos ducum virtute repressisset, Herculem induit, leonis pellem pro vestibus sumens: in theatra porrò cæcos, claudos, luscos, luxatosque ingenti numero coëgit, ad eos cum clava ingressus. Et se quidem ab iis levissima fungorum nube impeti voluit, ipse verò validis clavæ ictibus omnes propè per risum occîdit, victoris in morem abinde domum reversus. Senatum totum imperii sui decursu morti sigillatim adduxit: donec luctatore subornato occisus sit ipse, hostisque dictus, atque tractus per plateam, Tiberique immersus An. æt. 32. imperii fœdissimi 13. Chr. 193. Dum viveret, se *Herculem Romanum*, Romam porrò à nomine suo *Commodianam* voluit appellari.

XIII. Tab. II. Num. II.

XIV. PUB. Ingens hoc optimi patris, Augustíque Imperii probrum, in aliis numis, quos teneo, plerúmque hæc nomina habet: M.*arcus*. COMMODUS ANTONINUS P.*ius*. FELIX AUG.*ustus*. BRIT.*annicus*. P.*a-*

ter

ter. P. *atriæ*. TULL. Ut videlicet fœda ſcelera ſua bellis nominibus tegeret *Marcôque* patrem, *Antonino Pio* avum, *Auguſto* Caeſarem referret, & addito *Felicis* elogio ſupra hos omnes ſe extolleret. Sanè nomen *Antonini* pari arrogantia ille, pluréſque Succeſſorum, aſſumſêre, qua omnes Impp. nomen *Caeſaris*, atque *Auguſti*, quia celebre erat, charúmque in populo. *Pii*, ac *felicis* elogia labentis poſtea imperii adulatio omnibus ſine diſcrimine Principibus obtulit: ut dulcis ſaltem illius, qua erat *Antoninus*, Pietatis atque Felicitatis, quam omnes cupiebant, ſive ſpes, ſive recordatio demulceret. Numi *Commodi* ubique obvii.

DIALOGUS VII.

De

Numis HELVII PERTINACIS, & qui ei ſucceſſerant usque ad GORDIANUM III.

TULLIUS

I. DEfluit jam ſeries tua, optime Publi, & in ſingulis, qui ſequuntur, Auguſtis rarior fit: quod equidem Arculæ tuæ magis intereſt, atque noſtræ hujus Exercitationis. Satis etenim hactenus exemplorum. Vidiſti jam capita nuda, laureata radianti corona incincta: pleráque inſuper omnia, quæ latinis in numis occurrunt, elogia promtè & alacriter lègis: vim inſuper ac pondus eorum affatim ex me didiciſti. Nihil ergò in *Adverſis* te deinceps magnoperè morabitur, quàm forſitan Prænomina, atque Nomina, literis duntaxat, aut ſillabis initialibus deſcripta: quorum tamen cauſâ opus non eſt, ut ſingulos tibi numos depingam. Pereruditi *Patarolii* ſæpè tibi laudatam *Seriem Auguſtorum &c.* libellum percommodum ſume in manus, ubi nitidiſſimas *Adverſarum* imagunculas habes, prænomina ac nomina omnia, breviſſimámque ſingulorum hiſtoriam, Uxores inſuper ac Liberos, unacum Tirannnis imperium affectantibus, gratiſſimo compendio leges. Cùm ibi, tum meis hactenus è Dialogis diſces, qui flores ex hiſtoria aliàs prolixa præ cæteris legendi. Nôſti quàm tempori ego conſulere debeam, ac propterea cavere, ne, quod præter inſtitutum foret, & ipſe volumen conficiam

ficiam. Aliquousque tamen tui in gratiam nihilominus pergam, & ex cæteris Impp. illos demum pingam, quorum in numis nova se difficultas primo tibi obtutu objiciet. Alios recensebo duntaxat, non enarrabo; immo tibi sermonem multò rectiùs cedam.

PUB. Pupillam tu meam, Honorande Tulli, si officia tua mihi tam charissima subtrahis. Verumtamen tua maximè prudentia noverit, quid Discipulo mihi expediat. Agedum itaque: manda. TULL. Sic deinceps pergemus. Illos Augustos, sive Caesares, quorum te numi deficiunt, ego, forula tua oculo præcurrens, ad numerum revocabo: quos tuis in numis tu leges, ipse recense. Hærebimus porrò ad eos duntaxat, quos pinxi. Principio verò notes velim, maximam ferè partem eorum, qui sequentur Augustorum à militibus acclamatam; quorum barbara fœdáque colluvies, tantâ licentiâ fuit, ut, non quidem suffragiis, sed insanis tumultibus orbi Dominos daret. Imperii lex hæc demum fuit, per cædes ad illud grassari non modò prioris ejus Principis, qui illud tenuerat, sed uxoris persæpè, Liberorum, Agnatorum: deinde summam ad tempus potestatem tanti emere, quanti militum inexplebili avaritiæ visum est. Nec aliter, neque diutiùs imperare licuit, quàm belluis illis collibuit: quæ novitatis indies studiosæ, sive bonos, sive malos demum Principes diu ferre non poterant, nisi scelera eis atque rapinas impunè, præmia verò jugiter atque profusè largirentur. Paribus propè verbis, immo gravioribus longè & amplioribus, tam miseram Imperii conditionem longè ante me deflebat disertissimus ille *Erasmus*. Ita post *Comodi* cædem *Publius Helvius Pertinax*, invitus quidem, Authore Læto, acclamatus, homo verè antiquis moribus, atque summa gravitate: quia tamen Prætorianorum militum disciplinam rigidiùs exegit, 3tiò mense occisus est. Par fatum *M. Didium Severum Julianum* involvit, qui imperium, à militibus non secus atque sub hasta venditum, emit: sed pacti immemor & solutionis, sive impotens, mense septimo trucidatus est. Utrorumque numi satis rari. Mox, qui in Syria erat exercitus, extulit *Cajum Pescennium Nigrum*: Britannicus eodem tempore *Decimum Clod. Septimium Albinum*: Germanicus *Septim. Severum*. Atque hic postremus contra cæteros, acerbissima licèt dimicatione, obtinuit postea, *Pertinacis* cognomen assumens.

II.

Erasm. Rot Præfat. ad Sueton. edit. ex recensione Theod. Pulman. factam Antu. apud Plant. 1574.

PUB. Hunc *Severum* aliquoties spectare mihi licet in argento, in ære vix semel. In plerisque porrò meis quidem numulis, ubi laureatus est semper, lego duntaxat: SEVERUS PIUS AUG.*ustus*. Is tamen, quem pinxisti, argenteus parvus ita habet: L.*ucius*. SEPT.*imius*. SEV.*erus*. PERT.*inax*. AUG.*stus*. PARTH.*icus*. MAX.*imus*. TULL. Numi

III. Tab. II. Num. III.

ejus-

ejusdem argentei ferè æreis frequentiores; in quibus alii etiam cognomen *Britannici* habent. Nempe *Pescennium Nigrum*, atque *Albinum* æmulos nactus, dolo egit, hunc postremum Cæsarem dicens, ut, hoste uno interim submoto, alterum vi tota adoriretur. Pugnâ commissâ vicit, *Pescennium* in fugam agens, quem Antiochiæ deprehensum milites occidêre, degustato vix demum imperio. Caput ejus abscissum *Severus* Byzantium misit: sed cives etiam mortuo fidem servârunt, donec triennio obsessi deficerent tandem fame enecati. Tum *Severus* urbem solo æquavit, non antè, quàm M. deinde *Constantino*, exsuscitandam. Sublato *Nigro*, *Albinum* per sicarios amovit. Parthis postea, atque Britannis arma victricia intulit, nec malè imperavit, podagrâ licèt affectus, castra tamen secutus. Imperii novissimum æmulum passus filium *Caracallam*, qui multas ei insidias incassum tamen struebat, obiit tandem senex annorum 66. imper. an. 18. Chr. 211. *Pescennii* numi, maximè latini, admodùm rari: *Albini* paulò frequentiores.

IV. Tab. II. Num. IV. PUB. Quem proximè pingebas numum denuò apud me argenteum parvum, quàm torvo est vultu? Legenda brevis: ANTONINUS PIUS AUG.*ustus*. TULL. Vultus turpis animi foedioris est index. *Caracallam* sistit hic numus, *Septim. Severi* filium improbum natu majorem, cui aliàs *M. Aurel. Bassiani Antonini* nomina fuêre: *Bassianus* tamen in numis non legitur, minùs *Caracallæ*, quo joci causa olim affectus, hodie, ut ab aliis discernatur, passim appellari solet. Imperio à patre unacum fratre *Geta* est destinatus: qui verò patri toties insidiatus est, quomodo fratrem collegam sustinuisset? Dissidentibus ergo mater *Julia Domna* imperium divisit, Occidentem *Caracallæ*, Orientem verò *Getæ* regendum designans. Sed *Caracalla*, qui & matri incestum intulit, fratrem in sinu ejus ambitûs causâ perfodit. Aliàs etiam rapax, crudelis, atque scelestus, Parthica in expeditione, ventrem levans, confossus est an. æt. 29. imper. 7. Chr. 217. Numos ejus, undique quidem frequentes, aliter tamen ab *Elagabali* numis vix demum discernere licet, quod oppidò notes, nisi truci ex vultu, cùm in utrisque eadem planè nomina scribantur. PUB. Pinxisti & *Getam* ex æreo apud me numo Capite laureato, cum Epigraphe: IMP.*erator*. CAES.*ar*. P.*ublius*. SEPT.*imius*. GETA PIUS AUG.*ustus*. Aliàs verò eum in argento quoque teneo juvenem admodùm nudo capite, circùm quod lego: P.*ublius*. SEPT.*imius*. GETA CAES.*ar*. PONT.*ifex*. TULL. Uterque numus non undique obvius: posterior cusus ante priorem, *Geta* adhuc solumodo Caesare, alter jam Augusto. Dum in posteriore *Pontifex* legis, non de Pontificatu Maximo, sed minore aliquo accipe. Cæterùm hic Princeps moribus erat non planè malis,

(Tab. II. Num. V. — margin beside "cùm in utrisque…")

certè

certè melior fratre, qui eum necavit, imperii post Patrem mense 11.mo.

Caeso quoque *Caracalla*, astu occulto *Marc. Opelius Severus Macrinus*, vili genere, ast legum peritus, æqui tenax, manu validus, Disciplinæ militaris custos, arripuit: sed à Parthis pacem mercatus displicuit, Juliæ Moesæ artibus à militibus occisus, ut nepos *Elagabalus* imperaret, an. imp. 2.do inchoato. Fato etiam pari filius *Diadumenianus* oppressus, fortè necdum ab ephebis egressus. Amborum numi rariores. PUB. Hunc postremum numus apud me æreus meus medius elegantissimè sistit capite nudo, quod sequentia circumstant. M.*arcus*. OPEL.*ius* ANTONINUS DIADUMENIANUS CAES.*ar*. TULL. *Macrinum* sui causâ necatum *Elagabalus*, aliis *Heliogabalus* dictus, quo cognomine *Sacerdotem solis* exprimi volunt, secutus est, in numis suis ferè obviis non alia, quàm *M. Aurel. Antonini Pii* nomina tulit, æquè ut *Caracalla*. Quare, cùm vultu duntaxat, internoscendus sit, qui junior, ac *Caracallæ*, magisque compositus, inferiore tamen labio prominente, plerumque insuper numi ejus latini stellam exhibeant, quæ solem referre dicitur: ego ejusmodi apud te numum argenteum parvum utraque sui facie pinxi. PUB. Caput in *Adversa* juvenile ac laureatum hæc circùm elogia ornant: IMP.*erator*. CAES.*ar*. M.*arcus*. AUR.*elius* ANTONIN.*us*. P.*ius*. AUG. In *Aversa* stat ipse, veluti linea veste, nec caput, neque brachia, nec infimos pedes velante, nihilominus tamen attracta, ceu Pontifex ad aram flammantem, dextra pateram tenens, qua veluti sacros liquores affundat, sinistra elata florem, sive ramusculum gerens. Ponè humerum sinistrum supra aram quidem stella pluribus radiis coruscat, solem referens, ut mox ajebas. *Legenda*: SACERDOS DEI SOLIS ELAGAB.*ali*. Videas præterea in area authoritatem Senatus indicatam per S.*enatus*. C.*onsulto*. TULL. Homo iste, de quo loquimur, impurissimus irato penitus Jove, & iniquissimo quopiam fato, Romanum deformavit imperium. Natus verosimilè creditur ex *Caracalla* Imp. & scorto *Soëmiade*, in urbe Syriæ Ardena, Sacerdos solis vel puer adhuc ibidem creatus. Syri namque Solem, quem *Alagabalum*, vel *Elagabalum* dixêre, maxima superstitione coluerunt. Nomina ei fuêre præter ea, quæ in numo legisti, etiam *Bassianus*, quo fuit & *Caracalla*, atque *Varius*, ab avia forsitan Julia Maesa Varia: quamquam non desint, quibus *varius* idem est, ac *spurius*, seu incertæ damnatæque Originis. Cognomina, teste *Dione*, ob nimia quidem vitia, Avitus, Pseudo-Antoninus, Sardanapalus: infandæ etenim libidinis fuit, idque propalam. Unde non solùm omnium mulierum vir erat, sed omnium virorum etiam mulier, neque erubuit, *Mulier*, *Domina*, atque *Augusta*, salutari.

V. — Tab. II. Num. VI. — VI. — *Dio Lib. LXXIX. pag. 914.*

 Vul-

Vulgò tamen *Elagabalus* audiit à Solis Sacerdotio, cultúque Romæ invecto. Huic illicò templum constituit, volúitque, *ut omnia cæterorum Sacra illuc transferrentur,* teste *Lampridio*, *atque nullus Romæ deus, nisi Alagabalus, coleretur.* Unde & in Numo veste Syra, non Romani Pontificis habitu est. Flos verò, quem manu tenet, ignotus, Soli fortè præ cœteris sacer erat: nisi magis ramusculus esse debeat, aspergilis subiens locum, quo Popæ victimas populùmque lustrabant. Etsi namque è pilis equinis frequenter colligatum id esset, sæpe tamen ejus locum lauri vel oleæ ramus, saltem apud Quirites, subibat. Sustulere hoc probrum Praetoriani milites in latrina ejusque cadaver lapide alligato Tiberi merserunt, cum annos ætatis 20. necdum tigisset, 14. imperâsset.

VII. Tab. II. Num. VII. PVB. Quem deinde è tot argenteis æreisque apud me *Alexandri* numis pingendum selegisti, in omni ferè arcula mea sine exemplo est. Quippe geminos redhibet vultus laureatos, sibi tamen simillimos, quorum unus alteri velut incumbit. TVLL. Tantò alias rariores juxta ac gratiores sunt Numi, quantò pluribus capitibus illustres sunt: quòd æs unum idémque in plurium tamen notitiam ducat, neque frequenter illud, sed graves ob causas accidere consueverit. Verumtamen numi hujus tui alia prorsus est ratio: neque eum ars quædam, sive cura præcipua, sed error potiùs atque incuria singularem effecit, quin propterea dignior evaderet. Cum namque cuderetur *Adversa*, lamina primos post ictus nonnihil à modulo abscessit: unde sequentes vultum *Alexandri* eadem in Area bis expressère. Ejusmodi vultu duplici numum Græcum *Gallieni*, à Syedrensibus cusi, in imagine pariter sistit *Appendicula* novissima ad Cl. *Vaillantii* numos Urbium Græcè loquentium è cimelio *Graneliiano* Viennensi T. XVIII. n. 250. ejusque causam pariter à modulo aberrante reposcit. PVB. Alia ego omnia opinabar potius, ut modicus tironi est sensus. Legenda sic habet: IMP. *erator.* ALXXANDER PIUS AUG.

VIII. TVLL. In Aliis porro numis nomina offendes: M. *arcus.* AUR. *elius.* SEU. *erus.* ALEXANDER &c. Fuit *Varii Marcelli* filius ac *Juliæ Mammeæ*, natione Syrus, quondam *Alexianus* appellatus, Cæsar primùm dictus, *Macrino* trucidato, iterum verò, postquam ab *Elagabalo* adoptatus fuit. Sed amor, quo apud omnes valuit, *Elagabali* invidiam, odium, atque insidias ei peperit: donec isto sublato, imperium bonis avibus capesseret, plurimáque virtute ornaret, Christianæ Religioni, cui mater Mammea addicta fuisse videtur, adeò propinquus, ut, si pèr eum stetisset, CHRISTI, quem laribus suis, sive diis penatibus i. e. domesticis junxit, cultum omnibus suasisset.

Roma

Roma autem vetuit. Parthos vicit, ac Persas, non æquè in Germanos felix. Necem ei milites intulêre, quibus severior, mater porrò, cui plurimùm deferebat, parcior videbatur. Mortuum tamen flendó planxerunt. Occidit an. æt. 30. imp. 14. Chr. 235. Numis ejus nihil crebrius, si illos demas, qui eum Cæsarem sistunt. Æmulos habuit *Antonium* quemdam, qui paulò pòst fugit: *Ovinium Camillum*, quem *Alexander* imperii participem factum occìdit: *Taurinum*, qui Euphrate se mersit.

PVB. Sunt mihi numi ærei atque argentei *Maximini*, atque *Maximi*: quinam illi fuêre? TVLL. *Maximinus* è Thracia oriundus patre opilione, immani corpore ac crudissimis moribus, *Alexandro* cædis author fuit, post eum à militibus acclamatus. Ingluvie maxima fuit, nec minori crudelitate. Suæ stirpis omnes sustulit, ut generis obscuritatem celaret: neque Senatui pepercit. Germanis formidabilis erat, ob corporis molem, robustos lacertos, quòdque iræ impotens esset. *Julio* illi prænomen erat: cognomen *Thracis* hodie à patria obtinuit, quo à cæteris *Maximinis* discernitur. *Gordiano* contra eum acclamato, Romam tetendit irarum plenus: sed urbe Aquileia ei obnitente, proprios in milites cum rabie excanduit, vicissim ab ipsis cum filio, *Cajo Julio Vero Maximo*, quem Cæsarem dixerat, confossus, an. æt. 54. imper. 3. Numi Patris frequentiores, quàm filii. IX.

PVB. *Gordiani* permultos teneo numos in argento ac ære, num illius, quem illicò dixeras? TVLL. Nequaquam, sed Nepotis illius. Qui contra *Maximinum* acclamatus est *M. Antonius Gordianus*, cui *Afer* cognomen, quòd Africæ esset Proconsul, senior erat, vir probus, fortis, & doctus. Militibus verò suis præ timore ad Capelianum, *Maximini* ducem, deficientibus, victo insuper filio suo *M. Anton. Gordian.* juniore, atque necato, ipse laqueo vitam ultrò finivit, An. 80. ætat. imper. mense altero. Utriúsque numi ob tempus nimium breve omnium ferè rarissimi, quos tiro vix speret. Erat verò, qui seni huic *Gordiano* alterum adhuc filium, qui Cæsar etiam fuerit, assereret: quin tamen se doctis probaret. Romæ autem, nuntiata *Gordianorum* cæde, Senatus *Decimùm Cælium Balbinum*, & *Marcum Clod. Pupienum Maximum* elegit, ut simul imperarent, *Balbinus* quidem domi, *Pupienus* in castris. Ambo viri clarissimi erant, nec malè convenerunt: sed militibus vel ideo invisi, quòd à Senatu, non à se, lecti essent. Ingenti ergo tumultu seditionem movebant: quam ut sedarent Imperatores, subito consilio *M. Antonius Gordianum* ferè puerum, Senioris *Gordiani* X.

ani nepotem, Cæſarem dixêre, ſéque velut imperii Tutores tantummodo ajebant. Brevi tamen è Prætorio rapti, multisque affecti fuerunt injuriis; dinde, cùm Germaniæ exercitus opem eis laturus advolaret, ambo priùs interfecti ſunt. Uriusque numi haud omnibus obbingunt.

XI. PVB. Horribilia refers, ac mirum ſanè, fuiſſe tandem in hoc rerum tam impio turbine, qui imperium tamen cuperent. TVLL. Ambitio quem non præcipitem dat? Rerum dominos eſſe nimis quàm dulce venenum. Superbus quiſque, licèt ſpe proſperi ſucceſſus firma atque prudenti modicùm ſuſtentari ſe videat, dummodo tamen Gloria adſit, nititur præſumtione. Eſt præterea Rebus publicis ſua ſemper Authoritas, ut, quoties capite eſt opus, cogere poſſit etiam nolentes, ut imperent. PVB. *Gordianum* hunc III. numi, quos obvios eſſe vel mea ſat copia prodit, juvenem ſiſtunt, vel lauro, vel corona radiante incinctum, omnes tamen laudant Auguſtum. TVLL. Nimirnm qui Cæſarem ſiſtunt, non obvii. PVB. *Legenda* plerùmque eſt: IMP. GORDIANUS PIUS FELIX. AUG. Subinde tamen lego: IMP. CÆS. M. ANT. GORDIANUS AUG. TULL. Princeps amabilis erat, literis à puero eximiè deditus, modeſtus, ac bonus, operâ *Miſithei* ſoceri ſui imperium optime adminiſtrans. De Perſis ita triumphavit, ut Orientem totum pacaret. Artibûs tamen *Philippi* Arabis, Ducis ſtrenuiſſimi, necato primum Miſitheo, in ejus veluti tutelam militibus datus, brevi non modò imperio detruſus, ſed etiam morte violenta extinctus eſt, An. æt. 22. imp. 6. Chr. 244.

DIALO-

DIALOGUS VIII.

De

Numis PHILIPPORUM, & aliis ad usque DIOCLETIANUM.

TULLIUS.

ABillo Dialogum novum auspicamur, sub quo Roma Millenarium novum ordiebatur, Ludis Secularibus splendidissimis dedicatum. Nempe *M. Jul. Philippus*, partre latronum duce natus in Arabia, inde *Arabs* cognomine, cæde *Gordiani* insontis atque atque immeriti, adeò Quirites offenderat, ut mox *Marcum Marcium* aliquem, cognomenro *Philosophum*, Imperatorem diceret Senatus; qui tamen subitò Prætorianis in ædibus decessit. Sucessor ei datus *Luc. Aurel. Sever. Hostilianus*: verùm & hic protinus occubuit, culpâ quidem in medicos, venam malè solventes, rejectâ. Suspicio autem non minima fuit, amborum apud funera fraudem *Philippi* intervenisse, qui ambitus maximi fuit, miræ calliditatis, & audaciæ summæ. Hic itaque rerum tandem potitus, ut tanta Senatus ac Populi adversùm se amimi ulcera nonnihil saltem leniret, profusissimis sumtibus secularia populo spectacula dedit, filio, qui eadem nomina gessit, Cæsare dicto, juvene tam severo támque tristi, ut vix demum risisse credatur. Christianos ambos fuisse multi contendunt suasu *Marciæ Otaciliæ Severæ*, quam senior *Philippus* Uxorem, junior Matrem habuit: verumtamen æquè graves ac multi id negant, idque disquirere hujus loci non est. Mores certè ac gesta hujus Augusti è fidei Christianæ præscripto haud fuisse videntur. Cæterùm utrosque, patrem ac filium eadem ruina brevi involvit, in quam *Gordianum* impulerant. Postquam enim exercitus Illyricus *Decium* Imperatorem salutâsset, movens in eum *Philippus* senior à suis Veronæ, junior Romæ à Prætorianis occisus, An. imp. 6. Chr. 249. I.

PVB. Utriúsque teneo numos plures in argento, & ære; quod tamen miror, video in iis patrem & filium promiscuè jam lauro, jam corona II.

corona radiante ornatum. Quinimmo filium insuper disertè in quopiam lego Imperatorem atque Augustum. TVLL. Poterat *Philippus* pater, ut ludos seculares Augustiores redderet, Augustum dicere filium, atque imperii participem facere: neque diffitetur hoc numus *Philippi* filii, quem in cœteris habes, *Adversa* quidem capite nudo eundem, & cum elogio Cæsaris sistens, in *Aversa* tamen sic inscriptus: SÆCULARES AUGG. ubi GG. duplex legendum est *Augustorum*, non *Augusti*. Ex quo nempe *M. Aurelius* omnium primus *L. Verum* secum dixit Augustum, & hoc sublato, filium *Commodum*, testibus numis, ejus exemplo etiam *Septim. Severus* id gratiæ contulit in filios suos *Caracallam* primùm, postea & *Getam*. Senatus ipse *Balbinum* ac *Pupienum* simul Augustos edixit: ut adeò novum non fuerit, filium *Philippum* cum patre Augusti elogio honoratum, neque Cl. *Harduino* assentiendum, quod Ill. *Spanhemius* monet, *Gratianum* tandem omnium primum fuisse, cui obtigerit, patre *Valentiniano* ad hucdum superstite, *Augustum* prædicari. Illud verò insolens magis, numos *Philippi* filii, etsi tam juvenis, ut an. ætat. 12. jam extinctus fuisse scribatur, facie tamen propè eadem, qua Patris, qui vir erat provectus, esse signatos, quod Cl. *Patinus* animadvertit. Non sanè hic aliud superest, quod dicam, nisi, propinquis jam illis temporibus, quibûs labi vehementer imperium cæperat, artis cum imperio quoque collabentis incuriam intervenisse. PVB. Facilè ut id credam, inducor: tot etenim cædes Augustæ quanto non turbine Urbem æternam concusserint? Rectè quidam cecinit: *Pace vigent artes.*

Tab. II, Num. VIII. & IX.

Spanh. T. II. p. 375.

Patin. Impp. p. 308.

III, Tab. II. Num. X. TULL. Cæsis *Philippis*, Sarmatici limitis Dux, *Publ. Carvilius Marinus* suorum quidem militum temeritate tyrannidem arripuit: eorum autem nova factione æquè citò occubuit. Quare *Trajanus Decius* in imperium successit Pannonia oriundus. Romanis Imperator optimus dicitur, belli pacisque artibus *Trajano* parum inferior: at in Christi Ecclesiam atrocissimus fuit. In Scythas movens, semel, ac iterum vicit: tandem in insidias pertractus, pugnando succubuit, palude mersus, An. æt. 50. imp. 3. Chr. 251. Numi ejus undique obvii, sed ob multa nomina à tirone ægrè leguntur. PUB. Unum idcirco, ut reor, Pinxisti, in quo legendo magnoperè hallucinor. TULL. Ita habet: IMP. *erator*. C. *neus*. M. *essius*. Q. *intus*. TRAI. *anus*. DECIUS AUG. *ustus*. Filius ei fuit *Quint. Herennius Etruscus Messius Decius*, imperii consors, prælioque eodem peremtus cum patre: numi ejus perrari.

IV. PUB. Numorum gratia ferè tota jam perit: pro magnis parvi succedunt, pro solidis leves, tincti pro argenteis: vultuum, figurarum, lite-

literarum elegantia fugit: paulò pòst res ad triarios rediet. TULL. Hinc est, quòd cum *Gallieno*, à quo non longè jam absumus, quidam cimelia sua concludant. Nos tamen ultrà progrediamur, ne Numos, sui duntaxat causâ, sed Laconicæ potiùs, quæ in iisdem latet, Sapientiæ ergò amemus. Adhuc nos erudient, filùmque saltem historiæ pertexent. Neque etiam persuadeas tibi, nulla grandia, egregia, splendida, manùque artifice facta temporum horum monumenta penitus superesse: cubant in Regum ac Principum Gazis, rara tamen, quorum imagines præstantes Antiquarii jam dudum vulgârunt.

PUB. *Decium* proximè apud me sequitur C. *ajus.* VAL. *ens.* HOSTILIANUS MESS. *ius.* QUINTUS CAES. *ar.* TULL. Hic sanè non obvius est, æreus, ac mediæ formæ. Filium sistit alterum *Trajani Decii*, quem sive genuit, sive adoptavit. Pater eum Cæsarem dixit, Senatus à morte illius Augustum, voluitque, ut cum *Gallo*, à militibus acclamato, imperaret. Obiit verò brevi ex peste. Ab hoc quidem adoptatum fuisse *Gallum* aliqui volunt: qui rursum filium suum *Volusianum* imperii consortem accepit. Ignavus autem erat, fœdusque cum Scythis pepigerat, ut tributum eis solveret: quare milites ejus pertaesi, unacum filio eum obtruncarunt, An. imp. 3. Chr. 254. PUB. Utriusque numos habeo: in primo, ni fallor, hæc sunt. IMP. *erator.* CAES. *ar.* C. *ajus.* VIB. *ius.* TREB *onianus.* GALLUS AUG. *ustus.* In altero lego: IMP. *eratori.* CAES. *ari.* C. *ajo.* VIB. *io.* VOLUSIANO AUG. *usto.* TULL. Probè singula: hi interim numi haud infrequentes. V.

PUB. Excipit hos apud me numos æreus medius, in quo caput laureatum hæc circumstant. IMP. CAES. C. *ajus.* JUL. *ius.* ÆMILIANUS. AUG. *ustus.* TVLL. Fide, sed cui, vide. *Æmiliani* numi omnes rarissimi, ait *Patarol.* Rara hujusmodi avis non ficta in tuo quid columbario? Sine tamen interea: maximi est nominis Princeps, natione Maurus, Pannoniæ exercituum rector, Scythis ferocissimus, atque idcircò pro *Gallo* ignavo acclamatus. Dum verò à spectata ejusdem bellica virtute spem optimam caperet Roma, quemadmodum & numi tui Aversa Spem Publicam exhibet, alibi acclamatur *Valerianus*: quò appropinquante, perfidè desertus à suis, immo cæsus est Æmilianus, imperii mense 3.tio. VI.

PUB. Exiguam apud me gratiam habent numi *Valeriani* minuti, quibus circa caput radianti corona cinctum hæc Legenda. IMP. C. *æsar.* P. *ublius.* LIC. *inius.* VALERIANUS PIUS FEL. *ix.* AUG. *ustus.* TULL. Augustum eum, nobilissimi generis, salutavit exercitus VII.

Rhœticus: historiographi alii laudant; alii vituperant: Christianis acerbus fuit: omnium vero miserrimè periit. Pugnans enim in Persas, captus à Rege Sapore, cúm eundem redimere filius *Gallienus* aut nollet, aut Persæ non dimitterent, multis annis Sapori, equum scandenti, scabelli locò esse debuit, cùm consenesceret, vivo pellis detracta.

VIII. PUB. Teneo *Gallienum* aliquoties, sed in ære vilissimo, his quidem nominibus. IMP. C.*æs.* P.*ublius.* LIC.*inius.* GALLIENUS AUG.*ustus.* TULL. *Valeriani* filius erat, optimè educatus, literisque non mediocriter eruditus. A Patre Cæsar, hocque capto, Imperator dictus An. 260. fertur de redimendo eo nihil sollicitus, sed disciplinæ liber in devia ivisse, libidini se, atque ignaviæ summæ indulgens. Unde omnes propè in omnibus Imperii fœde collabentis provinciis duces nova moliti, cuncta sanguine cædibusque miscuerunt: ut uno propè tempore 30. Tyranni, suis quisque in partibus, suorum militum ope, imperium arriperent. Ex his *Macrianus* & *Heraclianus* prope Mediolanum occurentes Gallieno, qui contra *Aureolum* moverat, eum occiderunt An. imper. post patrem 8. Chr. 268. Tyrannorum omnium nomina si velis ac quantulumcunque de iis historiæ superest, *Patarolium* adi. PUB Mihi non plures, quàm tres, è toto eorum numero, numi sunt. In primo lego: IMP. C.*æs.* M*arcus.* CASS.*ius.* LAT.*ienus.* POSTHUMUS P.*ius.* F.*elix.* AUG.*ustus.* TULL. Hic trans-Rhenani limitis dux fortissimus Coloniæ imperium invasit. PUB. In altero: IMP. CAES. M.*arcus.* PIAV.*onius.* VICTORINUS PIUS FEL. AUG.*ustus.* TULL. Eum *Posthumus* sibi percharum, virumque strenuissimum, in imperii consortium ultrò admisit, à milite autem privato uxoris causâ occisum. PUB. Tandem in tertio: IMP. HERMIAS VHABALLATUS PIUS FEL. AUG.*ustus.* TULL. Fuerat *Odenati* clarissimi Principis, ac Zenobiæ heroicæ pariter fœminæ filius, ab Aureliano Imp. cum matre captus, & Romæ ductus in triumphum. Priusquam vero à *Valeriano* atque *Gallieno* penitus recedamus, monere te libet cum Ill. *Spanhemio*, tres fuisse *Valerianos*, *Gallienos* duos. *Valerianus* namque infelix ille Augustus, à Persis excoriatus, non solum *Gallienum* filium habuit, verùm etiam *Valerianum* aliquem, Cæsarem primùm: deinde cum fratre Augustum: & rursum nepotem quempiam ex filio *Gallieno*, pariter dictum *Valerianum.* Unde *Pontianus* in vita S. Cypriani alicubi scribit: *VALERIANUS* (nimirum senior) *& GALLIENUS Augusti*, *& VALERIANUS Nobilissimus Cæsar.* Similiter *Gallienus* præter *Valerianum* maximè juvenem filium insuper habuit *Gallienum*: licèt is in numis potiùs *Cornel. Saloninus Valerianus* à Matre & Avo appelletur.

Patarol. Edit. nov. p. 46 seqq.

Spanh. T. II p. 259.

PUB.

PUB. Vertit jam ordo ad *Claudium*, cujus numum tibi pingere libuit, ut horum temporum forma, incomtior semper atque negligentior in numis, mihi luculentius demum appareret. Corona hic Princeps est radiante, elogiis insuper brevissimis: IMP. CLAUDIUS P. F. AUG. Moles parva & ærea, argento solummodo tincta. TULL. Fabrica nimirum tam sequioribus seculis congrua. Porrò *M. Aurel. Claudium* Dalmatam moriens *Gallienus*, velut Ducem exercitus sui, Imperatorem designavit, Senatus, milesque confirmavit. Mox *Aureolum* vicit tyrannum: in Gothis verò trecentorum viginti millium stragem edidisse fertur, nisi historiæ calamus hic oppido exerraverit, inde *Gothici* cognomen adeptus: quo hodie plerumque appellatus, à primo *Claudio* è gente Cæsarum, atque *Caii* successore discernitur. Moribus bonis, prudentia magna, & parsimonia vitæ laudabili fuit, brevis tamen imperii: cùm Sirmiæ in Pannonia peste obiret, anno altero. Senatus deinpe *M. Aurel. Quintillum*, fratrem *Claudii*, Augustum dixit, milites porrò *Appium Claud. Censorinum*. Quoniam verò hic severioris erat disciplinæ, eo occiso, *Valer.* seu *Luc. Domitium Aurelianum*, Pannonem, aut Dacum, acclamârunt: cui imparem se videns *Quintillus*, ipse venas sibi solvît post aliquot dies.

IX.

Tab. II. Num. XI.

PUB. Rursum tuis Tabellis inseruisti numum *Aureliani*, qualem in pluribus eum admodum, quo & *Claudii* numus, signatis, unicum teneo atque singularem, æreum cœteris majorem, tinctumque argento. Ibi nàmque corona est admodum pretiosa, ac gemmis divite, quæ quidem radianti ex parte accedit, angustis tamen non est acuminibus, sed suprà rotundis: thorace præterea perornato, sed simplici epigraphe: AURELIANUS IMP. AUG. TULL. Quam vereor, ne tuus hic numus sublestæ sit fidei. Legit forsitan, qui eum finxit, *Aurel. Victorem* ita scribentem de hoc Principe: *Iste primus apud Romanos Diadema capiti innexuit, gemmisque, & aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, usus est.* Non equidem diadema, de quo alibi disseram, gestat hic *Aurelianus*, sed coronam duntaxat, novo tamen penitus modo fabricatam: sed ipsa demum novitas, in re quidem omninò insolita, admodùm fide vacillat inter Eruditos, quousque plures saltem numi eidem suffragium dicant. *Aurelianus* interim adversùs hostes in Oriente pariter atque Occidente strenuissimè egit; *Zenobiam* quoque, fortissimam Amazonem, Odenati Tyranni conjugem, quæ & ipsa filiis imperium vindicari adnisa est, debellavit, ac Romæ publico in triumpho deduxit. At verò in Persas movens, militum factione trucidatus est, Anno imper. 5. Chr. 276.

X.

Tab. II. NumXII.

Victor in Epitom. c. 35.

XI. PUB. Pari forma, qua ante erat *Claudii* numus, sunt mihi *Taciti* pariter atque *Floriani* numuli, ambo corona radiante, ac prioris Tituli: IMP. M. CLAUD. TACITUS AUG. Posterioris: IMP. FLORIANUS P. F. AUG. TULL. Fratres erant Germani, gente nobili Romana. *Tacitus* quidem, cùm imperium sex mensibus vacâsset, quod aliâs à Romulo nunquam contigisse animadvertit *Sleidanus*, à Senatu invitus atque reluctans, Augustus tamen est dictus, Princeps bonus, doctus, sobrius. Scythas cum ipse, tum per fatrem *Florianum* debellavit. Ex Asia verò in Europam rediens obiit in itinere, sive febri, aut insidiis militum, imper. mense 7. mo. Mox verò *Florianus* frater, nemine illi id honoris deferente, Imperatorem se gessit, quasi in hæreditatem Augusti fastigii succedens. Verumtamen *Probo* contra eum acclamato, consilii pariter atque auxilii inops, venas, *Quintilli* exemplo, ipse sibi solvit mense altero.

Sleidan. in Tacito L. II.

XII. Tab. I. Num. XIII. & XIV. PUB. Non paulò alii à prioribus sunt apud me numi hujus, quem dixeras, *Probi*, quos geminos pinxeras. Primo siquidem in numo corona fulgens radiante, gemmisque ornata, togam habet, ac pallium quale ferè est nostris Augustis, cum coronam capessunt, fimbriis pretiosis, manu præterea sinistra sceptrum gestat, cui Aquila insidet, nisi me omnia fallant. *Legenda:* IMP. PROBUS PIUS F.*elix*. AUG.*ustus*. In altero armatus totus galeam habet radiante corona incinctam, dextra telum humero impositum sustinet, sinistra clypeum gerit. Epigraphe: VIRTUS PROBI INVICT.*i*. AUG.*usti*. TULL. Nova utique ista: sed quorum rationem vix aliam reddas, ac fastum Principis, vel Senatus populique adulationem, aut denique Monetariorum placendi studium. Cùm namque tam confertis agminibus maximè varii populi barbari imperium undique adorirentur, subinde porrò, jam hic quidem, jam alibi, vincerent Imperatores, Regum, quos devicerant, cum corporis tum capitum ornamenta æmulandi eos cupido incesserat. Patres deinde ac populus, Principum suorum virtute in tot miserrimis turbis subinde respirantes, eisdem facilè indulsère, quod & gratum putabant, & gratitudinis suæ monumentum: licèt ejusmodi foret, quod olim, pacatiore imperio, velut Regiæ notam potestatis, cane pejus & angue oderunt. Monetariorum verò, favoris aucupandi gratia, admodum intererat, typis suis & nova & illustriora semper moliri. Gemmarum usum, ut paulò suprà audisti, *Aurelianus* cœpit, reliqui parem splendorem haud illibenter admisere: unde deinceps brevi omnibus in capitibus margaritas videbis.

Scipio-

Scipionem quod attinet, aquilâ conspicuum, ille non tam Regium esse sceptrum videtur, quàm victoriæ nota, atque triumphi: aut, si malis, Consulis decus. Consules nàmque sceptro usos eburneo, cui Aquila insideret, jam tibi in *Exercit. Proœm. Dial. XIX. n. 12.* suggessi. *Probùm* porrò, quemadmodum & cœteros hactenus Augustos, Consulatum deligenter gessisse, licet in numis describi non solitum, Fasti Consulares demonstrant. Satis erat, dici eos Augustos: quo uno summo ac maximo nomine summa omnia munia brevissimo compendio fuêre complexi. Victoribus autem, ac triumphum agentibus, dum quadrigis veherentur, similem in manu scipionem aquila illustrem fuisse, tritum est, numisque testibus in III. quidem Parte nostra liquebit. Quod armatus altero in numo appareat *Probus*, corona nihilominus radiante incinctus scribatùrque: *Virtus Probi invicti Augusti:* quam epigraphen Aversæ aliás frequentiús exhibent, insignem Victorem, eùmque Augustum luculentè eloquitur, tantò magis, quod pacem insuper condiderit. *Aversa* nàmque *Pacem* laudat *Augusti.* XIII.

PUB. An suo hæc meritô *Probus*? An omen in nomine? TULL. Ignobilis genere Sirmii natus, patre, ut volunt, olitore *M. Aurel. Valerius Probus*, vir disciplinæ severissimæ, & miræ in bello virtutis, propè puer, *Valeriani* Aug. judicio, Tribunus militibus in imperium subrogatus, Saturninum, Proculum, Bonosum tyrannos dejecit, barbaros undequaque debellavit, aut terruit. Militem otiosum esse non sinens, cum bellô vacaret, agri vinique cultura exercuit, aliisque jugibus operibus distinuit: quo verò factum, ut, licet optimis Principibus meritò accenseretur, nefario tamen, & ipsis Authoribus pœnitendo mox scelere, eum è medio tollerent, An. Æt. 50. imp. 6. Chr. 282. Tumulo ejus hoc elogium apposuêre. XIV.

Hic PROBUS Imp. verè PROBUS situs est
Victor omnium gentium barbarum
Victor etiam Tyrannorum. *Patin. in Impp. p.* 349.

Ad eum *Vopiscus* ita fatus est: *Tu Francicus, ac Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia.* *Vopisc. in Probo.*

PUB. Quoniam hunc Dialogum ad usque *Diocletianum* producere cupis' restant nobis adhuc numi, qui *Carum*, atque *Numerianum* deinde, & *Carinum* ob oculos ponunt. Corona omnes sunt radiante, XV.

& brevissimo, titulo: id verò peculiare, quòd numi *Numeriani* atque *Carini*, qui eos adhuc Cæsares laudant, nondum Augustos, sic habeant: M. AUR. NUMERIANUS NOB. *ilissimus*. C. *æsar*. TULL. Hæc *Nobilissimi* appellatio, teste Ill. *Spanhemio*, in Lapidibus quidem veteribus jam *Commodo* Cæsari, deinde *Maximo*, filio *Maximini* tributa, primùm tamen omnium in hoc numo *Numeriani* comparet, abinde in omnes pervagata. Quamquam in numis *Commodianis*, *Getæ* insuper, ac *Philipporum*, jam legatur: NOBILITAS AUG. *usti* vel *Augusta*: quod ferè titulo *Nobilissimi* æquivalet. Animadvertit porrò Vir idem Ill. omnium propè numorum Oedipus in summis maximus, factum paulatim, ut Augustorum filii natu majores Cæsares dicerentur, minores verò *Nobilissimi* elogium ferrent, quod subinde ad Agnatos quoque, immo & extraneos clarè meritos ampliabatur. Quare *Nobilissimi Cæsaris* elogium summa omnia, Liberis Augustorum cum ætatis discretione singillatim tribui solita, junctim complectitur.

Spanh. T. II p. 387. seq.

XVI. Historiam quod attinet, *M. Aurel. Carus* à militibus *Probo* suffectus est, bellica virtute clarissimus, Senatu tamen maximè adverso, & sua ei suffragia ægerrime tribuente, ob metum duntaxat *Carini*, quem *Carus*, præter *Numerianum* bonum, maximè improbum ac juniorem filium habuit. Felix pater in Persas, atque Sarmatas fuit, postremò fulmine ictus, an. imper. altero. Successit ei *Numerianus* filius, qui patrem ita flevit, ut oculis ferè destitueretur. Quare lecticâ vehi debuit: id quod copiam præbuit *Apro*, socero suó, imperium affectanti, ut eum, quamvis foret ingenitæ pietatis, literis prætrerea non mediocriter eruditus, clàm nihilominùs ambitus causâ feriret, nihilò secius tamen, tegendi criminis ergò, exanimem illum Augusta sua in lectica ante exercitum tamdiu deportari curaret, donec nimius cadaveris fœtor cædem manifestaret. Imperabat postea quidem *Carinus* pro fratre, sed homo fœdus ac improbus: contra quem *Diocletianus* á militibus acclamtus, eum altero anno devicit, & una cum *Apro*, cædem ultus *Numeriani*, occîdit. PUB. Quàm multos tu Impp hoc unc Dialogo scitè in numerum coëgisti? TULL. Dixî jam: velis imus atque quadrigîs.

Hæc pauca de singulis memoria complectere,
& satis interim multa tenebis.

DIALO-

DIALOGUS IX.

De

Numis DIOCLETIANI, & MAXIMIANI Herculei: Item CONSTANTII Chlori, & MAXIMIANI Armentarii.

TUBLIUS.

NOva rursus Numorum meorum est ratio, & parvis denuò majores succedunt, ponderi tamen ac moli, crassitiem quod spectat, anteriorum seculorum haud suppares, arte porrò nimium quantùnm inferiores. Imaginibus quippe humilibus sunt, parúmque elatis, neque affabrè illæ, eleganterque cælatæ. TULL. Cave sis, pauculis tuis tritisque è numis judicium de cæteris omnibus feras. Alibi jam monui, sequioribus etiam, quæ hactenus enarraveram, imperii temporibus, numos tamen insignes magnósque haud defuisse, sed raros illos esse, nec Tironum in manibus. Nihil in numis ita firmiter statuendum, ut caput eapropter devoveas: ingens, quæ hodie viget, nobilissima hæc veterum temporum monumenta undique conquirendi contentio, nova in dies ferè singulos pandit, & edocet: unde præstantissimi quique numorum Conjectores suam, quam ante statuerant, sententiam cum rationè mutare, quod equidem prudentis est, minimè abhorrent. Quia tamen hujus, quam aggredimur, periodi Monetæ vulgò sunt viles, quosdam jam ferè tæduit, ultra Gallienum numos colligere. Sed Author est omnibus *Patarolius*, ut & hujus inferioris seculi monumenta non minus diligenter conquirantur: quæ in tres pariter series, majorum, minorum, atque minimorum tribui posse animadvertit. In quibus majores, tametsi magnis illis superioris seculi numis suppares non sint, rariùs tamen occurrunt, pluris itaque fiunt. Integræ porrô Series numulorum potius horum, quàm numorum, hoc ipso, quod negligantur à multis, erunt aliquid in cimelio, quod plurimis aliis desit. I.

Sed

Sed & historiam labentis hujus temporis nihilòseciùs illustrare commodum, immo in multis & restituere poterunt. Doctissimo certè *Joberto* numulos probè expensos, liquidò jam docùisse, quod silebat historia, in *Flavia* gente, unde *Constantinus M.* aliam stirpem *Flavios Valerios*, aliam *Flavios Claudios*, aliam *Flavios Maximos*, aliam demum *Flavios Julios* constituisse.

Jobert. in Demonstrat nov. p. m. 483.

II. PUB. Novos mihi animos addis, residuas pariter Adversas jucundiùs contemplandi, minori quidem lucro curiositatis, quæ oculos pascit pulchritudinis specie, majori tamen emolumento rationis, quam eruditio recreat. Præprimis me allicit, quòd brevì tenebris tam Cymmeriis idolatriæ emergere sperans præclaro fidei lumine, velut Sole quopiam colesti, plenis radiis Romanum per orbem oriente, recreari concupiscam. TULL. Emergemus nocte atra, diem salutabimus: sed hinc quidem crudelissimus adhuc persecutionis turbo animum lædet; inde brevi suppullulans Arii pessimi hæresis, crassissimæ nebulæ in morem contra fidei solem consurgens, multa nos voluptate interdicet. Numis historiam præmittamus.

III. Initio porrò memoriâ repetas, velim, dictum à me Dialogo superiore, ægrè admodum à Senatu obtinuisse *Carum*, ut, à militibus acclamatus, imperare sineretur, pessimi filii *Carini* metu. Occiso *Caro*, & primo insuper anno etiam *Numeriano* per *Aprum* Generum necato, indignati milites contra *Carinum*, acclamârunt *Claud. Valerium Diocletianum*, Salmonis in Dalmatia nobili genere ortum, & à matre *Dioclea* primùm *Dioclem* dictum, imperio sibi an. 284. delato. Fortitudine bellica inclitus, neque prudentia destituebatur: idololatria verò immaniter desipuit, superbia admodùm tumuit, crudelitate inhorruit. Hic, cùm videret, imperium pluribùs adhuc Tyrannis, maxime verò allemannicæ gentis creberrimis gravissimisque incursionibûs uudique perturbari, boni publici causâ statuit, Potestatem Augustam in plures partiri, ut, si non singulis hostibus, provinciis certè magis vexatis, singuli Imperatores feliciùs prospicerent. Ergo *Marc. Aur. Valer. Maximianum*, rustica stirpe Sirmii in Pannonia natum, manu armata mire valentem, sed truculento sævissimóque ingenio, Co-Augustum sibi, atque imperii Collegam assumsit: cui, cùm ipse Orientem sibi servaret, Occidentem regendum commisit, Pacto tamen id factum, ut Collega in omnibus sibi obsecundaret: siquidem *Diocletianus*, quam sibi partito imperio Authoritatem, diminuere videbatur, alia ex parte, Divos fratres *M. Aurelium* & *Luc. Verum* æmulatus, Augustæ concordiæ gloria tantò reddere auctiorem connisus est. Neque in hoc uno Collega

lega ejusdem industria stiterat: Cæsarem insuper ipse dixit *Galerium Maximianum*, cognomine *Armentarium*, qúod greges olim pavisset, è Dacia ortum, hominem impurissimum atque crudelem: quemadmodum & *Valer. Maximianus* alter Augustus pariter Cæsarem assumsit *Flav. Valer. Constantium*, à pallore vultus *Chlorum* appellatum, Principem optimum, amabilem, liberalem ac strenuum. Sic erant Collegæ Augusti, & Collegæ Caesares.

Solio autem Augusto tot fulcris subnixô, duo potissimum animo secum præcepit *Diocletianus*: Primùm quidem, ut imperium adeò scissum ac perturbatum uniret denuò atque pacaret: Alterum, ut CHRISTI sacra orbe toto exscinderet. Omnia siquidem mala imperio evenientia deorum irâ accidere putabat, qui indignè ferrent, Christiani nominis homines undique invalescere. Et poterat sanè tot Principum, summa cum potestate in Ecclesiam sævientium, truculentia spiritum eidem elidere, nisi veritas ipsa, & sapientia Patris legem dixisset æternam: *Nec portæ inferi prævalebunt adversùs eam.* Ergò sacrosancta illa & adoranda Numinis providentia, suis quæque nectens ordinibus, quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, egit hìc certè, quod dudum Propheta patiens comminatus est: *Apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat: Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* Et *Diocletianum* quidem, à superstitiosissimo Jovis cultu *Jovium* cognomine, *Maximianum* deinde *Valer.* Co-Augustum, ab Herculis nimia religione dictum *Herculeum*, extrema omnia fidei Christianæ comminatos esse, neque segniter intulisse hoc solummodo nomine, quòd Christiani Rempublicam evertere viderentur, non armis, non motibus, non inquietudine, sed deorum neglectu, fidem tibi certissimam faciat Columnæ illius, Cluniæ in Hispania asservatæ, Inscriptio apud Cl. *Patinum*, quæ sic habet:

IV.

Job. 5. v. 13. & 14.

Diocletianus Jovius &
Maximianus Herculeus
Caess. Augg.
amplificando per orientem & occidentem
imp. Rom.
&
nomine Christianorum
deleto qui Remp. evertebant.

Patin. Impp. p. 354.

Quomodo porro in astutia sua ambo deprehensi, & dissipatum pravorum horum consilium, inde seriò demum animadvertas, optimè Publi, unicè velim, quòd *Maximianus Herculeus*, assentiente *Diocletiano*, Caesarem dixerit *Constantium Chlorum*, Principem naturâ mitissimum, Christianis faventem, immo Christianum, qui, Scriptorum complurium testimonio, priusquam saltem diuturno ex morbo decederet, fidei professionem clam in manus Sacerdotum deposuit. Quòd si verò nihil etiam horum omnium foret, satis tamen erât, quòd Tyranni illi crudelissimi *Constantii Chlori* in Augustum fastigium adlectione, filio ejusdem *Constantino M* viam ad solium commodissimè insternerent, cum quo deinde orbi ferè universo imperare cœpit Christiana Religio. Nonne hoc pacto destruxit *Maximianus*, quòd *Diocletianus* ædificabat? Nonne per diem incurrebant tenebras, quasi in nocte, sic palpabant in meridie? Parce mihi, Publi lectissimè, quòd hic longior fuerim: interest sanè nostra, ut fortissimo considerationis munimine fidem nostram commodùm firmaremus. PUB. Agnosco Numen, atque accipio libenter: si plura porro de negotii hujus sacrorum Christianorum evertendorum successu me docueris, gnaviter auscultabor. TULL. Redeundum nobis in viam: sufficit tibi audire, infandos istos persecutores omnibus quidem furiis in Ecclesiæ perniciem condixisse, ita, ut rivi currerent, immo flumina sanguinis, à fidelibus profusi, nihilosecius tamen propitio DEO evenisse, ut sanguis Martyrum semen continuò fieret Christianorum.

V. *Diocletianus* autem, historiam ut persequar, *Aprum*, qui generum suum *Numerianum* Aug. occiderat, ipse morte multavit: *Carinum* devicit, & necavit: Ægyptum rebellem compescuit, Achilleo sublato: Bagaudas in Gallia, quorum Duces Ælianus atque Amandus tyrannidem arripuerant, debellavit: Quinquegentianos vicit ac Persas: tandem una cum Augusto Collega, *Maximiano*, Romæ aureo curru tirumphavit. Postquam verò per annos ferè viginti imperâsset, Nicomediæ abdicavit, suam se in Dalmatiam recipiens, hortóque colendo intentus. Sponte id factum si esset, foret equidem, quod miraremur: sed aureus ille *Lactantii* Liber de Morte Persecutorum è tenebris in lucem demum vindicatus docet, coactum ad id à *Maximiano Galerio* sive *Armentario*, non nisi multis cum lachrymis purpuram posuisse. Rursum deinde, ut imperaret, invitatus, simulatâ id pervicaciâ renuit, in omnia tamen, quæ gerebantur, studiosè intentus. Postquam verò à *Constantino*, quem unicè pertimuit, Religionem ejus Christianam subodoratus, atque à *Licinio* ad nuptias Constantiæ evocatus esset, neque compareret, fictis rationibus in speciem obtentis, ac propte-

D. Lactant. de Mort. Pers. c. 18. & 9. apud Ill. Spanh. T. II. p. 513.

propterea minaci responso amborum Principum territus foret, maximè, quòd *Maxentio* atque *Maximino* favisset, vitam sibi veneno ademit, An. Chr. 312. ætate ad 70. annos proximè, aut forsitan ultrà provecta, Scriptores sacri existimant, tædium illud, quòd Christiana Religio tot è ruinis amplior tamen semper exsurgeret, non parùm eundem ad mortem ultrò sibi consciscendam impulisse.

Maximianus Herculeus, multarum non minùs victoriarum gloria insignis, ægerrimè quidem imperii abdicandi consilium iniit, abdicavit tamen eadem die Mediolani, qua Nicomediæ *Diocletianus*. Postea nihilominus imperandi denuò cupidus, dum filius *Maxentius* se Augustum dixisset, ad eum se contulit, imperii consortium rogaturus: verumtamen ab eo rejectus, confugit ad generum *Constantinum*; Sed novas ibi turbas adversùs tutatorem hunc suum molitus, effecit tandem ut jussu ejusdem Massiliæ laqueo suffocaretur, An. ætat. 60. VI.

Maximianus Armentarius (quem ne cum *Maximiano Herculeo* aliquando confundas, hìc moneo) primùm Caesar dictus à *Diocletiano*, hoc verò abdicante factus Augustus cum *Constantio Chloro*, in Christianos longè attrocissimus fuit, deliciis præterea atque libidine ad insaniam defluxit. In Persas primùm infelix, deinde felicissimus fuit: contra *Maxentium* autem potuit nihil. *Severum*, atque *Maximinum*, sororis filium, Caesares fecit, & primo citiùs defuncto, *Licinium*. DEO autem tyrannidem ejus summam in Christianos, & luxuriam contaminatissimam ulciscente, inguinalibus ulceribus vermibúsque miserrimè contabuit, An. imp. post *Diocletianum* 7. Chr. 311. VII.

Constantius Chlorus primum cum Helena, piissima conjuge, procreavit *Constantinum*, quem postea Magnum dixêre. Sed à *Maximiano Herculeo* Caesar dictus, Helenam dimittere, & Flaviam Maximianam Faustam ducere debuit, privignam Herculei. Postea cum *Maximiano Armentario* Augustus factus, vicit Allectum Tyrannum, & Allemannos ingenti clade affecit. Valetudine usus parum firma, fidelis Christi, ut fertur, discessit An. ætat. 56. imp. Aug. 2. Chr. 306. Solium Constantino filio reliquit, sed ab æmulis pluribus arduè vindicandum. Jam quales tibi sint Numi, tu, optime Publi, recense. VIII.

PUB. Sunt mihi plures numi primùm quidem *Diocletiani* majori minorique ex ære, radiante quidam, laurea alii corona: circum caput porrò lego: Vel, IMP.*erator*. C.*aesar*. CL.*audius*. VAL.*erius*. DIOCLETIANUS. P.*ius*. F.*elix*. AUG.*ustus* Vel breviùs: IMP. DIOCLETIANUS AUG. Unicus, quem utraque sui facie ut pingeres præ omnibus selegisti, apud me exstat itidem æreus parvus. *Adversa* caput habet laureatum: IX. Tab. II. Nu. XV.

 Legen-

Legend*a* est: DIOCLETIANUS AUGUSTUS. In *Aversa* sequitur: CONSUL VII. P.*ater* P.*atriæ* PROCOS.*ul.* In area figura stans cum veste talari, laureatæ similis, sinistram habens involutam, dextra globum gestans: infra literæ SMRT. ac ponè stella. Atque ad postremas has literas stellam quoque, & nomen Proconsulis maximè hæreo. TULL. Eundem hunc numum Ill. *Spanhem.* ceu rarissimum, sed aureum, pingit, addito altero, qui vice *Diocletiani* sistit *Maximianum Herculeum*, typo aliàs prorsus eodem. Æreum tuum esse genuinitati non officit: quid namque obsistat, eidem modulo jam aurum, jam argentum, jam æs à monetariis suppositum fuisse? Plurimi certè numi aurei apud alios vel argentei, apud alios ærei exstant. Figura *Aversæ* ipsum redhibere videtur *Diocletianum*, capite laureato, globum tenentem ceu Symbolum summi imperii, ut Parte II. uberiùs ex me disces. Literæ inferiùs scriptæ ad mentem Doctiss. *Joberti* Urbem, ejusque officinam monetariam, ubi numus percussus, designare possunt, si sic quidem eas legeris: S*ignata*. M*oneta*. R.*omæ*. T.*ertiâ*. subaudi Officina. In numo *Spanhemii* pro litera M. literam H. in imagine positam errorem calcographi arbitror. Stella apposita Monetarii signum videtur.

Spanh. T. II. p. 469.

X. *Proconsulis* porrò elogium erat, quod singularem hunc numum in omnibus tuis efficeret, cæterisque digniorem, quem pingerem. Rarissimum quippe elogium istud in numis Imperatorum, quod, tamesi *Augusto* concessum jam fuerit, inque lapidibus plurium Imperatorum sæpè inscriptum legatur, tacet tamen in numis. Certè Ill. *Spanhemius*, quem nihil propè in hac parte pulcherrimæ eruditionis fugisse videtur, unius tamen duntaxat numi de genere Conturniatorum, quorum fides sæpenumero suspecta, mentionem facit, Trajanum ita laudantis: IMP. CAESAR TRAJANUS AUG. P. M. TR. P. PR. PROCONS. Mox ad geminos *Diocletiani* atque *Maximiani* numos delabitur, addito adhuc alio *Constantini M.* Vocem porrò PROCOS. alii legunt *Proconsul*, aliis *Proconsule* placet: utroque autem modo veteres scripsère. Officium erat, ut, cùm Consules Romæ existentes in tot exteris provinciis res omnes administrare minimè possent, unaquæque Provincia Proconsule suo regeretur, qui ea, quæ per Consules Romanos decreta sunt, sedulò observari curaret. Si provincia bellum haberet, Proconsules ad eam *cum imperio* profecti sunt, vel exercitum ducentes, vel eum, qui jam in provincia existeret, habituri: pacis tempore *sine imperio* & *habitu* ibant *pacato*. Ortum ferè huic muneri dedit ingens apud Patritios luxus, quibus, ne minores Consules essent atque Prætores, tantúmque vitæ splendore, quantum dignitate illos anteirent, ingentibus opus erat expensis, sumtuúmque profusione immodica, quem-

Acerra nov. Philolog. P. II. p. 237. seqq.

quemadmodum etiam apud Senatores. Ad hoc porro cum plurium res domestica minimè quidem sufficeret, ut ære alieno plurimùm gravarentur, ad levandam denuò inopiam suam Provincias obtinuerunt, idque electione libera atque propria, vel sorte, si quando æmularentur. Annuum erat hoc munus, merito tamen, aut favore, prorogari diutius poterat. Provinciæ verò in Consulares ac Prætorias tributæ sunt: his præfecti *Proprætores*, illis præpositi *Proconsules* audiebant.

Ex quo deinde *Augustus* summa omnia Reipublicæ munera cum summo imperio suo conjunxit, Consulari verò dignitate Urbanarum duntaxat rerum potestatem consecutus est, *Proconsularem* præterea in perpetuum admisit, ut in provinciis pariter posset omnia. Harum tamen alias Senatui indulsit, alias sibi servavit: quos porro suis Rectores præposuit, *Legatos* dixit, quos Senatus ad suas dimisit provincias, Proconsules sive Proprætores dicebantur. Cæteri post *Augustum* Imperatores tantum aberat, ut de summa potestate sua quidquam imminuerent, ut potiùs modis omnibus eam adaugerent. Ergò *Proconsulis* perpetua dignitas summo illi fastigio Imperatoriæ Majestatis jam veluti naturâ adhæsit, ea amplitudine, ut in omnibus omnino cùm Augusti tum Senatus provinciis obtineret. Atque in hujus communionem subinde & Cæsares, per id imperii collegæ facti, venerunt. Aliis etiam hæc potestas in pluribus provinciis, neque tamen in omnibus, uti nec in perpetuum facta. Infimi autem ordinis erant, quibus una solûm provincia plerúmque ad annum a Senatu indulta. Interim *Proconsules* æque sub libera republ. atque Imperatoribus sibi quidem ipsis pecuniarum avara corrogatione, præ omnibus consuluerunt, cum nimii essent, non infrequenter in jus postulati.

XI.

Spanhem. unde supra.

PUBL. Plurimúm me denuò sed breviter erudiisti. Quem tamen rursum pinxisti *Maximiani Herculei* numum, iterum novus est. Cùm namque alii plures, quos teneo, suprà à me recensitis *Diocletiani* numis ferè sint similes, hic unus majorum è numero in *Adversa* habet *Maximianum* laureatum ornatu majestatis, qui dextra râmum gestat, sinistra quasi chartam convolutam. *Legenda*: DN. MAXIMIANO FELICISS. SEN. AUG. TULL. Sic lege: D.*omino*. N.*ostro*. MAXIMIANO FELICISS.*imo*. SEN.*iori*. AUG.*usto*. PUB. Hæc verò insolita. TULL. Exponam, si *Aversam* quoque recensueris. PUB. Stantem à dextris videre mihi videor Imperatorem, pallio involutum, capite laureato, & adstantem mulierem pari capitis ornatu, quæ sinistra hastam puram tenet, dextræ digito indice infrà jacentem globum commonstrat: ille porro, veluti fœminæ seriò colloqueretur, sinistram pariter versus globum demittit, dextram ante se attolit. *Legenda:* PROVIDENTIA DEORUM QUIES AUGG.*ustorum*. Infra literæ AQ. S. TULL. Lege; AQ.*uileæ*. S.*ignata*, nimirum moneta.

XII. Tab. II. Nu. XVI.

Imperatorem recte vidisti: fœminam porro eam esse existima, quam *Legenda* exprimit, Providentiam nempe deorum, cujus hasta divinitatis est Sceptrum. Globus infra cubans summi imperii symbolum, ut ajebam numo priori: colloquentium gestus divinum illum indicant motum, in animis *Diocletiani* atque *Maximiani* excitatum, ut imperium ambo ponerent, atque hoc pacto globi gestandi, i. e. imperii gubernandi, mole ac pondere exsoluti, à tot immensis laboribus, quibus hactenus summa quidem æternaque cum laude perfuncti essent, ultro quiescerent. PUB. Capio jam pondus verborum: *Providentia deorum quies Augustorum*. Diis nempe debebant tribuebantque Romani, quod uterque Monarcha vel ultrò, vel, quod supra è Lactantio monueras, à *Maximiano Armentario* coacti quidem, pacati tamen sine turbis bellisque civilibus, Augusto se solio abdicassent. TULL. Rectè existimas: abinde verò facilè quoque pervades, quid in *Adversa* elogium *Senioris* sibi velit. PUB. Nimirum, cum abdicantibus utrisque mox *Maximianus Armentarius*, atque *Constantius Chlorus* Augusti evaderent, illi Augusto nihilominus nomine honorati, à junioribus illis veluti Seniores discernerentur. TULL. Optimè singula assequeris. Parem prope numum *Diocletiani* pingit Ill. *Spanhemius*, atque alium haudmultum absimilem *Maximiani* à Cl. *Tristano* ait vulgatum. Sed tuus in hoc discrepat à numo *Spanhemii*, an etiam ab altero *Tristani*, ignoro, quod in illo Imperator æquè ac Dea aristas teneant, globus veró penitus absit.

XIII. PUB. Adhuc in Legenda *Adversæ* voces illæ D. *omino* N. *ostro*, item FELICISS. *imo* mihi peregrinæ sunt: hæc siquidem elogia nullus hactenus numorum meorum exhibuit. TULL. Ambos hos Imperatores post abdicationem suam universis admirandam omnibus propè honorum titulis obrutos quodammodo esse, testibus Lapidibus juxta ac Numis, Ill. *Spanhemius* amplissimè docet, ubi legitur: *Senioribus*, *Optimis*, *Beatissimis*, *Fortissimis*, *Felicibus semper Augustis*: immo & de *Maximiano* singillatim: *Magno*, *Invicto*, *ac super omnes retro Principes Fortissimo &c.* uti & in altero ejusdem numo à morte cuso: *Divo Maximiano Seniori* Parenti *Optimo*. *Domini* verò appellatio *Augusto* quidem invisa fuit, sicque ab eo rejecta, *veluti maledictum in eum sive opprobrium conjiceretur*, ut *Suetonius* cum *Philone*, *Tertulliano*, ac *Dione* testantur. De *Tiberio* rursum aliqui horum memoriæ produnt, dictum aliquando, cùm Dominus appellaretur, ab eo fuisse, *DOMINUM se servorum*, *Imperatorem militum*, *Principem cæterorum esse*. *Cajus* porro *Domini* nomen ita concupivit, ut *Philo* ad eum scribens inter cœtera dicat: *Principe in DOMINUM verso*. Post cum *Domitianus*, ut fidem iterum *Suetonius* facit, epistolarum quampiam ita inchoare voluit: *DOMINUS DEUS noster sic fieri jubet &c.*

Sueton. in Tiber. c. 22. Dio L. 56. Philo Legat. ad Cajum. Sueton. in Domit. c. 13.

Cæteri

Cæteri subinde *Domini* vocati, ita ut vox ea non honoris esset nomen, sed potestatis. In Numis tamen latinis non antè illam legas, si numum *Getæ* Antiochenum demseris apud Cl. *Vaillant*,, qui habet: VICT.*oria* DD.*ominorum.* NN. *ostrorum*, videlicet *Caracallæ* ac *Getæ*, quam in *Caro*: deinde in *Diocletiano* ac *Maximiano*: donec brevi pôst ævo subsequente ita invaluerit, ut pro voce *Imperator* vulgò substitueretur.

Parum autem ambobus his, de quibus loquimur, Tyrannis, fuerit, *Dominos* dici, siquidem *Diocletianus* cognomen *Jovii* & *Herculei* postea *Maximianus* non modò acceperint, quod impensissimè *Jovem* atque *Herculem* colerent, sed quod utroque hoc à numine stirpem quoque traxisse existimari voluerint, atque idcirco pro Jove & Hercule ipsi haberi. Unde *Mamertinus* ita quidem eos alloquitur: *Sancte JUPITER & HERCULES bone*! Aliâs dicit, *Aurea secula auspiciis JOVIS & HERCULIS renasci.* Omnium verò luculentissimè ab eo dicitur, *non opinione traditus, sed conspicuus & præsens JUPITER cominus invocari, non advena sed Imperator HERCULES* adorari. Quibus omnibus Ill. *Spanhemius* invictum testem addit præstantissimum de maximorum genere numum, ubi videas, Monetam cum cornucopiæ ac bilance sua mediam stare Jovem inter ac Herculem, ac supra legas: MONETA JOVI ET HERCULI AUGG.*ustis.* PUB. Apage dæmones spirantes! aut, si omnis sic fœteat Antiquitas, ipsum me removes. Residui interim numi *Constantii Chlori*, atque *Maximiani Armentarii* difficile nihil aut insolens habent, nisi quod ii, qui eos Cæsares laudant, laureatis tamen capitibus sint, ac radiante corona. Circùm *Constantii* vultum lego: FL.*avius.* VAL.*erius.* CONSTANTIUS NOB.*ilissimus.* CAES.*ar.* vel AUG.*ustus.* Armentarii Numos hæc circumstant: GAL.*erius.* VAL.*erius.* MAXIMIANUS &c. TULL. *Galerii* prænomen, quo solo junior hic Augustus a seniori *Maximino Herculeo* discernitur, diligentissimè nota.

XIV. *Mamertin. in Genethliac. c. 10. & 16.* *Spanhem. T. II. p. 494.*

DIALOGUS X.

De Numis CONSTANTINI Magni, eorumque, à quibus Imperium sibi vindicavit, atque CRISPI filii.

PUBLIUS.

I. ITa divisum in superioribus Principibus imperium quodammodo tandem rursum coaluit? TULL. Sic demum, ut propitio Numine ad solum *Constan-*

stan-

stantinum M. pòst plures insignes, cælitùsque cum præsignatas tum concessas victorias rediret, Cruce Dominica triumphante, & Augusto in solio constituta. PUB. Velim jucunda hæc ordine à te discere. TULL. Erat *Galerio Maximiano* Imperatori, aliàs *Armentario* dicto, soror quæpiam, cujus filii fuere *Flav. Valens* sive *Valerius Severus*, & *Maximinus*, antea *Daza* cognomine, postea *Galerii Valerii* prænomina assumens. Ambos avunculus Cæsares dictos imperii fecit consortes, *Severum* Italiæ & Africæ præficiens, *Maximino* Orientales provincias assignans. Arripuit autem etiam *N. Aurel. Valer. Maxentius*, quem *Maximiani Herculei* filium sive verum sive suppositum dicunt, Romæ imperium, postquam Prætorianos ingentibus promissis ad se acclamandum induxisset, homo impurus, sævus, incantationibus addictus, Christianis iniquissimus: quo tamen *Severus* pariter atque *Maximinus* nihilo mitiores fuere.

II. Cùm porro *Maxentio* tyrannis sua initio jucundiùs aliquanto succederet, etiam patrem ejus *Maximianum Herculeum* imperii, quod dudum invitus abdicaverat, ambitus novus spesque non parva incesserat. E Lucania itque Romam ad filium se conferens, itinere *Severum*, qui contra *Maxentium* moverat, fraude circumventum capi jussit, atque occidi. Neque sic tamen apud filium impium gratiam iniit, exesse ab eo protinus jussus. Interim *Maximianus Armentarius* Imp. in *Severi* occisi locum *Caj. Valer. Licinianum Licinium* imperio subrogavit. *Constantinum* porro, *Constantii Chlori* Imp. filium, ex prima Christiana sanctâque conjuge Flavia Helena, in oppido Naisso, Daciæ mediterraneæ, quam hodie Serviam dicimus, prognatum, à patre Cæsarem dictum, à militibus vero Augustum acclamatum, *Armentarius* unice timuit, tum quòd fortissimus esset, tum quòd Christianis impense faveret. Quare eundem adversùs Sauromatas sive Sarmatas, gentem crudissimam, cum exercitu misit, non tam ut vinceret, quàm ut periret. Secus tamen accidit: *Constantinus* namque barbaro illo hoste usque ad internecionem deleto, ducem pariter eorum vinctum ad *Maximianum* adduxit, ipse tam illustris victoriæ incomparabili gloria celebratus.

III. Mortuo autem sub an. 311. *Maximiano Armentario*, primùm quidem *Licinius* contra *Maximinum*, Armentarii nepotem, sæpè exercitum duxit, initio clade affectus, semel deinde ac iterum acie superior, donec *Maximinus* fugienti similis Illyricum peteret. *Constantinus* porrò à Senatu contra *Maxentium* tyrannum Romam invitatus, cælesti quadam visione crucem sibi ostendi, dicique audiit: IN HOC VINCE. Unde militum scutis literam X. superaddito circumflexo, ut Crucis esset figura, ac nominis CHRISTI monogramma, indi jussit, atque amimo plenus in

in hostem movebat. *Maxentius*, quem superstitio tenuit, si Urbe Roma nimirum excederet, se periturum, exercitum suum per pontem Milvium emisit: quoniam tamen prælium decretorium præsensit, ac *Constantini* novit virtutem, ipse tandem secutus est. Hoc viso Romani pontem post eum magna ex parte dejecerunt. Coorto prælio adfuit cœli virtus, ac hostium animis ingenti terrore injecto *Maxentium*, suósque terga vertere cöegit: ad pontem verò dejectum properantes, cùm se mutuò comprimerent, Tiberi hausti sunt.

Sic debellato *Maxentio*, fama & imperio potitus *Constantinus*, plurimum favit Christianis, solum jam Collegam habens *Licinium*, quem alii Christianum, ethnicum alii existimant: sententia tutissimè in medio relinquitur. Id porro certum, utrosque armis sæpiùs collisos, superiorem verò semper *Constantinum* fuisse, tandem, vitæ gratiâ *Licinio* sed privato factâ, solum ubique imperâsse ab Anno 324. Quare imperium bifariam dissecans in Orientale tribuit & Occidentale, postquam Byzantium funditus instauratum mire ampliasset, *Novamque Romam* dici voluisset, licèt potius *Constantinopolis* nomen ab instauratore suo Urbi huic adhæserit. Christi Sacris præterea, cui & victorias & imperium unicè debuit, ut ocyùs imbueretur, curavit: eadem deinde multis edictis sancivit, suisque omnibus suasit, deorum fana atque delubra occludi vel dirui jussit, Christi Ecclesias undique, maximè Jerosolymis erexit, ubi per Matrem D. Helenam Crux Dominica feliciter inventa est. Ut Arius coacto concilio damnari posset, Majestate sua effecit. Prope tamen vitæ finem Arianis Episcopis fermè nimiùm favit, licèt ab Arii communione semper abhorreret: Baptismum insuper ab *Eusebio* Nicomediæ Episcopo Ariano, morti propinquus recepit, ut Cl. *Papebrochius* in Actis S S. Maii *Tom. V. in Vita Constant. M.* latè demonstrat. Quæ porro de ejus cúm S. Sylvestro Pontifice amicitia feruntur, qui ei, lepræ curandæ, causa balneum è sanguine infantium adhibituro, Baptismum suaserit, immo contulerit, ac Urbem Romam vicissim, aliaque multa donò pro Ecclesia receperit: hæc, inquam, singula Criticis hodie nondum invictè asserta videntur. Animo præterea à sævitia, quæ propè crudelis erat, non omnino alienus fuit: qui filium suum *Crispum*, nobilissimum Cæsarem, probúmque ac fortissimum principem, ad solum novercæ mendacium, præcipiti sententia jussit occidi, fraude verò comperta, ipsam hanc conjugem suam balneo nimis accenso comburi præcepit. Pari ferociæ impetu etiam *Licinium* juniorem, sua è filia nepotem, antè à se Cæsarem dictum, causa omnes latente, su- IV.

bitò interemit. Obiit ipse An. 337. postquam à morte patris annos 31. solus 13. imperâsset, ætatis annos 63. sive 65. numerâsset.

V. PUB. Omnium horum, de quibus dixeras, Numi ærei apud me sunt. *Severum* video laureatum cum titulo: SEVERVS NOB.*ilissimus.* CÆES.*ar.* Succedit eodem ornatu *Maximinus*, cujus caput hæc circumstant: GAL.*erius.* VAL.*erius.* MAXIMINUS NOB. CÆS. Numus *Maxentii* laureatum pariter eum sistit, insuper tamen cum sceptro, cui Aquila insidet, sive Consulari, sive victoriæ indice, quam contra *Severum*, atque *Licinium*, ut narrabas, initio retulit. *Legenda*: IMP. C.*æsar.* MAXENTIUS P.*ius.*F.*elix.* AUG.*ustus.*. TULL. Cubare apud te penes *Maxentii* numos parvulum alium video, qui *Romulum* laudat, Divum quidem jam sive defunctum. Erat is filius *Maxentii*, Cæsar ab eo dictus, matura tamen morte ante patrem sublatus. PUB. Sequitur *Licinius* denuò laureatus, circùm quem lego: IMP.*erat.* FL.*avius.* VAL.*erius* LICINIAN.*us.* LICINIUS P.*ius.* F.*elix.* AUG.*ustus*, TULL. Et hic apud te socium habet, quem præterire tè nolim. PUB. Teneo principem juvenem galeâ tectum, telúmque humero gestantem, cum lemmate: D.*ominus.*N.*oster* VAL.*erius.* LICINIAN.*us.* LICINIUS. NOB.*ilissimus.* C.*æsar.* TULL. Filium itaque ne cum patre confundas, te vultus ætatisque disparitas admoneat. Violentam ei ac præcocem mortem ab Avo *Constantino* decretam existimant, dolo Flaviæ Maximianæ vel Maximæ Faustæ, conjugis *Constantini M.* quæ pertimuit, ne filiorum suorum hæreditas cognatorum communione minueretur.

VI. PUB. E pluribus *M. Constantini* numis, in quibus ille vel laureatus, aut galeâ tectus, sive velatus apparet, unum tu elegisti, quem pingeres, qui eum Diademate cinctum, lapidibus pretiosis constante, repræsentat, cum epigraphe: IMP.*erator.* CONSTANTINUS MAX.*imus.* AUG.*ustus.* TULL. Novum videlicet mihi hic numus disserendi argumentum de *Diademate* præbet, facem nobis denuo undique præferente Ill. *Spanhemio*, qui nihil omnino, quod è numis discere licet, ab ovo ad mala repetere neglexit. Erat Diadema fascia quædam caput incingens, ornansque, & summæ in omnes potestatis apund unum residentis certissimus index, Regibus Ægypti atque Orientis unicè familiare, quemadmodum in *Exercitationis* nostræ *Proœm. Tab. I.* satis vidisti. Ibi pariter *Dial. II. n. 6.* audîsti, Lysimacho, ut *Justinus* testatur, Regalis, quam postea adeptus est, potestatis omen auspicatissimum fuisse, quòd M. Alexander diadema vertici suo detractum, vulnerato ejusdem capiti, sanguinis sistendi causâ, imposuerit. Antea verò *n. 2.*

Tab. III. Num. I.

Spanhem. T. II. p. 389 seqq.

Quiri-

Quiritibus diadematis usum odio tam internecino fuisse, ut *Pompeio* crimini datum sit, vel crus tantùm obvelandi solummodo causâ fasciâ illigâsse: *Julio* præterea *Cæsari* mortem accelerâsse, quòd M. Antonius lauream fasciis albis intertextam eidem imposuisset. Sed & ipsi quoque *Antonio* impune non cessit, quòd Ægypto subacta se diademate cinxerit: inde námque & ipse in suspicionem tyrannidis veniens, Reipublicæ hostis est dictus. Noluere proinde Imperatores, qui alia omnia ausi sunt, ejusmodi tamen capitis decus tanto periculo emere. Primus *Cajus* Caligula parum abfuit, teste *Suetonio*, quin *diadema statim sumeret, atque ita speciem principatus in Regni formam converteret*: immo *etiam sumsisse* tradit *Victor Aurelius*. Eundem *Caracalla* secutus, actu in numis duobus diademate inlustris adparet, sed, interprete Ill. *Spanhemio*, non tam, ut Rex ipse videretur, quàm Regum se victorem, eorum spoliis divitem, Parthorum vidilicet, exhiberet: deinde, ut Alexandrum M. quem dici & haberi se voluit, ipso capitis ornatu referret. Quamquam his omnibus fucum duntaxat Romanis fecisse verosimillimum sit. *Elagabalus* quoque Diademate, sed domi, est usus, non veluti Regia veste, sed quæ Sacerdotibus Solis in Syria, qualis fuerat ipse, solemnis erat. *Aurelianus*, quem suprà *Tab. II. n. 12.* è numo quopiam tuo, mihi admodùm sublesto, non quidem in diademate, corona tamen gemmis ditissima depinxi, primus apud Romanos Capiti diadema innexuit, & gemmis atque aurea veste est usus, quod *Dial. VIII. n. X.* ex *Victore* te monui. In numis tamen ejusdem id genus ornamenti, diadema nimirum, haud videas, præterquam in uno *Tristani*, ubi *Aurelianus* in Adversa cum diademate, Waballathus in Aversa cum laurea comparet. Hunc numum ab exteris cusum opinari licet: alias vero non desunt alii numi, qui Aurelianum cum laurea, Waballathum cum diademate sistunt.

Tutò itaque statui potest, primum *Constantinum M.* fuisse, qui gemmati diadematis usum, ceu solemnem abinde Augusti Imperii notam invexerit, de quo iterum *Victor* sic habet: *Habitum Regium gemmis, & caput exornans perpetuo Diademate.* Lapidibus pretiosis illud contextum cum *Cedreno* etiam *Eusebius* fatetur, excusans præterea, fuisse Principem hunc Maximum animo quidem ab omni vestium luxu alienum, usum tamen auro ac gemmis, Augustam ut Majestatem in oculis intuentium decentiùs gereret. Summi verò duntaxat imperii notam sub *Constantino* hoc *M.* diadema evasisse, liquidò asserere videtur *D. Chrysostomus*, agens alicubi de Constantio Gallo, & Juliano, deinde Apostata, fratribus Cæsaribus renunciatis, sicque de Juliano perorans: *Et suscepit ille sine DIADEMATE Principatume. Hæc enim potestatis illius, &* VII. *Victor Epit. c. 41.*

S. Chrysost Orat LXIV. in S. Babylon. *quam Frater habuerat, mensura quædam erat.* Discere profectò hic licet, *Constantium Gallum* gessisse *Diadema*, quoniam Augustus erat, non gessisse Julianum per quinquennium, quo solummodo Cæsar fuit, ac Diadema *mensuram* fuisse inter utrumque, quæ demonstraret, ambos quidem Cæsares, sed solum Gallum Augustum fuisse.

VIII. His porrò eruditissimè in medium productis Ill. *Spanhemius* numum mox subdit *Juliani*, qui omnia hactenus asserta prima quidem fronte penitus convellere videtur: siquidem eum cum Diademate, nihilo secius autem cum titulo Nobilissimi Cæsaris sistit. Mox verò doctissimè animadvertit Vir idem Ill. eruitque è numi Aversa, in qua descripta sunt Quinquennalia prima Principatus *Juliani*, hunc numum percussum esse, cum, *Ammiano Marcellino* teste, *Julianus* paulo antè a militibus Augustus jam esset acclamatus. Ut ergo talem se gereret, diadema gestat in numo: cum tamen adhuc viveret *Constantius* Imperator, qui cum Cæsarem dixerat, Augusti vocabulo reverentiæ causâ abstinens, Cæsarem duntaxat Nobilissimum scribi se voluit.

IX. Adhuc itaque tenet Sententia prior, à tempore *M. Constantini* Diadema supremi Augustique fastigii notam fuisse, atque insigne: filiis tamen & propinquis, cum Cæsares dicerentur, ab ipso *Constantino*, & sequentibus Augustis, concessum esse quandoque Diadema, sed vile, non gemmatum, eóque tenore, ut eo non semper uterentur. Vile illud fuisse satis liquet ex hoc solo *Ammiani* suprà laudati loco, ubi de *Juliano* *Quinquennalia Augustus jam edidit, & ambitioso Diademate utebatur, lapidum fulgore distincto: cùm inter exordia principatus adsumti vili corona circumdatus erat, Xystarcho similis purpurato.* Non sempet Cæsares diadema, licèt indultum sibi, gestâsse, numi eorum produnt, qui vel nuda vel laureata demum capita ostendunt, quamvis & in aliis eos videas, pari cum Augustis diademate insignes, licèt Cæsares solummodo scribantur. Arguere propè mihi liceat, incuriam quoque sive licentiam Monetariorum sæpè sæpius etiam hic intervenisse.

Ammian. Marcellin. L. XXI. p. 1.

X. PUB. Documento esse mihi possunt, quos æreos teneo & minutos, numuli *Crispi*. Unus quippe eorum armatum eum sistit, cum clypeo & hasta, ac capite laureato, alter cum diademate gemmato: utriúsque porro eadem Legenda. FL. *avius.* JUL. *ius.* CRISPUS NOB. *ilissimus.* CÆS. *ar.* TULL. Fuit hic primogenitus *Constantini M.* filius, necdum Principis, ex Minervina conjuge prima: Rebus bellicis contra Gallos & Allemannos gestis clarissimus, populo in amoribus summis, Patrum ac Reipublicæ spes. Sed noverca Fausta, ejus metuens virtutem, ne filiis suis præferri eum contingeret, sollicitatæ conjugalis fidei manifesto

festo eundem mendacio detulit Augustum apud Parentem: qui nimium credulus, ingenti cum omnium luctu, mortem ei decrevit, non longè pòst ipse leprâ à DEO multatus; Fausta verò in balneo calumniæ hujus causâ exusta est.

DIALOGUS XI.

De

Numis Filiorum, & Agnatorum Constantini M. ad usque JOVIANUM.

PUBLIUS.

PLures adhuc mihil supersunt Numuli magna nominum Cognatione, in quibus aberrare tironi pronum esse formido. TULL. Ii nempe, qui filios *Constantini M.* discretione non adeo magna oculis tuis subjiciunt. Tres illi numero fuêre, eidem nati ex altera conjuge sua *Flav. Maxim. Fausta*, prava atque superba muliere, *Constantinus* nimirum, *Constans*, atque *Constantius*. In hos Pater omne Imperium tribuit, *Constantino* Europâm trans Alpes, *Constanti* Italiam, Illyricum, Græciam, & Africam, *Constantio* denique Orientem assignans. Sed *Constantinus*, bello alias fortissimus, bonique. Principis initio speciem præbens, superbiit brevi, & ambitu quietudinem pessumdante, fratris *Constantis* ditiones invasit, vincente ubique exercitu suo, donec Aquilejam usque penetraret. Ibi verò, collatis infeliciter signis, in fuga insidiis circumentus, neque agnitus à militibus, equô deiicitur, humique confossus, in Alsam fluvium projectus est, An. imp. 3. Chr. 339. ætat. 25. I.

Mox victor *Constans* occisi fratris provincias usurpavit: quæ imperii amplitudo ad ignaviam eum deflexit, fecitque, ut sui securus, in delicias quidem profusus, in milites parcus esset. Quare hi animis ab eo aversi, *Magnentio* ansam præbuere Tyrannidis affectandæ: qui, cum *Constante* congressus, eum fugavit, & inertiæ causa per Ducem Gaizonem ad Helenam oppidum occidi curavit, A. 350. imp. 13 ætat. 31. II.

Solus jam post fratres *Constantius* superstes, movit in *Magnentium*,

 cum III.

cum quo semel & iterum atrocitate tanta pugnavit, ut præstantissimus Romanæ militiæ flos utraque ex parte concideret: postremo tandem hunc tryannum penitus contrivit, ut in fugam actus, ipse sibi vitam eriperet. Quare Orientis simul & Occidentis Dominus, veluti Pater, postquam *Vetranionem* pariter atque *Sylvanum* æmulos dejecisset, & in Sarmatas pugnasset feliciter, ivit in Persas: ibi verò minori egit fortuna, sed & victorias abrupit metu *Juliani*, quem, Alemannico bello clarissimum, milites jamjam Augustum salutavêre. Contra eum ergo festinans, in itinere melancholia correptus, in febrem incidit, ex qua ad Tauri montis radices apud Mopsocrenen, in Cilicia, obiit An. 361. imp. 24. ætat. 45. postquam Arianis plurimùm favens, ingentia in Ecclesiam mala induxisset.

IV. PUB. Singulorum è pluribus apud me numulis talem ubique, quem pingeres, seligisti, qui peculiare quidpiam habeat: maximè diadematum alia semper est forma. *Constantini* quidem numus, gemino unionum versu seorsim fluente, caput ejus incingit, habetque epigraphen: CONSTANTINUS JUN.*ior.* NOB.*ilissimus.* C.*æsar.* Addita vox *Junior*, quæ filium à Patre secerneret. In numo *Constantis* video diadema duplici pariter ordine gemmarum constructum, sed ita connexo, ut fasciam unam conficiat. Legenda est: FL.*avii.* JUL.*ii.* CONSTANTIS BEA.*tissimi.* C.*æsaris.* Hic casus gignendi, ac Beatissimi elogium peculiaria sunt. Tandem *Constantii* numus ejusdem Protomen sistit, i e. caput cum humeris usque ad pectus in lauro, cui gemmæ insertæ, ut dextra elatâ globum, imperii symbolum, præ se fert, quoniam sibi illustri certamine eòque multiplici à pluribus æmulis Occidentem vindicavit. Elogia sunt: D.*ominus.* N.*oster.* CONSTANTIUS P.*ius.* AUG.*ustus.* Ponè collum litera A. & reliquis quidem grandior apposita novum mihi ænigma est. TULL. Eandem vel monetarii signum, aut urbis, in qua cusus est numus, indicem esse interim existima, puta Antiochiæ, Alexandriæ, Aquileæ, &c. cum hujusmodi solita aliás signa percussionis in Aversa minimè compareant, donec à clariore quopiam magistro meliùs edoceare. Est tibi alius *Constantii* numus, qui loco eodem sitùque non A. sed N. literam exhibet, & Nicomediam fortè designat. Diadematum tam variam formam quod attinet, in sequentibus hujus Tabulæ numis aliam iterum aliamque contuebere, artificum nimirum ingenio, qui pretiosa hæc cimelia conflaverant, elegantiùs semper atque splendidiùs confictam & à Monetariis æmula manu expressam.

Tab III. Num. II III. IV.

V. PUB. Neque *Magnentii* careo numis, qui eum in diademate sistunt, his cum elogiis: D.*ominus.* N.*oster.* MAGNENTIUS P.*ius.* F.*elix.* AUG.*ustus.* TULL. Erat natione Gallus, bello inclitus ac Comes Or-

dinum

dinum, *Constantis* ignavia animatus, ut, militum subnixus favore, diadema sumeret, ac Mediolanum Romamque profectus, Italiam cædibus compleret. *Constante* Imperatore per *Gaizonem* Ducem occiso, *Constantio*, fratrem ulturo, acerrimè restitit, fortissimis copiis hinc & inde miserè, maximoque numero cadentibûs. Postremum verò succumbens, fugam arripuit, cumque ira totus infremeret, in rabiem actus, proximos quosque sauciavit, donec suum ipse jugulum peteret. Fratrem habuit *Decentium*, à se Cæsarem dictum, atque Mediolano Galliisque præfectum, qui, cùm in Gallias transiret, & Alpes defenderet, morte fratris sibi nunciata, laqueo pariter vitam sibi finivit. PUB. Et hunc quoque capite nudo minuto in numulo cerno cum titulo: D.*ominus*. N.*oster*. DECENTIUS FORTISS.*imus*. CÆ.*sar*. TULL. Fuit porro utrisque tertius adhuc frater *Desiderius*, pariter Cæsar: quem *Magnentius* in furorem versus gravi vulnere læsit. Convaluit tamen, & supplex *Constantio* factus, vitæ gratiam cum venia consecutus est.

PUB. Ajebas supra, *Constantium* alios adhuc Tyrannos dejecisse: qui illi? TULL. *Vetranio* primus, seu *Britannio*, é magistro cohortium Augustus à militibus dictus, homo simplex & rectus, à *Constantio* circumventus, à suis desertus, præsidium reperit in simplicitate, qua ad Victorem accessit. Nihil enim *Constantius* nisi diadema ab eo reposcens, in gratiam eum recepit, multisque beneficiis ornavit. Haud paulò infelicior alter, quem *Potentianum* alii, alii *Nepotianum* dicunt, *Constantini M.* è sorore Eutropia nepotem. Is Romæ Augustum se dicens, post dies duntaxat 28. ab Heraclida, aliis Aniceto, perfido è Magnentii fautoribus viro, ad sibi colloquendum inductus, obtruncatus est. Tertius *Sylvanus* è Gallia oriundus, à *Constantio* in Galliam missus adversum Germanos, Coloniæ imperium sumsit, cogentibus ferè militibus, & ab ipsis facto tumultu iterum occisus. In hæc tempora Cl. *Bandurio* insuper *Saturninus* Tyrannus tribui debere videtur, quem numus quispiam redhibet, omnes tamen ferè silent Authores. VI.

Hos præter *Constantius* formidabat cognatorûm suorum complures. VII.
Primo: Delmatium, natum ex fratre *Constantini M. Delmatio*, aut juxta alios, Hannibaliano. Cæsar dictus A. 335. Thraciam, Macedoniam, aliàsque provincias sortitus est: sed militari factione, cui *Constantius*, nisi favit, certè non obstitit, in Oriente sublatus est. PUB. Teneo ejusdem numum, ubi lauro incinctus hæc nomina habet: FLAV. DELMATIUS NOB.*ilissimus*. CÆS.*ar*. TULL. Secundò: *Hannibalianum*, prioris fratrem, Nobilissimi præconio æque insignitum, & Regem insuper Regum, Gentiumque Ponticarum appellatum. Quare in numo ejus apud

apud *Patarolium* circa caput quidem nudum legitur: FL.*avio*. CL.*audio*. HANNIBALIANO REGI. Artibûs tamen Constantii periisse pariter putatur. Tertiò. *Constantium Gallum*, denuo *Constantini M.* ex fratre Constantio nepotem, Cæsarem dictum A. 351. & Orienti regendo relictum, cum Imp. *Constantius* adversus *Magnentium* tenderet. Delatus verò, quod crudeliter multa atque ferociter egerit, ab Imperatore velut ad consultandum accitus, capi jussus est à Prætorianis; &, revinctis post terga manibus, capite multatus est. A. 354. Clarissimor. PP. *Harduini*, atque *Genebrierii* sententiâ delectus in numis, *Constantii* nomine insignitis, habendus est: siquidem aliqui ex his huic *Constantio Gallo* potiús, quam Imperatori *Constantio* tribuendi eis videntur, præter aliorum opinionem. Quem verò Eruditiss. *Patarolius* exhibet, *Galli* cognomen perspicûe additum habet: quod in reliquis etiam factum meritò opinari licet, cùm minimè mihi persuadeam, *Patarolium* dedita operâ fallere voluisse.

Superest porrò *Flav. Claud. Julianus*, mox dicti *Constantii Galli* frater, eiusque in locum ab Imp. *Constantio* Cæsar appellatus. Juvenis erat in-
VIII. compositis moribus, annuens oculis, manibus loquens, terens pede: gravibus proinde viris atque prudentibus incompositi animi sui pessima præsagia edere visus. Educatus inter Monachos, & fidei Sacris probè imbutus, pietatem, quam animo ejurabat, callidè tamen foris simulavit. Adversùs barbaros in Gallias missus, undequaque eos vicit, atque compescuit. Tum à militibus Augustus acclamatus, obtulit Imperatori *Constantio*, Augusti nomine, si ita placeret, abstinere se velle, ac sufficere sibi, Cæsarem dici. A morte *Constantii*, quam is metu *Juliani* oppetiit, hic tumbam in funere insecutus, posito id diademate egit, gratidinem simulans, animùmque ab omni demum ambitu alienum. Rerum verò potitus, ovem, qua lupum contexerat, subitò ponens, fidem deseruit, ad idololatriam reversus. Templa deorum aperuit, Pontificis Maximi & nomen & munus suscepit. Catholicos Arianòsque conceptis mirisque fraudibus sese inter collisit: juventutem á literis scholisque prohibuit: Judæis impensè favit, & facultate illis, atque sumtibus maximis præbitis, ut excitare Jerosolymam possent, cœlo tamen invitô, cúm diei cujuslibet labores noctu iterum iterùmque conciderent. Augria crudelia exercuit, non pecorum duntaxat, sed & hominum occisorum exta rimatus. In Persas primùm feliciter movens, deinde a perfido viarum ductore unacum exercitu horridum in desertum perductus, ac hostibus incinctus, cùm vi tandem sibi viam patefacere occiperet, inopino telo, quod, unde demum advolaverit, nemini notum, transfixus, manum saucio lateri intulit, pugnôque sanguinem in cœlum excutiens, hac cum voce exspiravit: *Vicisti Galilæe*! sic Christum blasphemans. Id quod acci-

accidit sub An. Ætat. suæ 31. imp. 2. Chr. 363. Cognomen Apostatæ in historiis tulit, sive, quod eodem recidit, Parabatæ apud *Suidam*.

IX. PUB. Impium hoc caput, nudum quidem apud me minutissimus numulus refert, cum epigraphe: D.*omino*. N.*ostro*. JULIANO NOB. *ilissimo*. CÆS *ari*. In aliis verò barbatum, ac diademate revinctum apparet cum titulis: D N. FL. CL. JULIANUS P. F. AUG. TULL. Pereunte *Juliano* exercitus sic, ut audieras, vada inter & saxa constitutus, *Flav. Jovianum*, aliis Jovinianum dictum, Augustum acclamavit, nullo tamen pacto adducendum, ut imperare vellet, priusquam omnes se milites sacramento Christianam ad fidem obligâssent. Princeps erat pius, Religionis incontaminatæ, cultor literarum, pacis quàm belli amantior. Quare cum Persis etiam pacem sancivit, detrimento tamen non modico publicæ Rei ob tantas quidem temporis illius angustias, finibûs Romanis multum sanè imminutis: quapropter convitia plurima tulit. Rediens in oppido Dadasthana, Galatiam inter atque Bithyniam sito, fullonis in tugurio noctem acturus, prunarum noxio vapore extinctus scribitur, nisi malevoli cujuspiam artibûs damnum perpessus sit, imp. mense 8.vo. PUB. Gemini ejusdem, quos teneo, numi, nomen si mutes, numo *Juliani* persimiles sunt. TULL. Atqui eosdem *Patarol* non obvios scribit, cum omnium hactenus recensitorum numi, Tyrannos si demas, communes sint.

DIALOGUS XII.

De

Numis VALENTINIANI, & subsequentium usque ad ARCADIUM & HONORIUM.

PUBLIUS.

I. IAm Numorum meorum, qui Augustos quidem referunt, in limine stamus, receptissimo, ut in *Exercit. Proæm.* docueras, quamplurium more, qui Cimelia sua cum *Arcadio* atque *Honorio* claudunt. TULL. Hæc tu ita accipias velim, ut suum cuique palatum per te integrum sit; neque enim desunt Cl. Viri, in quibus celeberrimus *Du Cange* suis

ſuis in *Familiis Byzantinis* chorum ducit, qui ad uſque Orientalium Impp. Conſtantinopoli ſedentium finem decurrentes, eorum quoque numos ingenti cura collectos, accuratis typis exſcripſerant, & erudititiſſimis animadverſionibus expoſuerunt. Nos limite noſtro contineamur, qui Rudimenta ſolummodo Rei Numariæ, ludùmque Tyronum aggreſſi ſumus.

II. PUB. Qui itaque apud me proximè cubant, *Valentiniani* numulos atque *Valentis* arripio. TULL. Fratres illi germani fuêre, patre Gratiano, Pannone, viro tam robuſto, ut funem portanti quinque milites è fortiſſimis eundem eripere nequirent: quapropter Funarii cognomen indeptus eſt. Filiorum autem diſpar omnino conditio fuit. *Valentinianus* quippe, quem milites *Joviano* Succeſſorem Auguſtum dedere, bonus erat, & pura religione: unde & aula *Juliani* Apoſtatæ olim exceſſit. Bellica præterea fortitudine claruit, eloquio erat diſertus, ſed in iracundiam proclivis. Alemannos, Francos, Saxones, Britannos egregiè vicit: in Sarmatas porro movens, Quados ad pacem rogandam coëgit. Legatorum tamen, quos ii ſubmiſerant, proterviâ commotus, ita excanduit, ut ſubita morte interiret, A. 376. Ætat. 55. imp. 12. *Valens*, quem frater mox imperii Collegam aſſumſerat, & Orienti præfecit, falſus animi fuit atque crudelis, inſuper Arianus, Judaeis ampliùs ac paganis, quam domeſticis fidei favit. Contra eum Procopius Tyrannus Conſtantinopoli inſurrexit: ſed à ſuis captus, atque Imperatori extraditus eſt, qui eum diſcerpi, proditores verò pariter occidi mandavit. Cum Perſis Gothisque ancipiti primò Marte congreſſus, à poſterioribus deinde victus atque fugatus, una cum vili, quò ſeſe receperat, tuguriolo fertur exuſtus, A. 379. Æt. 50. imper. poſt fratrem 3. PUB. Ambo in numis ſuis diademate ornati comparent, primùsque ſcribitur: D. N. VALENTINIANUS P. F. AUG. Alter: D. N. FL. *avius*, JUL.*ius* VALENS P. F. AUG.

III. TULL. Fuêre *Valentiniano* gemini filii, natu major quidem *Gratianus* è conjuge prima *Severa* Catholica, minor *Valentinianus* è conjuge altera *Juſtina*, muliere Ariana. Priorem pater Cæſarem dixit atque Auguſtum, Principem pium, humanum, liberalem, qui Orientem à morte *Valentis* regendum commiſit *Theodoſio*, Duci fortiſſimo, eúmque imperii Conſortem adlegit. Occidentem ipſe rexit cum fratre, etſi nondum adulto. Alemanos & Saxones, Chriſto confidens, acerrimo prælio vicit: ſed cùm inde ſui ſecurior negligentiùs ageret, barbarosque Romanis præferret, *Flav. Magnus Maximus* tyrannidem arripiens, eidem prævaluit, ultrò ad æmulum deficiente exercitu ſuo. Quare Imperator ab Andro-

gatio

gatio, Præfecto *Maximi*, occisus est, A. 372. Ætat. 29. imp. 5. Relicti abinde *Valentiniani* tutelam suscepit *Theodosius*, qui, *Maximo* ad Sisciam victo, Aquilejæ capto, & una cum filio *Victore* per milites occiso, parvulo Augusto utrùmque imperium asseruit. Hic verò Ariano dogmate à matre corruptus, Catholicis dirus fuit, & in his præcipuè S. Ambrosio, Episcopo Mediolanensi. Vindictam sumsit Arbogastus, quem Comitis dignitate ornaverat, ea tamen usque adeô abusum, ut ipsi Augusto moderatus, eum tandem occiderit, A. 379. Ætat. 26. imp. 16. PUB. *Gratianum* teneo, diademate fulgentem, & circùm lego: D. N. GRATIANUS P. F. AVG. *Valentiniani* numus eum cum galea sistit, diademate coronata, telo insuper ac clypeo. Legenda: D. N. VALENTINIANUS JUN.*ior*. AUG.*ustus*. Sed neque *Maximi* Tyranni monetâ destituor, cui diadema gerenti titulus: D. N. FL.*avius*. MAG.*nus*. MAXIMUS P. F. AUG.*ustus*. At verò *Victoris* numum nullum reperio. TULL. Nempe rari sunt illi, & neque *Maximi* nimis frequentes.

PUB. Ad *Theodosium* itaque ordo vertit, cui Magni cognomen addi persæpè audivi. TULL. Haud equidem immeritò fert. Clarissimis quippe parentibus Honorio atque Thermantia Italicæ in Hispania natus, bello inclitus, lapsurum jamjam Occidentem sustentavit, Tyrannis *Maximo*, *Eugenio*, & *Arbogasto*, non sine discrimine confectis. Post *Valentinianum* juniorem imperans, Romæ triumphavit, oppressæ per Gothos Reipublicæ restitutor, hostium terror, ac columen imperii. Princeps præterea bonus erat, Religioni sanctè addictus, justitiæ tenax: qui si peccaverat, Thessalonicæ indomito iræ impetu septem civium millia trucidans, Mediolani tamen D. Ambrosii sanctam Authoritatem reveritus, Christianæ pœnitentiæ inauditum Principibus omnibus spectaculum edidit, atque exemplum, quantum reverentiæ ipsa etiam Purpura Sacrosanctæ Christi Ecclesiæ debeat. Obiit ex hydropisi Mediolani, A. 395. æt. forte 60. imper. 16. PUB. Is, quem tu pinxisti è pluribus, numus ejusdem, solus atque unicus est, qui circa caput diademate clarum sic habet: D.*ominus*. N.*oster*. FL.*avius*. THEODOSIVS PP. AVG. An P.*ater*. P.*atriæ* legam? TVLL. Minimè, sed P*er Petuus*: quamquam *Patarol* existimet, non incongruum fore, siquis P.*ius* P.*erpetuus* legere mallet. Cæterum ipsa litera P. hic geminata in hoc numulo tuo, ut clarissime cernis, neque cæteris *Theodosii*, nec aliorum hujus temporis numis apud te addita, ferè peculiaris est. Monet tamen Ill. *Spanhemius*, consonare hoc elogium solemnibus illis apud Quirites acclamandi formulis: *Dii te servent! Dii te perpetuent!* jamque in *Trajani* quopiam numo legi: AVG.*ustus*. PERP.*etuus*. uti & in numis *Alexandri Severi*, ac *Probi*, *Constantii* quoque,

IV.

Tab. III. Num. V

Spanhem. T. II. p. 383.

 qui

qui natu minimus erat *Constantini M.* filius, in *Leonis* deinde utriusque, *Anthemii*, *Phocæ &c.* Sed & in plurium numis videri *Romam Perpetuam Augusti*, *Perpetuitatem Augusti*: immo & *Julianum* scribi *Semper Augustum*: quod quidem elogium nostris etiamnum Caesaribus placet.

V. Tab. III. Num. VI. & VII. PUB. Nos ad *Arcadium* & *Honorium* progrediamur, iterum à te pictos. Prioris numus æreus, inter parvos mediæ formæ, Protomen ejus sistit, cum Diademate, telo præterea, & arcu, quasi sagittam emissuri: desuper manus protensa capiti ejus laurum imponit. Hæc sanè singularia sunt. Legenda: D. N. FL.*avius.* ARCADIUS P. F. AUG. Alter, quod pariter novum, *Honorium* integra facie sistit, armatum & galeâ tectum, quam Diadema circumdat cum titulo: D. N. HONORIUS P·F. AUG. Dextra telum humero imponit, lævâ clypeum gerit.

VI. TULL. Ambo videlicet fratres erant, *Theodosii M.* filii minorennes: quorum natu majori *Arcadio* Orientem regendum, & *Rufinum* tutorem legabat, Honorio Occidentem sub *Stilicone* tutore. *Rufinus* porro, fide pupilli posthabita, Alaricum Gothorum ducem in *Arcadium* incitavit, qui provincias plurimas miseré populatus, per exercitum, quem *Stilico* Orienti suppetias misit sub Duce *Gaina*, contritus est, atque disjectus, moxque *Rufinus* pariter occisus. Ita suo tempore *Eutropio* quoque *Gildoni*, atque *Gainæ* acciderat, qui omnes tyrannidem affectârant. Erat itaque *Arcadius* quam bonus, tam infelix Princeps, in D. Chrysostomum insuper, nequitiâ Eudoxiæ conjugis, plurimùm acerbus. Obiit Byzantii An. 408. ætat. 31. imper. 13.

VII. *S. Prosp. Aquit. de Promiss. DEI. L. III. c. 34.* Refert autem D. *Prosper Aquitanicus*, confugisse aliquando ad *Arcadium* Armenos Christianos, ut Persarum tyrannidem evaderent: quos cùm Persæ repeterent, *Arcadium* in eos pauperum causâ movisse, jámque ingruente conflictu æreas cruces in vestibus militum comparuisse, indéque luculentam Augusti victoriam consecutam esse. Quam ut æterna memoria consecraret *Arcadius*, numos percuti jussisse, qui crucem referrent. Horum è numero & tuus hic numus est, in quo manus desuper protensa Augustum lauro coronat, victoriæ cælitus collatæ perpetua testis. Aversa in parte stat Imperator cum labaro in dextra, cui Christi monogramma, quod ex P græco & X. transverso conjunctum, Crucis insuper figura est, impositum: sinistrâ elatâ victoriam sustentat, quæ laurum eidem imponit: humi captivus ad pedes procumbit. *Prosper* quidem hos numos aureos scribit, & in Asia vulgò circumlatos: nihil verò impedit ære eosdem pariter excusos fuisse.

VIII. PUB. An porro *Honorius* æquiori fortuna est usus? TULL. Immo iniquiore. Cùm enim negligens esset, ignavus, bellicisque à rebus penitus

tus alienus, *Stilico*, quem imperii cupido non minùs ac Rufinum incesserat, eundem, quem priùs vicerat, *Alaricum* pellexit in Occidentem: qui perfidiam Romanorum detestatus, venit, sed exercitus Romanos absque discrimine acerrimè undique cædens, Romam cepit An. 409. & paulò mitiùs habuit, ac Români quondam sub Tito Jerosolymam: solis Ecclesiis Barbarus illa vice pepercit. Abinde *Honorius* non *Stiliconem* modò, sed & filium ejus *Eucharium*, qui imperium animo jam præceperat, è medio sustulit. Alaricus Romæ Attalum præfecit, ipse in Siciliam navigaturus obiit: cui Ataulphus succedens, miseram urbem denuo populatus est, ac sororem *Honorii*, cui *Gallæ Placidiæ* nomen, captam, deinde conjugem duxit. Interea Alani, Vandali, ac Suevi, Gallias primùm, mox & Hispaniam undique populati sunt: quibus obviam Ataulphus festinans (nam Hispaniam Gothi tenuerant:) in itinere ex insidiis periit. Successor Wallia fœdus pepigit cum Romanis, Attalum præterea *Honorio* tradidit, atque *Placidiam* restituit, pollicitus, pugnare se velle in Alanos, sed Romanis vincere. Erant porrò *Honorio* strenui admodùm Duces, quorum princeps *Constantius* quidam *Placidiam* accepit conjugem, Caesar dictus, & imperii consors, brevì tamen defunctus. Hujus insigni fortitudine, aliorúmque præterea virtute, *Honorius* complures tyrannos debellavit, triumpho eapropter splendissimo Romæ invectus. Gothis tamen Gallias infestantibus, loca multa, quæ habitarent, concedere debuit. Rei Catholicæ adversùm hæreticos plurimùm profuit: tandem ex aqua intercute obiit Ravennæ, An. 423. æt. 39. imp. 28.

PUB. Nunc tandem labore iterum eximio defunctus es, Honorande Tulli, in tot Numorum *Adversis*, titulos quod attinet, capitúmque ornamenta, me tam disertè erudiens, ut pronum mihi jam sit, omnes propè numos in hac quidem parte nullo ferè negotio recensere. Præterea verò gratissimo quoque compendio Romani Imperii historiam quatuor ultra secula enarrasti. Hæc singula porro ad meas tu preces, commodo meo, mei amore. Immensa profectò mihi debita cumulas, nullo ære diluenda. Sed Artium hic est, atque Literarum bonarum mitissimus genius, apud eos certè, quorum solidæ eruditioni vitia fucum non faciunt, ut sibi non tam discant, quàm aliis, jugibúsque vigiliis tandem adepta aliorum in manus ultro ac libentissimè tradant. Hos inter ipsa bonitas tua, belleque docendi contentio, perpetuam tibi lauream nectet. IX.

TULL. Habes quidem, optime Publi, è plurium seculorum historia tenues stillas, habes in titulos Imperatorum, & capitum ornamenta breves expositiones: mihi verò illas non debes, sed summis illis atque Clarissimis Viris, unde hæc omnia tibi congessi. Illos, subinde te X.

coram laudatos, cùm olim adultior factus adieris ipse, maria doctrinæ omnigenæque eruditionis eos affundere attonitus sanè miraberis, atque tum demum intelliges, rudimenta duntaxat tenuia esse, quæ nunc à me hauris. Parvus nimirum in parvulis, sive tironibus, sensus est, quibus omnia nova facilè magna sunt. Velim itaque, amantissimi officii locò id mihi redhibeas, ut adolescens aliquando in hac arte Numaria, & fortè jam sapiens ultra magistrum, quæ modò miraris, deinde non spernas.

XI. PUB. Parce his talibus, obsecro: quid æquiùs tandem, quàm ut meo me modulo undique metiaris? Super est verò, quod orem. Sunt mihi etiamnum Numi nonnulli sequentium Augustorum, à prioribus admodum diversi, mihique magnopere obscuri: tua porro Tabula III. forula adhuc plurima vacua habet. Quæso te, ea comple, ut & in his me erudias. TULL. Nôsti, Augustas nobis, & Augustorum Agnatos superesse, quibus hic locus relictus est. Quia tamen sic postulas, sequenti Dialogo nonnihil saltem oblectare te volo. PUB. Mel quidem & ambrosiam mihi loquêris.

DIALOGUS XIII.

De Numis LEONIS, JUSTINI junioris, atque PHOCAE.

TULLIUS.

I. Tab. III. Num. VIII. MUltos inter, qui tibi supersunt, ævi ferè postremi impolitæ omninò fabricæ, numos tres solummodo deligo, exemplum tibi præbituros, quomodo reliquos vestiges. PUB. Ad primum jam oppidò hæreo. Qui enim ibi toto pectore visitur Imperator, vultu integro, mitram veluti gestat, humili acumine, cui Crux insidet, & quæ gemmarum ornatu diadema quodammodo referat. Purpura & ipsa unionibûs dives, dextro humero fibulam habet, è qua fila gemmis gravia dependent: lævâ, quam solam ostendit, quod nescio tenet bacile, sceptri forsitan subiens locum. Inconcinnè autem facta sunt omnia. *Legendam* crux præit: literæ, cùm verba sint graeca, latinæ quidem, sed formæ peregrinæ ac barbaræ, quas sic trepi-

trepidè lego : ✝ LEON BASILEUS ROM.*eon.* TULL. Majores tandem animos sume : recte legisti. Novum autem, quod *Leoni*, nec verò illi tantùm, placuerat elogium, animadverte.

Primùm cum Græcus natione, & factione *Asparis* Successor *Avito* datus Leo, Princeps esset religioni apprimè deditus, pius, atque devotus, primam laudem in Cruce ponit, ejúsque signo Christianum se gloriatur, imitandô nobis omnibûs exemplô. Quia deinde Occidens Gothorum sub tyrannide ita laborabat, ut supremum jam propè spiritum ageret, voluit tamen *Leo* debitum sibi ejusdem imperium hoc saltem nomine vindicare, quòd se*Regem Romanorum* appellaret: hoc námque voces *Basileus.Romeon* denotant. Tiaram quod attinet, ac splendidum vestium cultum, ejus aliam semper, & aliam in cæteris tuis numis observas rationem ac formam, pro libitu sanè Principum, quibus subditus Oriens sat amplas divitias, luxúmque gemmarum suffecit. Numi porro sui temporis cultum, quo utebantur Augusti, perspicuè docent. Imperabat autem *Leo* annis ferè 17. Gothis per Duces semel ac iterum clades insignes infligens. Dux tamen Basiliscus classem propè totam amisit: quod dedecus anno sequenti *Leo* gloriosè reparavit, obiens tandem ex profluvio ventris An. 474. II.

PUB. Alter, quem pingere tibi placuit, numus æreus medius utraque sui facie unum mihi ænigma est. Qui namque in adversa ponè se consident, senior alter, alter juvenis, vittâ rotundâ non sine gemmis tecti, nimbo insuper in capite cinguntur, qualem sanctis circumdant. Senior dextrâ globum gestat cum cruce imposita, laeva Crucem aliam longam erectam tenet, quam & junior dextra sua sustentat. Legenda est: D.*ominus*, N.*oster.* JUSTINUS P.*ius.* F.*elix.* AUG.*ustus.* TULL. Non alios hìc vides, quàm geminos Imperatores, Patrem unum Justinum II, Filium alterum *Tiberium*, imperii consortem. Cætera omnia ornamenta atque insignia, Crux maximè gemina atque nimbi, pietatis sunt tesseræ. *Octavius* námque *Caesar*, ut ex *Dial. III.* memineris, rerum jam undique potitus, Augusti elogium nomenque sibi poposcit, quòd sancta vocarent Augusta Patres ; ut hoc quidem pacto Majestatem suam, ceu sanctam, summæ omnibus esse debere venerationi innueret. Quò etiam ii respexisse videntur, qui coronam radiis nitentem, quæ initio solis Divis addebatur, viventibus quoque Imperatoribus, cùm florente tum labente imperio, tribuêre. Postremi ergo hujus ævi Monarchæ suam æquè majestatem sacratissimam censuerunt: quia tamen Christiani erant, eandem sibi non sua duntaxat assumtione, aut eorum, à quibus imperium acceperant, beneficio, sed DEI solius benignitate ac providentia III. Tab. III. Num. IX.

con-

conceſſam profitebantur. Quare circulos aureos, quos *nimbos* appellant, capiti ſuo circumdari volebant, qui & ſanctam ſuam innuerent majeſtatem, & gratiæ cæleſtis in ea conferenda præſentem illapſum: quemadmodum nimbus in Sanctorum quoque capitibus coruſcans, nota eſt Gratiæ, quæ ſanctos facit, & Gloriæ, quæ ſanctos cronat. Non ergo putes, per nimbum hoc quidem in numo, vel conſimilibus pluribus, homines vitæ ſanctimonia claros, ſed ſacratiſſima Caeſarum majeſtate conſpicuos, deſignari. Omnis quippe Poteſtas à DEO eſt, teſte Apoſtolo atque adeo origine ſancta. Id autem ſe agnoſcere palàm Imperatores teſtati ſunt, quòd Sceptri locò inſuper crucem elegerint, eámque etiam globo, avito imperii Symbolo, impoſuerint.

IV. PUB. Pulchrè jam Nimbi, crucisque mihi ratio liquet: ſed, cùm *Legenda* ſolum laudet *Juſtinum*, ſanè *Tiberium* filium aſſequi non poteram. TULL. Idcirco perpetua Numorum atque Hiſtoriæ communio eſt quibus utrisque ad veritatem invictè adſtruendam carere vix poſſis. Quas namque Hiſtoria res geſtas enarrat, eas numi, cum re nati, quaſi tum primùm gererentur, ipſis etiam oculis objiciunt: & cùm plurima ejusmodi ſint, ut verbis explicari ſatis non queant, numorum imagines ſuppetias eunt. Contrà verò quod in Numis anguſta ob ſpatia pingi quidem, ſed deſcribi integrè non potuit, prolixa Hiſtoriæ capita affatim exponunt. Hanc ſi conſulimus, duos *Juſtinos* invenîmus: quorum prior Orientis imperio præfuit poſt *Anaſtaſium* ab An. 518. ad An. 527. per annos 9. & pauculos dies. Hujus eſſe non poſſe numum hunc tuum præſentem, evincit annus imperii XI. in averſa notatus. Eum in ſolio nepos ex ſorore Magnus ille *Juſtinianus*, Legum Parens, excepit ab An. 527. ad an. 565. Huic denuò nepos ſuus ſucceſſit *Juſt.nus II.* ad usque annum 578 imperio annis 12. geſtô: & hunc demum præſente in numo intueris. Qui, cùm anno adhuc undecimo imperii ſui *Tiberium Conſtantinum*, e Thracia oriundum adoptaret, teſtem adoptionis cudi volebat hunc numum, qui & ſe, ac filium ſuum adoptione novum, throno eodem conſidentes, ſceptrumque commune gerentes, exhiberet.

V. PUB. Reconditum mihi numi hujus myſterium reſeras, ejus *Adverſam* exponens: unde gaudio tantò majori de *Averſa* te diſſerentem exſpecto, quæ mihi non paulò abſtruſior eſt. TULL. Meræ quidem ibi literæ ſunt, quæ tamen antea Cl. Viros cura multa confecerant, donec eam, quam modò ferè amplectuntur, ſententiam Doctiſſ. *Jobertus* contra noviſſimam *Harduini* opinionem mira ingenii dexteritate egregiè tuitus ſit: quem quidem nunc facilè ſequor. Volebat nimirum Cl. *Harduinus*, literas ſingulares, quæ tam frequenter in numis ævi infe-

ferioris occurrunt, vel plures numero, vel pauciores, jam disparatæ, immo per totas numorum areas, figuris carentes, magnoperè dispersæ magnitudine præterea inæquales, Tributa duntaxat, aut Vectigalia, sive Dona gratuita designare, quæ à mercatoribus, & quidem Gallis, semel, iterum, tertiùm, sæpiusque exsoluta sint: ut adeo Numi hujusmodi non fuerint *monetæ currentes*, sed *signa* duntaxat *rationis* (vulgò Rechen-Pfennig) quæ solis demum mercatoribus deserviissent. Eas præterea literas, quamvis conjunctæ forent, initiales tamen solummodo esse, singula verba constituentes, non item voces abbreviatas. Sic. v. c. dum in numi segmento, i. e. infimo loco, per lineam transversam quasi resecto, scribitur CON. legendum fore: C. *ivitates* O. *mnes*. N. *arbonenses*. CONST. ita reddendum: C. *ivitatum* O. *mnium*. N. *arbonensium* S. *ecundæ*. T. *ributum*. CONOB. idem esse, ac. C. *orpus*. O. *mnium*. N. *egotiatorum*. OB. *tulit*. Et tuo hoc in numo M. magnum media in area, quod Græcorum computo 40. valet, innuere quadragesimum numum, & quidem bis exsolutum, quoniam B. infra ponitur, quod Græcis indicat 2. à Civitatibus omnibus Narbonensibus designatis per CON. infra in Segmento notatum.

Ut porrò brevis sim, præcipuus contra novissimam hanc opinionem *Joberti* Achilles est, incredibile sanè videri, cùm in omnibus propè ævi inferioris numis hujus modi literæ occurrant, tot *Signa Rationum*, in usum duntaxat mercatorum procusa, hodie nullo numero superesse, omniumque versari in manibus, quos numi delectant: econtra verò *monetas* Quiritum *currentes* omnes interiisse, quas tamen tam immensi populi causâ infinitas propè fuisse necessarium erat. Cæteras quampluri- mas non infimi ponderis rationes apud ipsum Auctorem diffusius lege. Antiquæ porrò Eruditorum de his literis sententiæ tuendæ hæc jacit fundamenta, omnium Rei quidem Numariæ curiosorum consensu subnixa. VI.

Jobert. Instr. V. p. m. 128 seqq.

I. Literas, quæ in numis singulæ sunt, maximè, si punctis dividantur, quod tamen ævo potissimum inferiore à Monetariis ferè neglectum, initiales esse abbreviatas, proinde minimè disiiciendas, si conjunctæ sensum reddant bonum & congruentem, præcipue, dum voces hujusmodi aliis atque majoribus in numis integrè scriptæ occurrant. Sic TR. P. rectè legi *Tribunitia Potestate*, P. F. A. *Pius Felix Augustus*. Si porro è pluribus literis conjunctis vox nulla congrua erui possit, ad magna duntaxat ingenia pertinere, sensum earum dextere assequi. VII.

Idem Instr. XI. p. 365. &c.

II. Familiare in numis esse, ut *Aversæ* eorum notas exhibeant, quibus VIII.

quibus anni imperii apud Principes, urbium nomina, ubi monetæ signatæ fuerant, immo & numerus officinæ monetariæ, unde prodiit numus, pretium tandem monetæ designentur: ita tamen, ut hæc omnia non undique legas simul conjuncta, sed jam imperii annos omissos, jam urbis infimum numi segmentum ferè semper esse destinatum.

IX. III. Cum florente imperio numi magni semper Asses forent, medii Semisses, parvi Trientes, Quadrantes &c. id quod neminem fugere poterat, usu monetarum quotidiano id liquidò docente, opus tunc non fuisse, peculiaribus notis populum de pretio admonere. Posteaquam verò, collabente imperio, immo jam collapso, magnæ monetæ oppido rarescerent, minimæ porrò infinita veluti cumulo succederent, illud incommodum natum esse, ut major quæpiam summa numerari non nisi cum fastidio posset, pluresque ejusmodi numuli adeò pusilli digitis frequenter exciderent. Quare rursum grandiores monetæ percussæ, quarum una denis, vicenis, sive tricènis, aut etiam quadragenis de genere minimarum æquivaleret: quod certè tam magnopere varium atque diversum earum pretium describi in numis debebat, maximè cum id, pro vario Reipublicæ Augustique Ærarii statu, augescere jam, mox iterum decrescere debuerit.

X. IV. Tandem promiscuum in numis usum placuisse literarum numeralium græcarum, sive latinarum, majorum præterea, sive minorum: immo utrásque consultò sanè datáque opera persæpè adhibitas, cùm res planè diversæ eodem in numo forent numerandæ, ut, sive idiomatis, sive magnitudinis, numeralibus in literis disparitas rerum numeratarum diversitati exactiùs responderet, atque omnis demum confusio, facilè alias suboritura, commodius evitaretur. Hæc Doctiss. *Jobertus*

XI. Progrederer jam ad numum explanandum, nisi græcis in numeris peregrinum te esse ac hospitem nossem. Arabicis modò utimur numeris, atque latinis: utrobique verò plurimùm interest, quo demum stent singuli loco, dextro an sinistro, Sic. XII. si scribas, sive 12. duodecim numeras: mox ut situm mutaveris, scripserisque IIX. legam octo, & per Arabicas notas conversas 21. unum supra viginti intelligam discrimine plurimo. Contrà verò apud Pelasgos cujuslibet literæ numeralis idem omnino est valor, sive dextram teneat, sive sinistram: per me itaque licet, ΓI. scribas, sive IΓ. semper tredecim dicam. Ut porrò vim discas literarum græcarum, quam in computo habent, Tabellam hanc inspice.

1. A.

1. A.	50. N.
2. B.	60. Ξ.
3. Γ.	70. O.
4. Δ.	80. Π.
5. E.	90. ϙ. q. ϟ. ϛ.
6. ϛ'. vel ϛ	100. P.
7. Z.	200. Σ. vel C.
8. H.	300. T.
9. Θ.	400. Υ.
10. I.	500. Φ.
20. K.	600. X.
30. Λ.	700. Ψ.
40. M.	800. Ω.

Quibus addere libet, Græcos anni vocabulum persæpe prorsus omitere, solis numeris positis, vel demum uti voce Λυκάβαντος, pro qua scribunt L. latinum, non Λ. græcum, quod, cùm aliàs valeat 30. numerum totum facilè turbaret: aut vocabulo ETOΥΣ, quod integrum ponunt, vel ET. saltem, sive ETO. ne denuo litera E. quæ 5. numerat, Epochæ officiat.

Atque his demum præmissis, quæ omnia commodo tuo cedere velim, ænigma tandem *Aversæ*, omnino ad sensum Doctiss. *Joberti*, nullo jam negotio tibi pandere occipio. Crux loco supremo notata religionis est index. M. litera trabalis in medio græca hic est atque numeralis, indicans, numum hunc tuum majorem 40. minutis æquivalere. B. inferiùs positum rursum numerus græcus est, innuens officinam 2. dam Urbis Constantinopolis, ubi cusus est numus, cujusque nomen infra in segmento initiali hac syllaba CON. designatum est. Restant à dextris non juxta sed supra se positæ literæ ANNO, & ad lævam XI. quæ undecim conficiunt: ut adeò legere debeas, monetam hanc editam *Anno* imperii JUSTINI XI. *mo*. XII.

PUB. Nullo propè, fatear enim, me numo tam bellè recreasti: qui continuò sequentis pariter me Oedipum facit. In *Adversa* quippe *Phocam* Imperatorem cerno, mira capitis vitta gemmatâ, cujus acumini Crux insidet, tectum, stola præterea Crucis in modum ante pectus cubante ornatum, qui dextrâ elatâ globum, cruce iterum imposita, gestat. *Legenda* est: D. *ominus*. N. *oster*. FOCAS PER. *petuus*. AUG. *ustus*. In *Aversa* rursum sub Cruce 4. XXXX. juxta se posita numerum mihi quadragesimum pandunt: unde hunc numum 40. minutis numulis pen- XIII. Tab. III. Num. X.

 sitatum

ſitatum exiſtimo. Infrà ſyllaba CON. denuo mihi Conſtantinopolim eloquitur, in qua numus ſit cuſus, & Δ litera græca adjecta, quæ 4. valet, officinam, è qua prodiit, quartam. TULL. E tripode ſingula. *Juſtinum* porro, de quo ſupra, ſequebatur *Tiberius*, quem adoptaverat, quatuor duntaxat non amplius imperans annis. Eundem *Mauritius* in ſolio excepit, quo in annum 21. conſedit, Princeps alioqui pius & fortis, ſed avaritia ita correptus, ut in grave DEI judicium incideret, pœnitens autem ac mire patiens, cum, quinque filiis ſuo in conſpectu necatis, ipſe quoque trucidaretur: quod miſerum fatum conjugem pariter, ac tres inſuper filias involvit. Carnifex horum omnium erat hic *Phocas*, qui monetarii ignorantiâ per F. in numo deſcribitur, à rebellibus militibus Imperator acclamatus, & tyrannidem ſuam unacum libidine annos 8. exercens. In eum varii Reges, *Mauritii* cædem ulturi, inſurrexere: à quibus ad incitas tandem redactus, morte æque terribili periit, A. 610. Sed manum de tabula: pergendum eſt ad Auguſtas, optime Publi, quarum tu multas tenes in numis, ego non niſi aliquas pingam, ut earum exemplo ipſe in reliquis ſapias. PUB. Tuis hæc res mea nutibus ſtat: mihi, quò demum conduxeris, induſtriè ſequi utile juxta atque jucundum experior.

DIALOGUS XIV.

De

Numis quarumdam Auguſtarum, & M. AGRIPPAE.

TULLIUS.

I. SI hiſtoriam apud te perſequi Auguſtam animo præcepiſſem, eundum jam mihi per ſingulas foret Auguſtas, quo maximo nomine non modò Conjuges ſuas; ſed & Avias, ac Matres, Filias & Neptes præterea, atque Sorores, ſummi illi Romanorum Monarchæ dignati ſunt. Verumtamen, quod toties à me audiſti, Tironi tibi Rudimenta duntaxat Rei Numariæ breviter ſpondeo. Itaque è pluribus, quas

argento

argento vel ære signatas possides, Principibus Fœminis aliquas tantùm, & illas quidem Dialogo huic postremo, atque Tabulæ meæ III. complendæ selegi, quæ dissiti sunt ab invicem argumenti, & peculiaria quædam, mihi quidem docendi, tibi verò discendi capita suggerent.

Principio quidem animadvertas, cùm ipsa Augustorum potestas, jam tum quidem summa, timidè tamen, ut ita dicere fas sit, adhuc procederet, sui nondum omninò secura, cautè Principes in cudendis Conjugum, sive Filiarum suarum monetis egerunt: quippe qui suos demum vultus, non nisi Senatu largiente, numorum ope in vulgus dederunt. Unde, monente Ill. *Spanhemio*, Magistro nostro, de *Livia* quidem *Drusilla* quam *Augustus* quartam Conjugem suam unicè deperibat, numi antè, quàm ab excessu demum *Augusti*, sub *Tiberio* vulgati sunt. Alias verò *Tiberii* cum uxoribus suis ante principatum divortia (aliter tamen infra de *Vipsania* sentiemus) *Caii* deinde cum Sororibus amor incestus, *Galbæ*, atque *Othonis* cælibatus, *Vitellii* breve imperium, passa non sunt, vultus Conjugum numis consignari. Solus *Claudius* in domum Augustam sibi cognatam, hac in parte magnoperè pius, plurium illius gentis utroque in sexu memoriam per numos restituit. *Nero* pariter vitæ sub finem complures edidit numos, una parte suum quidem vultum habentes, altera verò Imperatorum priorum, subinde & fœminarum principum: cujus causam geminam Cl. *Tristanus* conjecit. Primùm quidem, quia verebatur, ne Senatus numos suos, ut antea *Caii Caligulæ*, aboleret, aliterque fundi curaret: à quo proinde eundem, reverentia Augustorum, quos vultui suo sociari curabat, absterrere contendit. Aut verò forsitan, ut memoriam Familiæ Juliæ, quæ in ipso cessaret, mediis hujus modi numis in longius ævum transmitteret.

II. *Spanhem. T. II. 273.* *Tristan. T. I. p. 237.*

Etsi porrò *Livia* in argento tandem & auro, atque ære radiaret, frequentiùs tamen eam videas Deæ habitu, puta, Junonis, aut Veneris Genitricis, propositam, quàm nomine suo manifestè adjecto designatam: ne videlicet eorum, qui veteris Reipublicæ Liberæ non parvum adhuc gustum habebant, indignatio tacita nimio fomite aleretur, si capita invisa clarè nimis apparerent, neque deitatum arguto quodam velamine populum saltem suspensum tenerent. Interim existimes nolim, in nullo demum numo *Liviæ* nomen occurrere: ut enim cæteros mittam, meminit Doctiss. *Jobertus* numi cujuspiam, cujus *Adversa* circa vultum fœmineum habet: DIVA LIVIA DIVI AVGVSTI (subaudi) *Conjunx*. Aversa pavonem exhibet, Junonis deæ alias symbolum, cum epigraphe: CONSECRATIO. S.*enatus*, C.*onsultô*. Cusus est hic numus à morte

III. *Jobert. Dem. Novar. p. m. 470.*

morte ejusdem, quæ accidit An. Urb. DCCLXXXII. cum Divis adscripta jam esset.

IV. Spanhem. l. c. Ejus autem occasione monere te debeo, *Liviæ* causâ sese inter Eruditos haud parùm collidi. Licèt namque Ill. *Spanhemius* prolixe demonstret, *Augustum* in *Liviam* tanto fuisse affectu, ut eam, quæ conjux sua erat, adoptaret tandem in filiam, & *Juliam* diceret, maximè sibi, ut videtur, suffragante *Dione*, disertè scribente: *Tum verò consecrantes* AUGUSTUM, *sodales illi & sacra, et sacerdotem* LIVIAM, *quæ jam ante* JULIÆ & AUUSGTÆ *nomen receperat, decreverunt:* nihilosecius tamen Doctiss. *Jobertus* & adoptionem *Liviæ*, & nominis *Juliæ* assumtionem, veluti factum penitus absurdum atque indignum, omnino rejicit, calumniam inquiens palmarem hoc pacto tam sapienti tam optimo Principi *Augusto* impingi. Nititur maximè numo adducto, in quo *Liviæ*, non *Juliæ* nomen disertè legitur, quamvis à morte ejusdem primùm sit cusus. Hunc verò numum neque Ill. *Spanhemius* ignoravit, scribens, *Æneæ Vico* eundem inspectum, visum tamen esse, tanquam posterioribûs primum temporibus *Alexandri Severi*, aut *Gordiani* fortassis signatum. Nos, optime Publi, liberam cuilibet sententiam suam relinquamus, arbitri non rogati. Habuit *Augustus* filiam à se genitam, *Juliam*, *Tiberio* nuptam, sed foeminam impuram. Mulieri huic indignæ tam præstantes, qui exstant cum nomine *Juliæ*, numos attribuere nollent Viri docti complures, libentiùs cum Ill. *Spanhemio* sensere, quos inter & Cl. *Liebe*, *Juliæ* ibi nomine *Liviam* fœminam prudentissimam, & clarissimis virtutibus illustrem, venire, ad quam pertinere non dubitant, quod *Ovidius* cecinit:

Dio. L. LVI. p. 600. *Jobert. unde supra.* *Liebe Goth. Num. p. 199* *Ovid Fast. I. 539.*

> *Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,*
> *Sic AUGUSTA novum JULIA Numen erit.*

Sed Doctiss. *Joberto*, nimis, ut dixi, propudiosum videtur, fœminam eandem à tam multis filiam simul ac conjugem unius *Augusti* existimari, maxime cum prope absit, quin illam & Matrem mariti confingant, ob numum quempiam græcum, in quo legitur *Mater Julia Augusta*, & ex adverso *Cæsar Augustus:* quem Vir hic Eruditus, *Caii* Cæsaris effigiem in eo agnoscens, *Juliæ Agrippinæ*, matri *Caii*, attribuit.

V. Tab. III. Num. XI. PUB. Forsitan & hic numus æreus medius, quem primo inter fœminas loco pinxisti, disceptatione Eruditorum non vacat. Caput in eo video muliebre, crinibus revinctis, imposito quodam fastigiolo, & subscripto duntaxat lemmate: SALUS AUGUSTA. *Aversa* in medio habet S. *enatus* C. *onsulto.* Circùm verò *Tiberii* Augusti solita elogia.

TULL.

TULL. Tutò præſagis: etenim & hic pariter numus, velut & conſimillimus alter cum epigraphe JUSTITIA, in diverſa cogit Eruditos, ſuſpicantibus nonnullis, in quibus & Cl. *Patinus*, nullam hîc fœminam principem, ſed ipſam vel deam *Salutem*, vel virtutem, nimirum *Juſtitiam*, quarum nomina ſubſcripta, eſſe ſignatas, falſi apud *Tiberium* animi, & undique ſimulantis perſpicuas teſtes: cùm & alios numos ediderit cum clypeis votivis, quos aureos in Capitolio dicavit, & MODERATIONI, ſive CLEMENTIAE inſcripſerit. Favere ſententiæ huic videri poſſet locus ille *Suetonii* de *Livia* ſcribentis, eam *non parentem patriæ appellari*, *non ullum inſignem honorem recipere publicè paſſum* eſſe *Tiberium*. Unde profectò arguere quis poſſet, neque numorum honorem eidem indulſiſſe. Verumtamen docti alii & plurimi viri nihilominus his in numis *Liviam* videre exiſtimant, putantque, vel *Tiberium* ſimulatæ reverentiæ causâ eidem, ut Matri ſuæ adoptivæ, locum ſuis in numis conceſſiſſe, ut in hac parte ſe fingeret tanquam filium dicto audientem, quamvis perpetua ac ſaluberrima ejus monita flocci haberet: vel Senatum, ſumma fœminæ hujus exiſtimatione permotum, invito etiam Imperatore, debitis eam honoribus proſecutum eſſe, quam & Sacerdotem Divi Auguſti conſecravit, atque à morte Divarum in numerum retulit. Quare & Cl. *Groſeus de Boſe* opinatur, *ſalutem Auguſtam* idem in numero hoc dicere, ac *Genium Auguſtæ conſecratæ Salutem eſſe Reipublicæ*. Exſtant varii numi, in quibus Dea Veſta ſedet cum haſta & patera, nomine nullo ibi deſcripto, niſi Magiſtratuum variorum: qua in imagine *Livia* tamen latere non paucis videtur. Sententia verò iſta opinione magis, quam veritate ac certitudine nititur.

Patin. Impp. q. 5.

Sueton. in Tiber. c. 59.

Groſeus de Boſe Diſſert. de Cultu Salut. Dea in Elect. Rei N. p. 33.

PUB. Quem denuò utráque ſui facie pinxeras, numus apud me Argenteus medius Caput aliud fœmineum refert, æquè cum faſtigiolo, ſed inſuper velatum, cui PIETAS ſubſcribitur. *Averſa* paris omnino vultus fœminam exhibet ſedentem, capite iterum velato, & faſtigiolum gerente, medio pectore nudam, reliquo verò omni corpore veſtitam, quæ dextra extentâ Palladium geſtat, læva haſtam puram. Adduntur literæ: *Senatus.* C.*onſulto.* infrà ſcribitur: VESTA. Inſuper alterum paris magnitudinis æreum teneo numum, cujus *Adverſa* eadem planè cum ſuperiori. *Averſæ* autem aream mediam occupant literæ S. C. circùm lego: DRUSUS CAESAR TI.*berii.* AUG.*uſti.* F.*ilius.* TR.*ibunitia.* P.*oteſtate.* ITER.*um.* VI. Tab. III. Num. XII

TULL. Perſcripſit Vir Eruditus, *Joann. Georg. Eccardus*, Epiſtolam quandam *de Numis explicatu difficilioribus* ad *Gerhard. Abb. Lucenſ.* editam VII.

Lipſ.

Lipſ. 4. 1722. ubi primo mox loco ambos hos Numos tuos depingit, quorum tamen priorem aureum laudat. Contendit deinde, his numis non *Liv iam* eſſe ſignatam, ut anteriore in numo, quod denuo multis eſt viſum, ſed *Vipſaniam Agrippinam*, majorem illam natu *Marci Agrippæ*, quem infrà videbimus, filiam: quam primò duxerat *Tiberius*, ſuſcepto tamen ex ea jam filio *Druſo*, cogente *Auguſto*, invitus rurſum dimittere debuit, hujusque filiam *Juliam* ſuum in thalamum ſumere. Quæ quidem ſententia his apud eum fundamentis fulcitur. Caput, inquit, velatum in numo, ſignatam eſſe jam Divam Principem arguit, i. e. defunctam: numus porro æreus manifeſtè clamat, percuſſas eſſe has monetas, cûm *Druſus* Tribunitiam Poteſtatem iterum ſuſciperet. Hoc verò, perhibente *Tacito*, factum eſt, poſtquam *Druſus* alterum Conſulatum geſſit cum patre. Unde eum *Tiberius* in literis ad Senatum, quibus *Druſo* filio Tribunitiam Poteſtatem alteram petierat, *bis Conſulem* appellat. Iniit itaque *Druſus* hanc Tribunit. Poteſt. alteram An. imp. *Tiberii* 10. Chr. 23. juxta Cl. quidem *Pagii* calculum, Eruditis ferè omnibusprobatum: quo tempore *Livia* adhuc vixit, quæ An. *Tiberii* 16. primùm deceſſit; contrà verò *Vipſania*, Mater *Druſi*, dudum jam mortua erat, referente iterum *Tacito*, Coſs. nimirum M. Valer. Meſſalla, & M. Aurel. Cotta, i. e. An. *Tiberii* 7.

Tacitus, Annal. III. c. 56.

Idem ibid. c. 19.

VIII. Cùm præterea fide *Suetonii* liqueat, *Tiberium non ſine magno angore animi* miſſam feciſſe *Vipſaniam*, jubente *Auguſto*, ſublato ex ea jam filio *Druſo*, quæ benè ei convenerat, rurſúmque gravida erat; imo *& poſt divortium id doluiſſe*, adeò quidem, ut ſemel eidem obviam factam tumentibus oculis proſequeretur, atque caveri modis omnibus deberet, *ne in conſpectum ejusdem poſthac veniret*: econtra verò cum *Julia* nova conjuge, filia *Auguſti*, poſt brevem concordiam *mox diſſediſſe*, conjugii fide ſibi apud eam ſuſpecta, nec moribus congruis, ita, ut etiam perpetuò ſecubaret: infert *Eccardus*, fallere primò Cl. *Harduinum*, dum ſcribit, *Druſum* eſſe *Tiberio* natum ex *Julia*, cùm fide veterum auctorum *Vipſaniam* matrem haberet. Deinde veroſimillimum videri, cùm numi, aureus quoque, quem tenebat Abbas Lucenſis, & argenteus, quem tu poſſides, S. C. quod rarum in his metallis, exhibeant, Senatus conſulto decretum eſſe, ut, *Vipſania* jam, mortua, *Tiberio* in tantùm dilecta, & filio *Druſo* æquè utique in amoribus, his quidem numis honoraretur: ita tamen, ut, cùm Auguſta non fuerit, ejusque alter maritus Aſinius Pollio Gallus adhuc viveret, proprio nomine non deſcriberetur, ſed in Averſa compararetur *Veſtæ*, ſiquidem *Livia* adhuc vivens jam eſſet *Juno* laudata, & *Julia*, Auguſti filia, *Tiberii* tunc altera conjunx impura, *Veneris* Deæ elogio affecta.

Sueton in Tiber. c. 7.

Poſtremò

Postremò demum Vir eruditus suspicatur, Tiberianæ, aliquid calliditatis latere hìc posse: ut videlicet, cùm *Vesta* Præses foret Castitatis, hac sub imagine fidem *Vipsaniæ* conjugalem extolleret, *Juliæ* verò conjugi suæ scelestos amores tacito emblemate exprobraret. Vox porro *Pietas*, quæ in adversa capiti subscribitur, ei videtur non ad *Vipsaniam*, sed *Tiberium* ac *Drusum*, respicere, illosque in Conjugem Matremque pios fidosque prædicare. Hæc satis bellè dicta valeant fide Auctoris. Ampliùs interim sanè atque jucundiùs ista erudiunt, quàm sequentia ad æreum hunc *Drusi* numum Cl. *Patini* verba: *Difficile prorsus conjicere, cur deam velatam retrò Drusi numum antiqui signaverint. Quid enim cani cum balneo? aut Druso viro impurissimo cum Pietate?* IX.

Patin. Impp. p. 61.

PUB. Tres uno quidem in choro sequenti in numo stare Charites existimare quis possit, qui apud me æreus medius est. Trium principum fœminarum memoriam hoc ære ad posteros ivisse, facilè capio, dum nomina lego: in cæteris porro omnibus nihil sum. TULL. Quas tu Charites ajebas, digniori longè elogio cum sui similibus dudum *Tertullianus* mactabat, appellans *infelicissimas publicarum libidinum victimas*. Fuere *Caii* Caligulæ sorores, filiæ Germanici Caesaris & Agrippinæ, parentum optimorum, sed à fratre incestis amoribus non clàm verum in omnium oculis dilectæ. Palmam ex iis tulit *Drusilla*, priùs jam à se vitiatam, Caligula viro suo, Luc. Cassio Longino, vi abstulit, & conjugis habuit locò: æger deinde bonorum atque imperii scripsit hæredem. Postquam verò ipsa prior decessit, Divis eam illico adscripsit, statuam auream eidem decrevit, mulieres per eam jurare mandavit, subq; *Pantheæ* nomine per omnes passim Urbes coli praecepit, velut omnium dearum eminentiâ sublimem. Triadem hanc nefariam auro, & argento, ac ære signavit hic procus incestus, ita quidem, ut ipse in fronte suis cum titulis appareret, ex adverso tres starent Deæ: quarum duæ minoris essent ordinis, atque Semideæ, *Constantia* nempè à dextris, columnæ innixa, imago *Agrippinæ*, cujus nomen adscriptum: *Felicitas* à sinistris, remo suo navali conspicua, quo res prosperè dirigit, *Juliæ* subiens locum, quàm ibi facilè legis. Media porro *Drusillam*, suprà notatam, ob oculos sistens, quæ major esset, immo maxima Dearum, nullo symbolo certo, ut *Pantheam* intelligeres; unde sola pateram exhibet in dextera, vulgatam omnium deorum tesseram, qua iis inter sacra libatum est. Cornucopiæ gestant omnes, typum exuberantis lætitiæ, illius videlicet, quam hauriunt, qui Cypriis se rosis coronant. Infrà typo tam blasphemo literæ S. C. sancti illius Senatus dignam, si superis placet, authoritatem conciliant.

X. Tab. III. Nu. XIII.

Tertull. de Cultu fœm. L. II. c. 12.

PUB. Magnis jam saltibus, plures, quas teneo, Augustas prætergressus, ad *Sabinam, Faustinam* juniorē, *Etruscillam* pingendas properâsti, TUL. Nimirum XI.

N quin-

quinque residuæ nostrarum Exercitationum Partes huic primæ finem modis omnibus imperant. Tuporro his tribus in fœminis, ut nullus apud hunc sexum superbiendi est finis, alium semper & alium pro seculi sui more crinium capitisque ornatum distingue, variámque Legendas breviter & laconicè construendi Quiritum sapientiam adverte.

Tab. III. Nu. XIV. PUB. *Sabinæ*, si è vultu æstimandus sit animus, imperiosæ admodùm fœminæ, tiara mirifica est, gemino elegantique fastigiolo elata. *Legenda* porro sic habet: SABINA AUGUSTA HADRIANI AUGUSTI. TULL. Supplere hìc debes vocem Conjunx vel Uxor. Compendii quippe locò Romani tot fœminas nominis ejusdem, quandóque & gentis, addito solo mariti nomine, brevissimè luculenterque discreverunt. Erat autem *Sabina* tam dura *Hadriano* suo, ut sæpe quidem ille fateretur, missurum se illam, nisi Imperator foret: illa verò vicissim conquesta est, immane se ingenium viri pertulisse, ac noluisse propterea ei cohabitare, ne filium patri similem aliquando parere cogeretur. Tandem servilibus imperiis ita ab *Hadriano* afflicta est, ut mortem sibi ultro consciseret.

XII. Tab. III. Nu. XV. PUB. Numus *Faustinæ* coronæ in modum contortis crinibus in apice gemmea alia corona velut imposita, eam sistit, circùm verò lego: FAUSTINAE AUGUSTAE PII AUG.*usti*. FIL.*iæ*. TULL. Hæc epigraphe, nisi te vultus juvenis satis admoneret, liquidò docet, *Faustinam* filiam hìc laudari, non matrem, quam Imp. *Antoninus Pius* conjugem habuit. Eruditiss. verò *Reuschius* hariolatur, cùm eam Pater *M. Aurelio* adoptato desponsisset, dote imperii adjecta, ideò in numis ejusdem non scribi: *Faustina Augusta M. Aurelii Augusti*: sed potiùs: *Faustina Augusta Pii Aug. Filia*: ut nemo non intelligeret, Augustæ dignitatem non à marito, sed patre, in se profectam. Idcircò cùm esset fœmina impurissima, M. Aurelium admonitum, ut eam repudiaret, amicis reposuisse ferunt: *Si illam misero, etiam dotem*, i. e. imperium, *secum auferet*. Huic in aliis numis turpi adulatione *Matris Castrorum* elogium additum est, quia eam *M. Aurelius* in castris quoque secum circumduxit: cui tres filios, ac totidem filias peperit. Nonnemo tamen somniabat, hac lepida phrasi, veluti occulta quadam amphibologia, prostitutam apud milites ejusdem libidinem suggillatam esse.

Reusch. ad Gemm. Eberm. p. 107.

XIII. Tab. III. Nu. XVI. PUB. Superest in Tabula tua numus *Herenniæ Etruscillæ*, apud me æreus parvus, crinium flexibus denuò alius: quod vero novum mihi omninò, Lunæ hìc caput insistit, circa quod scribitur: HERENNIA ETRUSCILLA AUG.*usta*. TULL. Si & hìc additum fuisset *Decii Augusti*, tanto tempore non impegissent Eruditi, ambigui ob silentium historiæ, cujus uxorem eam credere debeant. Invaluit olim opinio, eam *Decii* Imperatoris filiam, atque *Volusiani* conjugem habendam: donec tandem Cl. *Seguinus* ex elegan-

eleganti Galliarum Regis numo græco, & alio maximi moduli, Romæ apud PP. Carthusienses asservato, ubi *Decii* & *Etruscillæ* capita ex adverso sunt posita, perspicuè docuerit, eam non alium quàm *Decium* Imp. maritum habuisse, cui *Herennium* genuit & *Hostilianum*, simul in numi posterioris *adversa* expressos, cum Legenda: PIETAS AUGG.*ustorum*. Hanc autem mulierem *Decio* diu supervixisse, ex alio numo reperit Cl. *Bandurius*. Caput ejus Lunæ impositum nihil admodùm novi est, sed in pluribus factum, quod numi non pauci testantur. Principis námque imaginem, velut Dei, statuendam, quòd à Diis constitutus, divinæ quodammodo particeps esset ac consors potestatis, veteres existimabant. Augustos proinde Soli, Augustas Lunæ comparantes, sequiori maximè imperio numis Imperatorum saltem in aversa Solem indiderunt, Augustas famulæ Lunæ gestandas imposuêre, eique crescenti, arcano fertilitatis emblemate, qua media, natis successoribus, & domus Augusta, & imperii universi fortuna atque felicitas novis accrescere augmentis sperabatur.

PUB. Colophonem tandem Tabulæ tuæ postremæ imponis numo iterum masculo, quem ex ære medio teneo: Vultum is habet seniculum qua, nescio, coronâ peregrinâ revinctum, cum epigraphe: M.*arcus*. AGRIPPA L.*ucii*. F.*ilius*. COS.*ul*. III.*tium*. TULL. Gnaviter singula recenses. Promiseram tibi *Exercit. Proœm. Dial. III. Proœm. n. 5.* me ad Vultus Augg. appendicis locò addere, præter Augustas, etiam velle, aut sanguine cum Caesaribus, vel amicitia proximè conjunctos. Quoniam verò non modica cum laude tua ita proficis, ut elogia atque titulos circùm capita satis dextrè jam legas, & assequaris, laborem mihi in exponendo, pingendoque, tibi verò in auscultando patientiam identidem levas. Non jam ampliùs hæsitas ad numos v. c. *Neronis Claudii*, *Drusi*, *Germanici &c.* quos itaque indrustriæ tuæ libenter remitto. *Agrippam* tamen, *Augusti* generum, fidissimúmque Tutorem, imperii ejus adsertorem præcipuum, omniumque propè victoriarum ejus conscium, & ferè Authorem, Virum proinde clarissimum dissimulare apud te nolui: cujus quippe corona, ut ais, omninò tibi peregrina sine interprete plurimùm morari te posset. Ajebant eam *rostratam*, quia è navium rostris constructa, eorum præmium famâ imortale, qui classe navali vicerunt. Id quod *M. Agrippa* in decretoria illa Caesaris Octavii cum M. Antonio ad Actium pugna amplissimè præstitit, hostemq; fortissimum tota propemodum classe multavit. De quo proinde cecinit *Virgilius*:

XIV. Tab. III. N. XVII.

Parte alia ventis & dîs AGRIPPA secundis
Arduus agmen agens: cui belli insigne tropaeum
Tempora navali fulgens ROSTRATA CORONA.

Virgilius Æneid. VIII. 628 &c.

Flor. Epit. Liv. c. 29. Florus verò perhibet: *M. AGRIPPA navali corona à CAESARE donatus est: qui honos nemini ante eum habitus est.* Unde tamen tu minimè inferas, à nemine alio ante *Agrippam* classe tam feliciter certatum esse, ut Coronam navalem mereretur, sed quod dudum viderunt Viri docti, eam, quæ *Agrippæ* donata est, coronam peculiari elegantia factam, solitòque illustriorem fuisse. Quamvis enim *Velleii Paterculi* quoque testimonio, Insigne coronæ classicæ (quæ cum *navali* & *rostrata* eadem erat) promeruit *Agrippa*, bello illo Actiaco, *quo nemo unquam Romanorum donatus erat*, voculam tamen *quo* idem hic esse, ac *quali*, evincit omnino *Plinius* scribens: *M. Varroni Magnus Pompejus piratico ex bello coronam navalem dedit.* Cæterùm eidem *Agrippæ* mox laudatus *Paterculus* splendidissimm sanè hoc insuper elogium tribuit. *M. AGRIPPA virtutis nobilissimæ, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, sed uni, scentissimus* (quod sanè paucorum erat, Republica nuper adhuc florente:) *aliis sanè imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes positus* (moras videlicet nocivas non trahens:) *consultisque facta conjungens.*

Vell. Patercul. Epit. Liv. c. 12. Plin. H. N. L. XVI. 4. Patercul. L. II. c. 79.

XV. PUB. Tu *Agrippæ* coronam extollis, ego prædico tuam, hac iterum Exercitatione sanè non inerudita promeritam, quæ multis tenebras discutere, & lucem non minimam affundere poterit. Quæ per multa Virorum Clarissimorum opera longè alias latéque dispersa sunt, collecta hìc præbes, egregio profectò & temporis & laboris apud multos compendio. Quas igitur dixi jam, cùm Caesares finires, hìc iterum repeto gratias immortales, Tulli Honorande; ibit certè tua per secula fama, vel hoc maximè ex capite, quod Tironibus adeò facilis & candidus es, támque sine invidia tuis eos sudoribus levas. TULL. DEO laudes, si te, optime Publi, tuique similes delectare possim, omnibusque prodesse: Viris deinde Clarissimis gloria, quorum ipse ego amplissimis lucubrationibus sapio. Fodere canalem virum probat egregium: haurire aquas currente jam vena exiguum. Si tamen ad fontem consideris, iis, qui longè sunt, sitim levare non velle, cùm possis, iniquum.

J. O. G. D.

Index

INDEX PRIOR

Eorum,

Quorum Numi in hac I. PARTE pinguntur, exponuntur, allegantur.

NB.

T. I. I. v. c. legendum : *Tabula prima, Forulo primò.* D. I. I. legendum : *Dialogo primo, numero marginis primo.*

AEMILIANI Tiranni munus sublestus. D. VIII. 6.
AGRIPPÆ Marci numus in Corona rostrata. T. III. 17. D XIV. 14.
ALEXANDRI Severi numus cum vultu geminato ob laminam à modulo abscedentem. T. II. 7. D. VII. 7.
ANTONINI Pii numus cum Capite *Aurelii* Cæs. in Aversa. T. I. 16. D. VI. 6.-9.
ARCADII Imp. numus capite diademato, cui desuper laurus imponitur. T. III. 6. D. XII. 5. 7.
AUGUSTI numus cum elogiis: *Divi F. Pat. Patriæ.* T. I. 2. D. III. 5.
Ejusdem alter numus cum prænomine C.*aji*, & elogiis *Pontificis*, *Consulis*, *Auguris.* D III. 5.
AURELIANI numus cum Corona gemmata. T. II. 12. D. VIII. 10.
AURELII Marci Imp. numus. T. II. I. D. VI. 11. 12.
CAJI Caligulæ Imp. numus cum elogiis: *Pronep. Aug.* & *Germanic.* T. I. 4. D. IV. 6. 7.
Ejusdem alter numus cum Sororibus ejus, *Agrippina*. *Drusilla*, *Julia*, dearum habitu in Aversa. T. III. 13. D. XIV. 10.
CARACALLÆ numus. T. II. 4. D. VII. 4.
CLAUDII Imp. numus cum *Trib. Pot.* sine numero. T. I. 5. D. IV 9.
CLAUDII II. Gothici numus. T. II. 11. D VIII. 9.
COMMODI Imp. numus cum pelle leonina in capite, & elogiis *Pii Felicis*, atque *Herculis Romani Aug.* T. II. 2. D. VI. 13.
CONSTANTINI M. numus cum diademate, & elogio *Maximi Augusti.* T. III. 1. D. X 6.-9.
Ejusdem alter numus cum elogio *Pontif. Max.* D. II. 7.
CONSTANTINI Junior. numus. T. III. 2. D. XI. 4.
CONSTANTINI Imp. numus cum elogio *Beatiss. Cæsaris.* T. III. 3. D. XI. 4.
CONSTANTII *Chlori* numus. D. IX. 14.
CONSTANTII filii *Constantini M.* numus cum lauro gemmis intexta, & Protome globum gestantis. T. III. 4. D. XI 4.
CRISPI Cæsaris numus. D. X. 10.
DECENTII Tiranni numus. D. XI. 5.

DE-

DECII *Trajani* Imp. numus. T. II. 10. D. VIII. 3.
DELMATII Cæs. numus. D. XI. 7.
DIADUMENIANI Cæs. numus. D. VII. 5.
DIOCLETIANI numus cum elogio *Proconsulis*. T. II. 15. D. IX. 9.
Ejusdem alii numi. *Ib.*
DOMITIANI Imp. numus cum elogio *Censoris Perpetui*. T. I. 12. D. V. 14.
Ejusdem alter græcus cum epigraphe: *Cæsar Deus Dei Filius*. D. III. 5.
DRUSI minoris filii *Tiberii* Imp. numus cum capite muliebri velato in Aversa, cujus lemma: *Pietas*. D XIV. 5.
ELAGABALI numus, & in Aversa stans ipse, ut Sacerdos Solis, ponè Stella. T. II. 6. D. VII. 6.
ETRUSCILLÆ Conjugis Decii Imp. numus cum capite Lunæ imposito. T. III. 16. D. XIV. 13
FAUSTINÆ Junior. cum elogio *Pii Aug. Fil.* numus. T. III. 15. D. XIV. 12.
FLORIANI Tiranni numus. D. VIII. 11.
GALBÆ Imp. numus. T. I. 7. D. V. 2. 3. 4.
GALLIENI Imp. numus. D. VIII. 7. 8.
GALLI *C. Vib. Trebonian.* Imp. numus. D. VIII. 5.
GETÆ numus cum elogio *Augusti*. T. II. 5. D. VII. 4.
Ejusdem alter cum elogio *Cæsaris* & *Pontificis*. Ibid.
GORDIANI III. Nepotis numus. D. VII. 11.
GRATIANI Imp. numus. D. XII. 3.
HADRIANI Imp. numus cum epigraphe simplici: *Hadrianus Augustus*. T. I. 15. D. VI. 5.
Ejusdem alii cum amplioribus elogiis. Ibid.
HANNIBALIANI numus cum elogio Regis D. XI. 7.
HOSTILIANI *Messii Quinti* numus. D. VIII. 5.
HONORII Imp. numus cum protome telum & clypeum gestantis, vultu integro, & galea gemmis revincta. T. III. 7. D. XII. 5.
JOVIANI imp. numus. D. XI. 9.
JULIANI Apostatæ numus cum capite nudo & elogio Cæsaris. D XI. 8.
Ejusdem alter cum Diademate, & elogio Cæsaris. X. 8.
Ejusdem tertius cum elogio *Augusti*. D. XI. 8.
JULII CÆSARIS numus cum Sella curuli & Fascibus in Aversa, ac multis elogiis. T. I. 1. D. II. per totum.
Ejusdem numus amphibologicus cum Elephante, & literis Punicis, subscripta voce *Cæsar*. D. I. 8.
Ejusdem numi cum elogio *Imperatoris*. D. V 2.
JUSTINI Junior. Imp. numus, in quo sedet ipse cum *Tiberio* filio adoptato: in Aversa epocha imperii, ac pretium monetæ, nomen Urbis, & officinæ, singularibus literis numeralibus cum græcis tum latinis designata. T. III. 9. D. XIII. 9. 12.
LEONIS Imp. numus cum elogio *Basileus Romeon*. T. III. 8. D. XIII. 2.
LICINIUS *Licinian*. D X. 2.-4.
LICINII junior. numus D. X. 5.
LIVIÆ Conjugis *Augusti* Imp. numus cum epigraphe: *Diva Livia Divi Augusti*. In Aversa Pavo, & *Consecratio*. D. XIV. 3.
Ejusdem (ut multis videtur) alter numus cum capite muliebri, & lemmate: *Salus Augusta*. Item tertius cum lemmate: *Justitia* T. III. 11. D. XIV. 4.
MAGNENTII Tiranni numus. D. XI. 5.
MAXENTII Tiranni numus. D. X. 5.
MAXIMINIANI *Herculei* numus cum elogio *Proconsulis*. D. IX. 9.
Ejusdem numus cum elogio *Felicis. Sen. Aug.* & in Aversa cum epigraphe: *Providentia Deorum Quies Augg.* T. II. 16. D. IX. 12. 13.

MA-

MAXIMINIANI *Galerii*, seu *Armentarii*, numus. D. IX. 14.
MAXIMINI Dazæ numus. D. X. 5.
NERONIS Imp. numus cum corona radiante, & elogio *Germanici*. T. I. 6. D. IV. 11. 12.
NERVÆ Imp. numus. T. I. 13. D. VI. 1.
NUMERIANI Imp. numus. D. VIII. 15.
OTHONIS Imp. numus Paduanus. T. I. 8. D. V. 5.
PHILIPPI Arabis patris numus. T. II. 8. D. VIII. 1.
PHILIPPI filii numus. T. II. 9. D. VIII. 1. &c.
PHOCÆ Imp. numus cum pretio in aversa. T. III. 1 . D. XIII 13.
POSTHUMI Tiranni numus. D. VIII. 8.
PROBI Imp. numus cum corona radiante & scipione, cui aquila insidet. T. II. 13. D. VIII. 12.
Ejusdem numus alter cum galea coronata, telo, clypeo, ac lemmate: *Virtus Probi invicti Augusti*. T. II. 14. D. VIII. 12.
QUINTILLI Tiranni numus. D. VIII. 9.
ROMULI filii *Maxentii* Tiranni. D. X. 5.
SABINÆ Conjugis *Hadriani* Imp. T. III. 14 D. XIV. 11.
SEVERI *Septimii* Imp. numus. T. II. 3. D. VII. 3.
SEVERI Cæsaris numus. D. X. 5.
TACITI Imp. numus D. VIII. 11.
THEODOSII M. Imp. numus cum elogio *Perpetui Aug*. T. III. 5. D. XII. 4.
TIBERII Imp. numus. T. I. 3. D. IV. 1.-5.
TITI Imp. necdum Augusti numus, cum elogiis: *D. Vesp. Aug. F. Cens.* T. I. 11. D. V. 13.
Ejusdem jam Augusti numus. Ibid.
TRAJANI Imp. numus cum corona radiante, & elogio *Optimi*. T. I. 14. D. VI. 2. 3.
VABALLATHI Tiranni numus. D. VIII 8.
VALENTINIANI Imp. numus. D. XII. 2.
VALENTINIANI Jun. numus. D. XII. 3.
VALENTIS Imp. numus XII. 2.
VALERIANI Imp. numus D. VIII. 7.
L. VERI numus. T. I. 17. D. VI. 11. 12.
VESPASIANI Imp. numus cum elogio Censoris, & filiis ejus Tito ac Domitiano in Aversa. T. I. 10. D. V. 8.-12.
VICTORINI Tiranni numus. D. VIII. 8.
VIPSANIÆ Agrippinæ (ut probat Cl. *Eccardus*) numus cum capite muliebri velato, & lemmate: *Pietas*, in Aversa cum Vesta sedente. T. III. 12. D. XIV. 6.-9.
Ejusdem idem numus cum titulis *Drusi* filii in Aversa. Ibid.
VITELLII Imp. numus sine elogio *Cæsaris*. T. I 9. D. V. 6 7.
Ejusdem numus cum filiis in Aversa, qui tamen non Cæsares, sed *Liberi Imp. Germanici* scribuntur D. VI. 9.
VOLUSIANI Imp. numus. D. VIII. 5.

INDEX

INDEX ALTER
Rerum Notabilium.

Numerus Romanus Dialogum, Arabicus numerum marginalem designat.

A.

ADOPTATI adoptantium Nomina assumebant. D. III. 5. Adoptati ab Impp. eorum Nomina primo assumta paulò post omiserunt, alia tamen ad se non pertinentia, ut Augusti, Cæsaris &c. studiose retinebant, hinc arrogantes, inde ingrati. VI. 5.

ADVERSÆ Numorum, seu facies anteriores, in Impp. Theatra summa Ambitionis: Aversæ porro Adulationis immoderatæ I. 4.

ADVERSÆ Numorum sedulo considerataæ docent Tironem: 1. Vultum à vultu internoscere: 2. Ornamenta Capitum ritè discernere: 3. Titulos & elogia integrè legere. Voluptatis ergo, & Utilitatis plurimum habent. I. 1.-4.

ÆLIUS L. Verus ab Hadriano adoptatus, & Cæsar, mox verò defunctus. VI. 6.

ÆMILIANUS Tirannus. VIII. 6

AGRIPPA Marcus Gener Augusti. Ejus laudes. XIV. 14.

AGRIPPINA Neronis mater quanti ambitus IV. 10

AGRIPPINA Caji Caligulæ Soror, & scortum incestum. XIV. 10.

ALARICUS Gothorum Rex. XII. 8.

ALBINUS Clod. Cæsar. VII. 2. 3

ALEXANDRI Severi historia. VII. 8.

AMBITIOSUS, quamvis ei benè sperare cum ratione non liceat, tamen præsumit

ANTONINI Pii Imp. historia. De Pii cognomine sententiæ variæ. VI. 7.

ANTONIUS Tirannus. VII. 8.

APER Tirannus. VIII. 16.

AQ S quomodo legendum? IX. 12.

ARBOGASTUS Tirannus. XII. 3. 4.

ARCADII Imp. historia. XII. 6.

ATAULPHUS Gothorum Rex. XII. 8.

ATTALUS Tirannus. XII. 8.

AUGURES unde nomen, & domum? Eorum Senior Augur Maximus dictus: Authoritas summa, cum Quirites auspicatò singula facerent, donec augurorum vanitas constaret. II. 9. Eorum munus perpetuum, & quamobrem? Existimationis maximæ. Ib. 10. Auguria quomodo, & quibus à rebus capta. Avium, coloris, lateris dextri lævique superstitio. Omen accipere quid? Ib. 11.

AUGUSTÆ initio raro numis excusæ. XIV. 2. 3. Earum alius & alius tiaræ ac crinium cultus subinde, ubi nomina non adsunt, vel ambigua sunt, Augustam ab Augusta apud peritos discernit. I. 3.

AUGUSTORUM Vultus in numis spectare, voluptatis maximæ atque ingenuæ est: Utilitatis quoque magnæ, propria cujuslibet oris lineamenta gnaviter cousiderare, ad dignoscendos numos attritos. I. 2.

AUGUSTI Imp. historia. Ejus calliditas, ne Julii fato premeretur. III 2.3. Octavius in numis suis nuspiam scribitur: à Julio adoptatus non modò nomen ejus, sed & prænomen accepit, dictus *Cajus Cæsar*. Ib. 5. Unde lauri gestan-

gestandæ auspicia ei facta ? Ejus sententia de Lauri ambitu Ib. 4. *Romulum* eum dicere cogitabant Patres, præplacuit verò, ut *Augustus* appellaretur. Ib. 6.

AUGUSTUS idem ac *Sanctus*, non verò ab *Augendo* dictum. Placuit hoc nomen tantopere, ut in omnes reliquos Impp. velut hæreditate transiret, non cognati sanguinis, sed dignitatis ergò, noménque summæ ac Regiæ Potestatis evaserit. III. 6. V. 3. Cæsaribus, vel in imperii consortium admissis, non est indultum, nisi quis verum habere voluerit secum Co-Augustum VI. 9.

AURELIANUS Imp. Ejus historia: gemmarum usum inchoavit. VIII. 10.

AURELII Marci, & Lucii Veri commune imperium Romam rapuit in admirationem, novamque Historiæ epocham dedit. VI. 10. Aurelii historia & laus. Ib. 11. 12.

AUREOLUS Tirannus. VIII 8.

AUSPICIIS suis quinam olim Ducum exercitum duxerint. II. 3.

B.

BALBINUS Imp. VII. 10.

BONNOSUS Tirannus. VIII. 14.

BRITANNICI Cognomen Claudius Imp. meruit: non tamen ipse, sed filius tulit. IV. 9.

BRITANIO seu Vetranio Tirannus. XI. 3. 6.

C.

CÆSARIS nomen gentile erat in primis Impp. qui è Gente Cæsarum orti, usque ad Neronem: in Galba vero, & reliquis nomen dignitatis. V. 3. Filiis Impp. natura vel adoptione (excepto *Vitellio*, qui illud sprevit) tributum, sive ii in imperium designati essent, vel non. Quare Cæsar imperans, Cæsar imperio designatus, Cæsar è domo Augusta progenitus, vel adoptione in eam adlectus, discernendi VI. 9. Cæsaris nomen erat infra nomen Augusti, vel Imperatoris. In Patribus præire solebat ante elogium Augusti: in filiis postremo erat loco. Labente Imperio scriptum Nobilissimus Cæsar. Ibid.

CAJI Imp. historia: Caligulæ cognomen in numis non exstat: Patris Patriæ elogium, licèt carnifex in solio, statim accepit. IV. 6. 7. Ejus sorores, ac scorta incesta, Drusilla, Agrippina, Julia, uno in numo, Dearum habitu, propositæ XIV. 10.

CAPITE nudo *Augustum*, atque *Tiberium*, sæpè signatos, nihil habet mysterii. Paulò seriùs Augusti laureati, Cæsares nudi. IV. 5.

CARACALLÆ cognomen in numis non scribitur, sed *M. Aurel. Anton.* ut apud Elagabalum: quare utriusque numi solo ferè vultu discernendi. Ejus historia. VII. 4.

CARINUS Imp. VIII. 15. 16.

CARUS Imp. VIII. 15. 16.

CENSOR, ac Census quid nominis, & rei? V. 9. Summum hoc munus Jul. Cæsar sub nomine *Præfecti Moribus*, & Augustus sub nomine *Magistri morum*, admisere: cæteri Impp. retinuerunt, nomine tamen Censorum abstinentes, præter Vespasianum & filios, in quorum numis legitur. Ibid. 10. Domitianus Censor Perpetuus scribitur. Ibid 14.

CENSORINUS Appius Claud. Tirannus. VIII. 9.

CLAUDII Imp historia: IV. 8. In ejus numo cur Trib. Pot. sine numero? Ibid. 9.

CLAUDIUS II. Gothicus Imper. VIII. 9.

COGNOMINA Germanici, Britannici &c. à devictis Gentibus assumsere Impp Nullus tamen à Judeis devictis Judaicus appellari voluit, ob contemtum Gentis. IV. 12.

COMMODI Imp. historia fatua. VI. 13.

CONSTANTIS Imp. historia XI. 2.

CONSTANTINUS M. quos æmulos habuerit. X. I. 2. 3. Ejus reliqua historia. Ib. 4.

CONSTANTINI Junior. Imp. historia. XI. I.

CONSTANTII Chlori Imp. historia. IX. 8.

CONSTANTII Imp. filii Constantini M. historia. XI. 3.

CONSTANTIUS Gallus Cæsar. Quidam putant, delectum in numis Constantii nomine signatis habendum, & aliquos eorum ad hunc Gallum pertinere. XI. 7.

CONSTANTIUS Cæsar, Imp. Honorii Gener. XII. 8.

CONSULATUS numeri in numis descripti (idem de Trib. Pot. numeris sentiendum) Æra Cæsarum esse debebant. Quid verò attendendum, ne quem hi numeri penitus fallant. IV. 3. Consulatus III. tot annis in numis Hadriani descriptus evincit, Chronologiam Impp. è numis tutò erui haud posse. VI. 5.

CORNUCOPIÆ Felicitatis, & lætitiæ signum. V. 11.

CORONA Rostrata maximi habita, quibus donata? XIV. 14.

CRISPUS Cæsar. X. 10.

CRUX Constantino M. apparens omen victoriæ de Maxentio. X. 3. Cruces in vestibus militum Arcadii portendebant victoriam de Persis. XII. 7. Orientis Impp. Cruce, Sceptri loco, inque mitra, & globo, usi sunt, quia in fide Christi gloriabantur. XIII. 2. 3.

CUPRESSUS ante fores notabat, ibi jacere defunctum: ad quem Pontifici Maxim. Quiritum ingredi non licuit. II. 6.

D.

DECENTIUS Tirannus. XI. 5.

DECII Trajani Imp. historia. VIII. 3.

DELMATIUS Cæsar. XI. 7.

DESIDERIUS Tirannus, XI. 5.

DIADEMATE cinguntur posteriorum temporum Monarchæ. I. 3. Erat Regum exterorum insigne, Romæ maxime execrabile: quod Pompeius M. Jul. Cæsar, & M. Antonius sensere. Cajus, Caracalla, Elagabalus in hac parte quid ausi sint. Aurelianus primus diadema gessit, sed non in numis. X. 6. Constantini itaque ævo monetæ primò id exhibent: fiebat tunc summi fastigii nota. Ibid. 7. Etiam Cæsaribus nonnullis concessum, sed vilius, ac erat Augustorum, nec semper gestandam. Ib. 9.

DIADUMENIANUS Cæsar. VII. 5.

DIOCLETIANI Imp. historia. Collegam Augustum assumsit Maximinianum Herculeum: uterque porro Cæsarem sibi adjunxit. Animo sedit utrisque, præter tutationem Imperii, Religionem Christianam orbe toto exscindere: sed apprehendit DEUS sapientes istos in astutia sua, ut, Constantio Chloro per eos Cæsare facto, filio ejus Constantino M. percommodam ad solium viam insternerent, in quod ille deinde Crucem salvificam intulit. IX. 3. 4. Diocletianus imperio se non sponte, sed coactus abdicavit. Ib. 5. Ambo abdicato imperiô dicti Seniores Augusti, cùm jam novi imperarent. Ib. 12. Adepti sunt elogia Optimorum, Beatissimorum, Felicissimorum, Invictorum &c. immo Jovis & Herculis. Ib. 13. 14.

DIVI, Græcè Ἥρωες, appellabantur à morte consecrati. Quandoque & dii, deorum filii. III. 5.

DOCTI, quibus vitia fucum non faciunt, sua sine invidia communicant XII. 9. Et ad fontem sedentes sitientibus aquas libenter affundunt. XIV. 15.

DN. postremis in numis Impp. legendum D.*ominus* N.*oster*. IX. 12. Domini titulum rejecit Augustus, ut maledictum:

dictum : Tiberius ajebat , Dominum se esse servorum , cæterorum non item. Cajus Dominus dici petiit : Domitianus appellatus Dominus Deus. Alii usque ad labens imperium in numis vix Domini leguntur : post Diocletianum autem ferè omnes. Ib. 13.
Domitianus. V.14.

E.

ELAGABALI cognomen deest in numis: vultus & stella ejus monetas à numis Caracallæ discernunt. Ejus fœda historia. Sacerdos solis cùm esset, solem ab omnibus coli voluit, ceu solum deum. VII. 6.
EUGENIUS Tirannus. XII. 4.
EUCHARIUS Tirannus. XII. 8.
EUTROPIUS Tirann. XII. 6.
ETRUSCILLA , Decii Imp. Uxor. XIV. 13.

F.

FASCES Dictatoris insigne. II. 1.
FAUSTINA junior. Dicta *Mater Castrorum* : quod elogium festivè quispiam interpretatur ad genium fœminæ impudentis. XIV. 12.
FATUM proprium Quirites cuilibet homini esse, & provinciæ , atque urbi , proinde & Romæ , credebant , illudque auguriis pertentandum Fatum itaque Urbis Dux , qui suis auspiciis duxerat, pertentare debuit in castris, templum habens juxta prætorium : si non suis auspiciis duxit, Romam mittere debuit augurii causa. Inauspicato pugnasse , suggillabatur , & , licet vicerit , triumpho prohibebat. II. 3. Sub Impp. fato Urbis successit Fortuna Domus Augustæ : hanc ducibus suis Impp. commodabant. II. 4.
FELICIS cognomen assumsit Commodus : labente imperio omnibus datum VI. 14.
FIDEI Sol priusquam pleno lumine oritur in Imperio , crudelissimus adhuc Diocletianæ persecutionis turbo præibat : jam orto densissimæ nebulæ Arianæ hæresis illicò sese opposuere. IX. 2.
FLORIANUS Tirannus. VIII. 11.

G.

GAINA Tirannus. XII. 6.
GALBÆ Imp. historia. V. 4.
GALEAM aliqui Augusti gerunt in numis. Eccur ? I. 3. VIII. 12.
GALLIENUS Imp. Ob ejus summam ignaviam 30. Tiranni imperium simul arripuere. Valerianus, & Gallienus ejus filii. VIII. 7. 8.
GALLUS C. Vib. Trebonian. Imp. VIII. 5.
GETA Cæsar. VII. 4.
GILDO Tirannus. XII 6.
GLOBUS symbolum imperii. IX. 9. 12.
GORDIANUS Afer Imp. & filius unicus, Gordianus Cæsar, non plures. VII. 10.
GORDIANI III. Nepotis historia. VII. 11.
GRÆCORUM numerandi ratio. XIII. 11.
GRATIANI Imp. historia. XII. 3.

H.

HADRIANUS Imp. ferè primus barbam Augustum in solium invexit. Ejus historia. Triumphi gloriam Trajano callide reliquit, & simul tamen ipse adeptus est. VI. 4.
HANNIBALIANUS Rex in numis scriptus. XI. 7.
Cl. HARDUINI singulares sententiæ. I. De nominibus Augusti , ac Cæsaris , quasi gentilia fuissent, & cognato cum sanguine in omnes Imp. manassent. III. 6. II. De Tribunitia Potestate, quam apud milites tantum, non in Urbe valuisse volebat. IV 5. III. De Veterum Auctorum falsitate, ab eo tamen retractata. IV. De Imperatornm potestate per Senatum ad certos tantùm annos restricta. V. 1. V De Pii cognomine iterum gentili. VI. 7. VI. Numos ævi inferioris, in quibus tot singulares literæ apparent, non fuisse monetas curren-

rentes, ſed ſigna mercatorum, ibique denotari tributorum penſiones. XIII. 5. Ubique refellitur ab Ill. Spanhemio, vel Joberto.
HELVIUS Pertinax Imp. VII. 2.
HERACLIANUS Tirannus. VIII. 8.
HERENNIUS Decii filius Cæſar. VIII. 3.
HONORII Imp hiſtoria. XII. 8.
HOSTILIANUS L. Aurel. Severus Imp. VIII. 1.
HOSTILIANUS Meſſius Quintus, alter Decii filius. VIII. 5.

I.

IMPERATORES ſumma omnia Liberæ Reipublicæ munia ſibi arrogarunt: meliores cum annua renovatione, cæteri eâ neglectâ. I. 4. Plerique eorum, mundo dominantes, idololatriæ cauſa toto cælo aberrârunt. Ib. 6.
IMPERATOR variè olim accipiebatur. 1. Pro habente jus vitæ & necis. 2. Pro victore juſto in acie, quem milites Imperatorem ſalutabant: aliud vero erat, ſi acclamarent Auguſtum. 3. Pro ſupremo Exercitus Ductore, *ſi Imperio ſuo*, & *ſuis Auſpiciis* duceret. 4. Demum vox Imperator Regiæ Poteſtatis nomen evaſit. II. 3. Omnem tamen hujus vocis notionem adimplebant Auguſti. Ib. 4.
IMPERATORIS nomen ſi ab initio occurrat, vel quoties præit nomen Auguſti, denotat imperium Auguſtum: dum ſequitur, ſive addito, ſive non addito numero, imperium bellicum deſignat. V. 2. Ab Auguſtis quandoque etiam Cæſaribus conceſſum eſt, quos ſummæ poteſtatis participes ſecum fecere, ut Veſpaſianus filium Titum, Nerva Trajanum. V. 12.
INCONSTANTIA hominis perpetua elucet quoque ex tam varia veſtium ratione. I. 3.
JOVIANI Imp hiſtoria. XI. 9.
JUCUNDIUS eſt, proprio ſtudio ſapere, quàm magiſterio alieno. I. 5.
JUDAICUS à devictis Judæis nemo Imperatorum appellari voluit, ob contemtum gentis. IV. 12.
JULIA Gens: ejus origo, & incrementa. I. 7.
JULIA, filia Auguſti, fœmina indigna. XIV. 4. 8.
JULIANUS Didius Imp. VII. 2.
JULIANI Apoſtatæ hiſtoria ſacrilega. XI. 8.
JULIUS CÆSAR utique maximus, Tirannus tamen magis, quam Monarcha. I. 6. 7. Ejus hiſtoria. Ib. Honoribus illius menſis *Quinctilis*, quo natus eſt, poſtea ſacer, & *Julius* dictus. Ei multos ineſſe Marios Sulla dixit. *Jul. & Cæſ. Coſſ.* lepide ſcriptum. Ibid. Ingens titulorum cumulus, in tabulis argenteis auro deſcriptus, à Senatu ad eum delatus Pompejis devictis præter omnium ſpem admodùm clemens fuit. II. 1. Laurus perpetuo à Senatu indulta, ei gratiſſima fuit ad tegendam calvitiem ſuam. Conceſſo Imperatoris prænomine raro uſus. Ib. 2. 3. Pontifex Maximus largitione factus eſt: obtinuit verò à Senatu, filium ſi haberet, ut is Pont. Max. eſſet. Ib. 5. 7. Augurem Maximum eum fuiſſe, tacuit hiſtoria, numi clamant. Ib. 11.
JUSTINIANUS Imp. XIII. 4.
JUSTINUS Senior Imp. XIII. 4.
JUSTINUS Junior Imp. XIII. 9. 12.

L.

LAUREATO Capite Imperatores ſignari conſuevere, nudo Cæſares. I. 3. Laurus perpetuo geſtanda Jul. Cæſari conceſſa, ut Victori perpetuo. II. 2. Laurus erat ante fores Pontificis Maximi. Ibid. 6. Lauri geſtandæ auſpicia Auguſto unde facta? III. 4. Lauri, cruore civium mercandæ, ambitus damnabilis. Ibid.
LEONIS Imp. hiſtoria. XIII. 2.

LICI-

LICINIUS Licinianus Cæsar. X. 2. 3. 4.
LICINIUS junior. X. 5.
LITERARUM contractarum exempla in numo Cæsaris Julii. I. 1. Literæ singulares in numis vel initiales sunt vocum singularum, vel voces abbreviatæ: non disjiciendæ, quamdiu conjunctæ commodum reddunt sensum. XIII. 7.
LIVIAM Drusillam quartam conjugem suam an adoptaverit Augustus, & *Juliam* dixerit, acris disceptatio. XIV. 3. 4.

M.

MACRIANUS Tirannus. VIII. 8.
MACRINUS Imp. VII. 5.
MAGNENTIUS Tirannus. X. 2. 3. 5.
MARCUS Marcius Imp. VIII. 1.
MARINUS Publ. Carvilius Tirannus. VIII. 3.
MAURITIUS Imp. acerbè à DEO castigatus, sed patiens. XIII. 13.
MAXENTIUS Tirannus. X. 1. 2. 3.
MAXIMIANI Herculei historia. IX. 3. 4. 6.
MAXIMIANI Galerii, seu Armentarii, historia. IX. 7. Ejus numi à numis Herculei solo ferè Galerii prænomine differunt. 14.
MAXIMINUS Jul. Thrax Imp. VII. 9.
MAXIMINUS Daza Cæs. X. 1. 3.
MAXIMUS Flav. Magnus Tirannus. XII. 3.
MAXIMUS Jul. Verus Cæsar, Maximini Thracis Imp. filius. VII. 9.
MILITUM protervia atque impudentia in acclamandis Imperatoribus, ac Senatui obtrudendis, moxque iterum necatis. VII. 2.
MITRA in Orientalium Imperatorum Capitibus. I. 3.
MONETARIORUM apud Quirites florente imperio in vultibus accurate signandis ars dexterrima, & vere admirabilis. I. 2. Eorum labente imperio nonnulla fingendi licentia. Sæpe tamen, quæ diu in gratiam ficta videbantur, probe examinata, vera cum ratione facta esse deprehensa sunt. I. 3. Ii, labente imperio, ut placerent Augustis, eisdem exterorum Regum ornamenta addiderunt. VIII. 12.

N.

NERONIS Imp. historia. IV. 10. Cur is vultui suo in Aversa anteriores Augustos conjunxerit? XIV. 2.
NERVÆ Imp. historia. VI. 1.
NIMBUS in capite Orientalium Impp. designat sacram suam Majestatem à DEO sibi collatam. XIII. 3.
NOBILISSIMI dicti filii Augustorum minores, & agnati. Nobilissimi Cæsaris elogium omnia summa complectitur. Æquivalet Nobilitati Aug. aliàs in Numis laudatæ. VIII. 15.
NUMERIANUS Imp. VIII. 15. 16.
NUMERUS ad Consulatum, ac Trib. Potestatem adjectus adverbialiter, non adjectivè legendus. II. 1. Numerandi apud Græcos ratio, & literarum numeralium valor, atque proprietas. Annum quibus notis exprimerent. XIII. 11.
NUMORUM quoque scientia regulam nullam habet sine exceptione: quare nemo sententiæ suæ nimis sit tenax. I. 3. Numi à tirone jugiter sunt contemplandi. Eorum, quorum colligit numos, præcipua saltem vitæ capita noscere debet. 6. Item, numi quinam rari, quinam communes: quod hic Expositioni numorum in omnibus ferè Impp. additur, ex *Patarolio*. II. 13. Numorum Series variæ, eorumque apud varios varia in Tabellis collocatio, unico numo ad plures subinde ordines quadrante. III. 1. Eorum elogia ut integre legas, non sufficit, nisi etiam, quid ea habeant in recessu, intelligas. 8.
NUMI, in quibus elogia casu dativo efferuntur, sunt quasi votivi, magnique in Augustos affectus indices. VI. 2. Et-

si

si, labente imperio, vulgo sint viles, illo tamen ævo splendidi quoque prodiere. VIII. 4. Sub Decio ad minutam formam decidentes, sub Diocletiano iterum accrevere. IX. 1. Tam diligens hodie eos investigandi contentio novi aliquid indies detegit: unde Eruditi sententiam suam cum ratione mutare sæpe coguntur. Ibid.

NUMI inferioris etiam ævi, licet parvi ac rudes, tamen colligendi: qui ornabunt cimelia raritate saltem, si non pulchritudine, hoc ipso, quod contemnantur à multis: poterunt deinde tres pariter in Series Majorum, Minorum, ac Minimorum distribui, non sine voluptate, & historiæ utilitate: ut in Flaviæ familiæ variis stirpibus sic retectis elucescit. IX. 1. Inde Orientalium quoque Imperatorum numi, ad usque Constantinopolim captam, jam Clarorum Virorum curam promeriti sunt. XII. 1.

NUMORUM & Historiæ perpetua communio: quid invicem præstent. XIII. 4. Numis familiare, in iis designari Æram Principum, pretium suum, Urbem, & officinam, ubi excusi. 8. Pretium notare superfluum erat, florente imperio, collapso necessarium. 9. Promiscuus fuit usus literarum numeralium græcarum, & latinarum. 10.

O.

ODENATUS Tirannus. VIII. 8.

ORNAMENTORUM peculiarium, quæ oderant olim Quirites, in numis labentis imperii causæ VIII. 12.

OTHONIS Imp. historia: Æreorum ejus numorum varietas. V. 5.

QVINIUS Camillus Tirannus. VII. 8.

P.

P.P. legendum P.*ater* P.*atriæ*. PP. sine punctis intermediis *Perpetuus*, vel *Pius Perpetuus*. XII. 4. P.P.P. in numo Domitiani lege *Perpetuus* (i. e. Censor) *Pater Patriæ*.

PARAZONIUM seu verius sceptrum parvum. V. 11.

PATRIS PATRIÆ elogium, Jul. Cæsari viventi tributum, & demortui statuæ subscriptum, Cicero, qui illud omnium primo tulit, execratus est. III. 7. Augustus id promeruit: quando, quomodo, quo gaudio suo sit ei delatum. *ib.* Vis nominis hujus: Id à Patribus non subitò delatum, nec à melioribus Impp. statim admissum. *ibid.* 8.

PERPETUUS Augustus quorum in numis occurrat? Idem, ac semper Augustus, quod est in numo Juliani Apostatæ. XII. 4.

PESCENNIUS Niger Imp. VII. 2. 3.

PHILIPPORUM Patris & Filii historia. Simul Augusti: quandoque in numis eadem quasi facie, quod insolens. VIII. 1. 2. Sub eis Romæ Seculum Millenarium profusissimis spectaculis ac ludis celebratum. Ibid.

PHOCAS impius Imp. XIII. 13.

PII cognomen, quia gloriosum ac populo charum, Commodus, aliique Impp. retinuêre. VI. 14.

PISO à Galba adoptatus, & Cæsar. V. 4. VI. 8.

PLACIDIA Galla, Honorii Imp. Soror. XII. 8.

PONS sublicius Romæ quid fuerit, & quam sacer. II. 5.

PONTIFICATUS MAXIMI origo, dignitas, prærogativæ, munera, leges. II. 6. Pontif. Maximus habitabat Domum Regiam, quam laurus ante fores apposita designabat. II. 6. Impp. Pontifices Max. effecti, ut summam in omnibus quoque sacris haberent potestatem. Antoninus Pius, licet sacris diligentissime operaretur, in numis tamen suis vix, aut ne vix quidem scribitur Pontifex Max. Hic erat tantum unus: unde si Impp. Collegæ fuerant,

ut M. Aur. & L. Verus, unius tantùm numi, non item alterius, id elogium habebant. Si filii Cæsarum scribantur Pontifices, de minore quopiam Pontificatu id accipiendum. Impp. Christiani elogio Pontificis Max. abstinuerunt, ob reverentiam erga Romanum Pontificem. II. 7.

POSTUMUS Tirann. VIII. 8.

POTENTIANUS seu Nepotianus Tirann. XI. 6.

PRIMORDIA Regni, imperii, sive tirannidis luculentius pernoscenda sunt. III. 4.

PROBI Imp. historia. VIII. 14.

PROCOPIUS Tirann. XII. 2.

PROCONSULUM origo, munus, dignitas. Alii Proconsul legunt, alii Proconsule: utrumque recte. IX. 10. Proconsularis dignitas, & potestas amplior multo apud Augustos. Ibid. 11.

PROCULUS Tirannus. VIII. 14.

PROVINCIÆ aliæ erant Augusti, quibus præfecti dicebantur Legati: aliæ Senatus, quibus præerant Proconsules, aut Proprætores. IX. 11.

PUPIENUS Imp. VII. 10.

Q.

QUINTILLUS Tirannus. VIII. 9.

R.

RADIANTE Corona Divi alias tantum fulgebant, seu jam defuncti, Deorum in numerum relati: postea etiam viventes, quorum Nero fere primus. IV. 11. Quare. XIII. 3.

RESPUBLICA nolentes cogere potest ad imperandum. VII. 11.

ROMÆ Seculum Millenarium sub Philippis Augustis. VIII. 1. 2.

ROMULUS, Maxentii Tiranni filius. X. 5.

RUFINUS, Arcadii Tutor perfidus. XII. 6.

S.

SABINA, Hadriani Imper. Uxor. XIV. 11.

SATURNINUS Tirannus. VIII. 14. XI. 6.

SCIPIO cum Aquila insistente Consulum, & Triumphatorum nota. VIII. 13.

SCULPTIS numorum imaginibus parum fidendum: numi ipsi inspiciendi, ut vultus rite discernas. I. 2.

SELLA Curulis index Consularis potestatis. II. 1.

SEVERI Septimii Imp. historia. VII 3.

SEVERUS Cæsar. X. 1. 2.

S M R T in segmento numi quomodo legendum. IX. 9.

STILICO, strenuus primum Tutor Honorii, postea infidus. XII. 8.

SUETONIUS Vitas primorum. XII. Cæsarum calamo liberrimo scripsit. V. 14.

SYLVANUS Tirannus. XI. 3. 6.

T.

TACITUS Imp. Ejus historia. Ante eum vacavit imperium sex mensibus, quod à Romulo non contigit. VIII. 11.

TAURINUS Tirannus. VII. 8.

THEODOSII M. Imp. historia. XII. 4.

TIBERII Imp. historia. IV. 1.

TIBERIUS Constantin. Imp. Orientis. XIII. 2. 3.

TIRONIBUS omnia nova facile magna. XII. 10.

TITI Imp. historia: ob Jerosolymas devictas, coronam non sibi, sed Deo Judæis irato deberi ajebat. Ægerrime ad imperium admissus, postea dici meruit Amor & Deliciæ Generis humani. Ejus numi fere sola litera T. quæ Titus legenda, à numis Vespasiani patris discernendi. V 13.

TITULI & elogia Imperatorum abbreviata quomodo latine legenda, & qualiter græcis in numis descripta. II. 12.

TRAJANI Imp. historia. Fabula est, ejus animam à S. Gregorio ex inferno redemtam. Optimi elogium tulit. VI. 3. Patris patriæ nomen diu renuit. IV. 6. Herba parietina ab Hadriano appellatus. VI. 4.

TRIBUNITIA Potestas ut scriberetur, loco Tri-

co Tri-

co Tribuni plebis, adinventum, ut ſummi faſtigii vocabulum. Jul. Cæſar id neglexit, Auguſtus reperit, Tiberius cæterique firmarunt. Geſta à pluribus, priuſquam imperarent. Poteſtati Tribunorum plebis plurimum eminuit. IV. 3. 4.
TRIUMVIRORUM Reipubl. Conſtituendæ terribile bonis omnibus Collegium. III. 2.

V.

VABALLATHUS Tirannus VIII. 8.
VALENTINIANI I. Imp historia. XII. 2.
VALENTINIANI II. Imp. hiſtoria. XII. 3.
VALENS Imp. XII. 2.
VALERIANI Imp. hiſtoria tragica. Habuit Valerianum filium, & Valerianum nepotem. VIII. 7.
L. VERI Imp. hiſtoria. VI. 11.
VESPASIANUS Imp. Ejus hiſtoria: ſtans moritur. V. 8.
VICTOR Tirannus. XII. 3.
VICTORINUS Tirann. VIII. 8.
VIPSANIA Agrippina, Tiberii Imp. conjux, quam invitus repudiare debuit, Druſi minoris mater. XIV. 6. 7. 8. 9.
VITELLII Imp. hiſtoria. Sprevit nomen Cæſarum, V. 6. 7. nec filiis dedit. VI. 9.
VOLUSIANUS Imp. VIII. 5.
VULTUS Impp. in numis latinis florentis imperii dexterrimè ſignati. Signare eos licuiſſe prærogativa ſumma, unde initium duxerit: quanti habita: ſuæ duntaxat majeſtati à Principibus reſervata. Eapropter monetam violare, aut deſpicere, capite conſtitit. Hujus criminis rei videntur, qui adulteros numos obtrudunt, & genuinos qui furno conſumunt. I. 2. 8. 9. 10.
WALLIA, Gothorum Rex. XII. 8.
ZENOBIA Amazon, Odenati Tiranni conjunx. VIII. 8. 10.

L. I. C.

